~~12515~~

25
28

13.058

SYNOPSIS
UNIVERSÆ
PRAXEOS MEDICÆ,
IN BINAS PARTES DIVISA.

TOMUS PRIMUS.

SYNOPSIS UNIVERSÆ PRAXEOS MEDICÆ,

IN BINAS PARTES DIVISA;

QUARUM prior omnium morborum conſpectum exhibet; altera vero rem medicamentariam, perpetuis commentariis illuſtratam, ſiſtit; cui ſubjungitur Liber DE CIBO ET POTU.

EDITIO SECUNDA PATAVINA,

AD NOVAM EDITIONEM PARISIENSEM

ULTERIUS elaboratam, vel cæteris tum Gallicis, tum Latinis, multo ampliorem, & accuratiorem, exacta.

Auctore JOS. LIEUTAUD, *Academiæ Regiæ Scientiarum, & Societatis Regiæ Londinenſis; necnon Cubiculario Sereniſſimi* DELPHINI *& Stirpis Regiæ Medico.*

TOMUS PRIMUS.



PATAVII, MDCCLXXXVI.

TYPIS SEMINARII,

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

PROŒMIUM.

QUAM misera mortalium conditio! futuræ quidem sortis nescii, primas inter vagitus carpunt luminis auras, homunciones; vitamque ineluctabili fato, serius ocyus cohibendam ejulatibus auspicantur: nec placide exiguum fugacis vitæ curriculum explent; quin potius innumeris pertæsi ærumnis, inter quas dirum caput effert *portentosa morborum phalanx*, ætatem asperam molestè ferunt. Nec desunt qui atris curis, vel mœrore confecti animum plane despondent, ambiuntque mortali vinculo exsolvi: imo & eo sæpius res rediit, ut nonnulli nefando sydere afflati, sibi attulerint damnatas manus; vel perdite ad laqueum confugerint. Hinc minime mirari subit si quidam improbi, ferendis quibus premebantur vitæ infortuniis impares, fatiscentem & caducam naturam temere incusaverint; supremumque rerum auctorem, haud citra piaculum, quasi increpaverint: sed virulentum retuderunt judicium, ne error latius serperet, saniores, æquioresque rerum naturalium exploratores, qui hæc adversa consultius adscribenda putarunt gentis humanæ flagitiis; quæ scilicet has nusquam luissent pœnas, ni a primo antehac parentum vitæ genere deflexissent.

Equidem, dum in orbe novo, cœloque recenti, frugibus nulla arte corruptis, vescebantur rudes & agrestes homines; humilesque tabernæ pecus & dominos coercebant: dum uxor pudica ab omni fuco aliena, vestes inconditas e pellibus contexebat; & sylvestrem torum culmo & frondibus sternebat: tum cultores ruris paterni & custodes ovium, ultro demandatis muniis hærentes, probæque victus rationi indulgentes, integris viribus senescebant. Isthæc cum ita essent, jure duntaxat naturali continebantur homines; nec curabant, vigente fide, legum ænigmata solvere: de ortu & causis rerum, sedula & futili posterorum industria indagatis, parum solliciti philosophiam naturalem sectabantur, qua exploratis duntaxat rerum effectibus, rectum ab obliquo, salubriaque a noxiis secernere solebant: nec opus erat eximia vivendi ratione morbos arcentibus medicinæ problemata extricare; adeo ut inaudita medendi scientia placidam agerent vitam, nullis ægritudinibus contaminatam & contractam, quo sane nil æque faustum putabant. Accedente vero canitie læte ferebant senectutem virtute conspicuam, summis honoribus & religiosa veneratione exceptam; donec ætate inter acceptos & conducibiles labores consumpta; numerosa, sanaque relicta prole, impavide migrarent ad superos.

Ubi vero, insaniente ævo, mortales corripuit inexplebilis auri fames; adeo ut perversis moribus quasi degeneres negarint avorum vestigia premere: tunc temporis genere & divitiis dispares turpia cogitare cœperunt. Nescientes quantum sit in rebus inane, felicitati nusquam assequendæ inhiabant: Tantalicis opibus diffluentes in ædes sumptuosas se recipiebant, & corpus amictu molliſſimo,

auro

auro vel purpura fulgente velabant; quibus ſolemne erat epulas lautiſſimas (1), omni obſoniorum genere, ferculiſque exquiſitoribus conſpicuas; ac generoſo nectare celebrandas, mirantibus exhibere. Quid moror? quibuſcumque *luxuriæ & ingluviei modis exhauſtis*, omne in præcipiti vitium ſtetit: ac poſtremo omnia peſſum abierunt, & ſenſim, proceſſu temporis, ruerunt in deteriora. Quid mirum, ſi hac graſſante lue, omnes perverterentur ſancitæ œconomiæ animalis leges, & atrox deſipientibus incubuerit morborum cohors, quibus ferendis invitos præbuerunt humeros male feriati homines; qui ſane ſuæ ſaluti tum conſuluiſſent, ſi ſeveriori lege proficientes, ſapientiæ præceptis adhuc fluctuantem animum compoſuiſſent: ſed luxurie ſoluti, vel falſa cupidinum imagine decepti, de inveſtiganda hujuſce cladis cauſa, etſi improbæ vivendi rationis conſciis, minime curarunt; nec avertendis impendentibus morbis invigilarunt; ſed illis tantummodo demulcendis & impugnandis omnem navarunt operam.

Interea, premente dura neceſſitate, remediorum inventrice & magiſtra, fortuita aut magis obvia explorabant, quorum proſperos vel noxios effectus accurate notabant: adeo ut ex hiſce congeſtis obſervationibus emerſerit *priſca illa & rudior medicina*, quam in Ægypto prima habuiſſe incunabula, e qua ad Græcos migravit, neminem eruditum fugit. Inter poſtremos primus diſperſas de morbis prænotiones collegit; ac excerpta e votivis tabellis Æſculapii fano appenſis, in unum corpus redegit HIPPOCRATES (2), cujus ſcripta ſane quidem aurea, multum tamen ſcoriæ & purgamenti admiſtum habent; ni legitima ab ſpuriis, uti nonnulli conjiciunt, contaminentur. Temporum vero injuria, ævique barbarie, forte periiſſet doctrina Hippocratica; ni poſt ſexcentos annos, hanc innumeris ſectis divulſam, ſtrenuis viribus inſtauraſſet GALENUS; vir ſane nulli ſecundus, ni nauſeoſo battologiſmo ſua ſcripta conſpurcaſſet. Parum dein profecit ars medica; nec meliorem expertæ ſortem cæteræ ſcientiæ; uſque ad ſeptimum ſæculum, ſub quod totum fere orbem devaſtarunt Arabes & Saraceni quibus ſcilicet corruerunt Athenæ & Roma. Haud tamen medicinam deſpiciebant hice barbari, cui promovendæ nonnullam impenderunt operam: ſed horum cura quaſi rediviva hæc ſcientia præſtantiſſima, lente in poſterum proceſſit; donec ſæculo mox elapſo, noſtrave ætate, prodierit ſtupendus librorum proventus; inter quos innumeri tenebris damnati blattis & tineis haud immerito traduntur: plures, e quibus erat quod tollere velles, meris hypotheſibus contexti, magnoque verborum ambitu prolixiores, tædium legentibus pariunt: pauci vero accuratis obſervationibus referti, & ære perenniores, neſcio quo fato, majorem medicorum partem plerumque latent: ſed hanc qualemcumque librorum ſupellectilem comparare vetat variorum res anguſta domi: nec praxi incumbentibus, vel ægrotis crebro aſſidentibus illos evolvere licet.

Hin plures, haud infimi ſubſellii, de leniendis vel ſuperandis hiſce difficultatibus cogitarunt; nullumque non moverunt lapidem ut confragoſum medicinæ iter explanarent; qui ſcilicet latiſſimam medendi ſcientiam, huc & illuc fuſiori ſtylo exaratam, contrahere curarunt, ut librorum penuriæ conſulerent: exin-

(1) Nemo quidem, vel ſemi-doctus, non novit convivia ſybaritica, vel ſyracuſana, luxu & deliciis decantatiſſima; cupediis feralibus, & ſtygioſis poculentis inſignia.

(2) Multa etiam depromſiſſe HIPPOCRATEM ex Aſclepiadum ſcriptis jure autumarunt.

exinde prodierunt varia *medicinæ compendia*, publico usui jamdudum tradita; quæ magis doctrinæ specimen, quam rectam medendi normam exhibent; & ideo, pace illustrium Auctorum, legentium vota minime explent: num illorum vestigia premens felicius collimaverim? viderint qui abditos medicinæ clinicæ recessus accurato lustrarunt studio. Absit tamen ut a perspectis tot scriptis ejusdem argumenti, Iliada post Homerum canere insimulemur; cum toto cœlo distet *nostrum propositum* a prædictis enchiridiis; & præcipua hujusce Synopseos pars e proprio penu depromatur; e nostris scilicet adversariis tum clinicis, tum anatomicis; quorum nonnulla jam vetustiora, & cum situ certantia, ab interitu vindicavimus: nec illa integra, qualia in schedas perfunctorie congerebamus; sed contracta, aut potius eorum duntaxat consectaria tradidimus, ut legentium labori parceremus. Haud tamen hisce cancellis continetur *hæc epitome*; inter quam concinnandam Penelopes telam retexere sæpius nobis contigit; sed fusiora famigeratorum practicorum opera, indefesso & tædioso labore, non citra seram suscepti muneris pœnitentiam, lustravimus; ut ad praxim tantum pertinentia ex illa immensa librorum nube excerperemus, & nostræ scribendi rationi submitteremus.

Itaque ex his omnibus accurate digestis, & dilucidiori, ni fallor, ordine dispositis; abjectis eruditis & mere curiosis, allucinationibus & commentis, recoctis & obsoletis, quibus turgent cætera volumina; vel omnibus rescissis mentis diverticulis & a proposito alienis, hæc emersit Synopsis, verum ubertate conspicua; non elementaris, vel, ut inquiunt, didactica, sed meris observatis inter ægros & cadavera versando concinnata; quam adauctam, ulteriusque elaboratam, & bipartitam, iterum recudere necessarium duximus. Quamobrem posthabita nomenclatura græca, ad putidam ostentationem a plerisque comparata, morbos cujuscumque commatis, inter quos nonnulli occurrunt hactenus inauditi, distinctis sistimus capitulis *in prima Synopseos parte*: signa quibus innotescunt, & symptomata quibus stipantur, sedulo recensemus; inordinate vero, cum alterutra seorsim memorare haud sinat accurata morborum historia; quæcumque de hac re in medium adduxerint varii Auctores, quorum scripta magis ingenii solertiam quam accuratam inter praxim observationem sapiunt. Neminem præterea fugit nunc pro signo, nunc pro symptomate, juxta clinicorum nutum & arbitrium haberi hæc *morbosa naturæ phænomena*, ægre hinc ab invicem distinguenda. Insuper notare juvat quod non omnia, sub cujuscumque morbi titulo collecta, in singulis ægris se prodant; sed hæc vel illa, serius ocyus visenda se præbeant; adeo ut generalia tantummodo de hac re, vel incerta, & a vero plane aliena, proferre liceat. Neminem enim expertum latet morbos cognominis, vel ejusdem speciei, nusquam sub una eademque facie in praxi occurrere, tam ob innumeras circumstantias a temperie, ætate, sexu, anni tempestate, cœli conditione, loco, &c. desumptas; quam propter vivendi rationem & curandi modum: quibus posthabitis, intelligitur cur tot futiles & ineptæ prodierint febrium, aliorumque morborum divisiones & differentiæ, quibus adornantur libri & obnubilatur ars medica (1).

Jam-

(1) A recto deflectunt tramite, inutilemque operam ludunt qui omnia, quavis hora & singulis momen-

Jamdudum clamitant saniores practici medicinam luxurianti physico-medicorum ingenio depravari; & nil ferme in lucem prodire præter *hypotheses*, vanissimo scholarum strepitu celebratas, sed altum medicinæ clinicæ vulnus infligentes; quæ scilicet ad lydium veritatis lapidem revocatæ mera audiunt commenta. Turpiter sane allucinantur qui theoriam medicam ex hisce, nugis exurgere putant; cum potius versetur, prælibatis mathesi, physica experimentali & chymia, historia anatomica & naturali, in rite observatis naturæ viribus & phænomenis, tam in statu sano, quam in morboso; cui doctrinæ a nonnullis adumbratæ, sed a paucis excultæ, parcit annorum series; dum alia ingeniorum nutu mutabilis novam fere quotannis faciem induit: nec impedit hoc pseudotheoriæ infortunium quominus quisque præconceptæ opinioni obnixe hæreat, & unus alterum erroris arguat & criminetur: hinc acres controversiæ in simultates & odia sæpius exardescentes; atque misellis ægris plerumque lugendæ. Quapropter ab omni hypothesi plane alienus, de causis morborum proximis atra caligine immersis, ne verbum quidem protuli; cum nullus dubitem quin oculatiorum indagini subtrahantur; quidquid de hac re scripturierunt, quos nænias venditare non puduit: sed remotas & evidentes, e quibus rite pensitatis genuina sæpius eruitur morbi prosapia, sedulo pro viribus exarandas curavi.

Quantum conferant ad obscuriorum morborum extricationem, & medicinæ incrementum, observationes ab *introspectis cadaveribus* desumptæ (1), quas jure pro tutissima praxeos cynosura habent solertiores, nemini haud obvium. Itaque selectiores historias ex acervo cadaverum, per viginti annos & ultra, cultro nostro anatomico subjectorum depromptas, pro instituti ratione contractas exhibemus. His subjungere lubuit quidquid de hac re litteris consignarunt varii Auctores, agmen claudente celeberrimo MORGAGNO (2): sed delectu opus fuit; cum plures rerum anatomicarum nescii, vel suæ famæ consulentes, haud pleniorem de hac re sibi concilient fidem. Quæcumque igitur dispersa eruimus ex hoc uberrimo fonte, contracto stylo recensemus; quod opus, arduum sane & difficile, vel medicinæ proceribus non ingratum fore confidimus. Silentio tamen minime prætermittendum singulos morbos, vel graviores, haud semper conspicuam labem visceribus inferre; cum sæpe sæpius lustrata post obitum interanea plane inculpata deprehendantur: quod bene notandum incumbit, ne articuli, in quibus prædictæ desiderantur historiæ, pro inexpletis vel mancis inconsulto habeantur.

Morborum prædictiones paucis perstrinxi, cum futile & supervacaneum videatur sub singulis reponere morbis delirium, convulsiones, affectus comatosos, spirandi difficultatem, stertorem, lipothymias, sudorem frigidum, aliaque symptomata graviora, morbos luctuosos concomitari solita, infaustum exitum minari; quod sane neminem, vel rudem & inexpertum latet. Sed nonnulla occur-

mentis contingentia accuratiori adnotant studio, argutamque sedulitatem in hoc illove conscribendo morbo assequi gestiunt: intelligentibus pauca.

(1) Vix concipere licet quomodo major scriptorum medicorum pars de extispiciis ne verbum quidem protulerit; vel hanc præstantissimam scientiam perfunctorie tractaverit.

(2) Inter scriptores, qui de extispiciis ex professo egerunt, eminent BONETUS, MANGETUS & MORGAGNUS; quorum opera excepit *Historiæ nostra Anatomico-Medicæ*, nuperrime publici juris facta, quæ thesaurum observationum locupletiorem, sed non omnibus numeris absolutum, præbet.

currunt quæ pro rerum conditione, nunc fausta, nunc calamitosa censeri debent; febres puta, eruptiones, hæmorrhagiæ, vomitus, alvi fluxus, &c. quæ sedulo recensere operæ pretium judicavi. Haud fugit tamen exercitatiores clinicos incerta esse de vita & morte judicia, ob varias quibus submittuntur circumstantias, quas vix assequi licet. Caute vaticinandum esse recte monet HIPPOCRATES, candide asserens nil certi de eventu in morbis acutis statui posse: ac forte plus veri hoc effato tradidit antiquissimus medicinæ antistes, quam suis susioribus circa prognosim operibus; e quibus tamen inter multa dubia & intricatissima, nonnulla scitu digna & exquisitiora, suo loco recensenda, depromi queunt. Sed hæc futurorum scientia, numeris platonicis forte obscurior, summis, nemine discrepante, premitur difficultatibus, quas nequidem suspicantur tot balatrones & inepti qui de morborum exitu, quasi e tripode, pronuntiant.

Parum, vel obiter, *diætæ* præceptis inhæremus; licet præcipuus in horum observatione versetur curationis cardo: sed superflua de hac re nobis visa sunt monita; cum nullum medicum, vel bœotici ingenii, horumce immemorem arbitremur. Simili ferme ratione ductis haud lubuit *medicamina* methodicæ seriei submittere: sed eo ordine disponuntur ut omnia primo intuitu pateant; ac magis congrua præsenti rerum statui seligi queant: ut scilicet studio & praxi edocti prius nota, tradita, vel peracta in memoriam revocent; imo & nonnulla forte nova per transennam addiscant. Ab insulsa remediorum farragine alieni, selectiora tantum vel pluries inter ægros explorata exhibemus; ut quisque pro varia rerum conditione, probatiora & magis proficua ex hocce albo eruere valeat. Pauca sane requiri medicamina, sub morbis acutis, uno ore fatentur exercitatiores; quibus solemne est, præmissis præmittendis, cunctari & supersedere, donec constet de morbi genere. Aliter se res habet inter morbos chronicos, ad quorum medelam iteratis tentaminibus vel cauta exploratione, viam parare expedit. Ad summam, medicum esse naturæ spectatorem & ministrum, vel interpretem; cui duntaxat incumbit spontaneum ejus motum caute dirigere; vel manca & inchoata ejus munia præsentissimis auxiliis explere & perficere, apud omnes in confesso manet. Alias demandato deest officio; si quidpiam contra naturæ leges moliatur, morbosque hostili impetu, hac reluctante, aggrediatur. Neminem insuper fugit plures decumbentes, post exhaustam medicorum scientiam, solo naturæ beneficio incolumes evasisse: quod sane quidem alta mente tenere debent plures inepti polypharmaci, qui ad inaudita vel abstrusiora se conferre; aut vulgatoria ad artis fastuosæ normam revocare, summo honori ducunt. Væ miselli ægris! ni natura victrix morbum & noxia pharmaca superet.

Nemo nescit ampliſſimam esse rei medicæ supellectilem, & longe majorem esse *medicaminum copiam* quam morborum proventum. Imo & conjicere nil vetat nullum esse affectum insuperabilem, si opportuno tempore & congruis telis impugnetur; sed hoc opus, hic labor est. Caute tamen cum remediis, vel innoxiis, mercari expedit; cum inconcussum maneat quamplures esse ægritudines solis naturæ viribus judicandas; quæ vero ab intempestiva vel præpostera cura exacerbari; imo & lethales evadere queunt. Temeritatis sane insimulandi tot scioli ægris assidentes, qui demandatis muniis obiter hærentes, litterarias quisquilias effutiunt, vel insulse deblaterant, donec consilio præcipites, inextricata

morbi indole, & vix explorato pulsu, ad remedia properent; dum eruditi & experti ad judicium tardiores, nil nisi omnibus rite pensitatis, agendum putant. Ratum enim apud omnes manet naturam esse optimam morborum medicatricem; & frequentiores affectus ipsi commissos, annuente SUPREMO VITÆ ET NECIS ARBITRO, sponte sanari: in aliis vero haud exiguam opem conferre artis præsidia, dummodo dosi congrua præcipiantur, & tempestive, vel lenta festinatione exhibeantur: tardum enim, sub hac re, celerem assequi multiplici experientia constat. Sin minus quæ ad generis humani salutem comparata sunt, pessima. & improba administratione funera accersunt (1).

Haud forte omnibus arridebunt generalius tradita, circa morborum curationem: nec me latet nonnullos, haud infimi subsellii, medicos, rebus theoreticis plus æquo addictos, assensum denegasse nostræ parum rationali, ut inquiunt, medendi methodo; cum de *indicationibus* perfunctorie egerim, vel hanc doctrinam in scholis acceptissimam sicco pede nonnunquam transierim. Sed illos monitos velim hac translatitiam scribendi rationem consulto omisisse; tum ad fugiendam nauseosam prolixitatem; tum ad declinandam omnem hypothesim: equidem nemini haud obvium venæ sectionem indicari a plethora; emetica & cathartica a saburra primarum viarum; aperientia ab obstructionibus; diuretica ab stagnante colluvie serosa; emmenagoga a suppressis mensibus; refrigerantia a sanguinis æstu, &c. quibus evidentibus immorari futile & supervacaneum fore judicavimus: ubi vero causæ in obscuris latent; & meris duntaxat conjecturis illas assequi licet, nulla proferri potest indicatio quin hypothesi fulciatur. Hinc satius duxi inter hasce angustias remedium praxi comprobatum duntaxat recensere; etsi non patet ejus agendi modus; cum clinicis illud duntaxat incumbat munus, ut morbum scilicet curent; non vero exponant; nec ipsis alia est meta laborum.

Ut nil desit praxim exercentibus ex eo quod humana præstare valet sedulitas, novum in *altera Synopseos parte*, materiæ medicæ conspectum sistimus, qui inter morbos curandos egregiam opem conferre potest. Plura sanequidem de hac re prostant opera; sed pauca, ni fallor, medentium vota explent: nonnulla enim sunt mere chymica, in quibus scilicet referatur pyrotechniæ ars; sed remediorum vires obiter enarrantur: alia fusioribus plantarum, mineralium & animalium descriptionibus referta, magis ad historiam naturalem quam ad medicam spectant: quædam rerum cujusvis indolis extra usum medicum positarum copia turgent; & ideo solis naturæ curiosis arrident. Varia demum numerosissimis formulis ad meram ostentationem plerumque conscriptis, inepta & solertioribus invisa, rerum farragine tumentibus, luxuriantur. In omnibus demum id genus operibus altum de re cibaria silentium; licet, nemine refragante, haud parum conferat probus alimentorum usus, tam ad præcavendos quam ad curandos morbos.

Quantum discrepet *nostrum opusculum* a libris ejusdem argumenti, viderint æqui rerum æstimatores: equidem præter nonnulla hactenus intacta, vel inaudita, quæ scilicet in cæteris promptuariis desiderantur; innumera ab auctoribus tra-

(1) Adeo ut quidam nasuti pluries secum cogitaverint, boni-ne an mali plus attulerit hominibus ars medica; & hoc problema turpissimum posteris solvendum tradiderint.

tradita, quæ ſparſim prolixioribus ſcriptis immerguntur, & quaſi deliteſcunt, undique collegimus; ut amptiſſimam medicaminum ſelectiorum meſſem claſſibus ad praxin accommodatis annecteremus. Quibus bene perſpectis ſatis ſuperque patet providam naturam laute proſpexiſſe morboſæ hominum conditioni: tantum enim abeſt ut medicamina deficiant; quin potius horum copia quaſi obruamur. Nemo non novit diverſæ ſortis *mineralia* quæ ſuppeditant patefacta telluris viſcera; terras nempe, lapides, ſalia, ſulphura, metalla, aliaque ad multiplices uſus medicos aut domeſticos comparata. Omnium expectationem ſuperat vaſtiſſima *ſtirpium* ſylva, quarum viginti circiter millia jam a curioſis naturæ ſcrutatoribus conſpecta & deſcripta, haud certe dimidiam botanices partem præbet: ac in dies creſcit antiquiſſimus plantarum uſus: nec dubitare licet quin plurima adhuc lateant in vegetabilium claſſi præſtantiora remedia, quæ forte manent poſterorum curas. Nec ſuis laudibus defraudanda *animalium* familia, minorem ſane medicaminum copiam ſuppeditans, ſed forte tutiorem & œconomiæ animali affiniorem. Nemo neſcit innumera ex hoc triplici fonte depromi remedia, quæ non ſolum ſimplicia, vel diverſimode compoſita præcipiuntur: ſed etiam variis elaborationibus chymicis & pharmaceuticis ſubjiciuntur; ut hinc nova emergant mixta quæ ſuis viribus pollent, & ad publicum commodum in officinis proſtant.

Conſtat, ex antiquioribus monumentis, ſimplicia & domeſtica adhibuiſſe remedia primos medicinæ cultores; quæ vel ipſimet parabant, vel quorumdam tironum curæ committebant donec forte utrorumque intempeſtiva vanitate, hæc præſtantiſſima ars ad ineptos quoſdam ablegata fuerit, qui tum potius lucro quam ægrorum ſaluti inhiantes, variis impoſturis & portentoſis venditationibus incautorum fidem ambiebant; adeo ut naſutiores, fraudem ſubolentes, atrociſſimis conviciis, & ridiculis ſannis, utramque artem proſciderint & laceraverint. Anguſtioribus cancellis continebatur *pharmacia* Græcis & Latinis exculta; quam inſtaurarunt Arabes, & forte ſupra modum auxerunt: ac nullus ferme fuit in poſterum qui ad hanc ampliandam ſuum ſymbolum conferre negaverit. Nec deſiit noſtra ætate, hæc inconſulta quid inauditum tradendi prurigo: ubique enim occurrunt ardeliones qui fatuum popellum ludificantes, poſthabitis probatiſſimis remediis, novum qualecumque, ut inventi gloriam aſſequantur, effingere moliuntur. Nec minorem medicaminum proventum præbet *chymia*, quæ licet vetuſtiſſima, in uſum medicum raro trahebatur: adeo ut vix caput extulerit circa principium nuperrimi ſæculi; ſed parum profecerunt veteres medico-chymici, qui ſua ſcripta conſulto obſcurarunt; vel inaudita & barbara finxerunt vocabula, ut fatuorum admirationem ſibi conciliarent; donec poſteri, quorum potior pars ab omni fraude aliena, hanc præclaram artem illuſtraverint; utilius ſane ni avidiori animo ſemper ad nova properaſſent: & jam locupletiſſimis officinis varia futilia & ſuperflua adjicere ambiiſſent: ad populum phaleras.

Hinc temporum lapſu ita crevit hæc *portentoſa officinarum ſupellex*, ut vix quiſquam, vel exercitatiſſimus, inter ſeligendum magis congruum, vel proficuum à noxio extricandum, in hac uberrima meſſe haud anxius hæreat (1). Hoc

(1) Nemo non novit MANGETI bibliothecam pharmaceuticam, JUNCKERI corpus pharmaceuticum, TRIL-

est Augiæ stabulum quod, experientia duce, repurgandum curavi: medicamina nempe, inter simplicia & composita quæ solertiores, vel exercitatiores coætanei in familiarem usum trahunt, vel egomet fauste adhibui, recensenda curavi; ac flosculos duntaxat huc & illuc sparsos e lustrato vastissimo chymiæ & pharmaciæ campo collegi. Hinc emersit promptuarium, medicinæ tironibus expetatissimum; quod etiam diuturna praxi edoctis non ingratum fore putavi. Vix vicesimam medicaminum partem quæ prostant in libris ejusdem argumenti proposui, ne ex ampliori materiæ medicæ apparatu immensum & perspicacioribus invisum emersisset opus. Quapropter nonnulla consulto prætermisi, etsi celebriora, quæ ratione penuriæ & caritatis, in officinis plane desiderantur; varia olim decantata, ad vanam artis ostentationem parata, quorum usus omnino exolevit; non secus ac quædam nova, de quorum viribus nondum constat; vel quorum periclitatio haud bene cessit; quamplurima quæ etsi tuto adhiberi queunt, superflua tamen, ob uberrimam succedaneorum copiam, censeri debent: nonnulla demum quæ ratione difficillimæ encheiresis raro apprime præparata, vel artificum fraude ut plurimum adulterata, occurrunt; licet ab incautis vel stolidis stupenda fiducia in usum quotidianum trahuntur, qui de hisce technis, etsi summe periculosis, minus laborant quam de ranis palustribus.

Ut insuper una eademque fidelia plures dealbemus parietes, rerum emporeticarum & officinalium tabulis, hac methodo contractis, subjungere lubuit *medicamina*, ut inquiunt, *magistralia*, quæ scilicet, pro medici arbitrio, e vario simplicium, chimicorum & pharmaceuticorum connubio confici solent; ut praxim exercentes, vel ineuntes, quidquid magis congruum præsenti rerum conditioni in promptu habeant. Hinc prodierunt formulæ medicæ numerosissimæ, ex libris sane minime excerptæ, nec meris & incertis conjecturis innixæ; sed a solertioribus coætaneis exploratæ & comprobatæ, vel proficue inter nostram praxim adhibitæ; quarum exemplo alias pro re nata cuivis concinnare licet: hac nauseosa ingredientium, sæpius mutuo colluctantium, farragine, quæ minus præscribentium scientiam quam horum imperitiam prodit, nusquam turgent nostræ exaratæ formulæ (1); sed simpliciore, & ad œconomiæ animalis vires magis accommodatæ prostant. Nec omnibus forte arridebunt familiariora & euporista remedia; cum ea semper fuerit pseudo-medicis innata vecordia ut indigena fastidirent, exotica laudarent, domestica despicerent, & elaboratissima presequerentur: abjectis scilicet omnibus obviis quæ suppeditat patrium solum, ad rara & pretiosa, ægre comparanda, stulte se conferunt, ac fastuoso remediorum apparatu ducti, ea sola alto deprædicant supercilio quorum compositionem subeunt aurum, gemmæ, margaritæ, aliaque exotica rariora, quasi supremus opifex quædam præstantiora divitibus & magnatibus concesserit, quæ cæteris negavit. Stirpes enim pedibus calcamus quæ ratione virium omnibus remediis peregrinis, vel arte chymica elaboratis, magnisque titulis superbientibus, longe præstant. Quid opus est verbis? omnia vel simpliciissima & vulgatiora remedia, opportune adhibita saluber-

Trillerі thesaurum, aliaque id genus nauseabunda opera, quæ, ut verum fatear, minus genuinam medicinam quam artem circulatoriam sapiunt.

(1) Quis non mirabitur quamdam ipsiusmet Hippocratis mixturam ad phthisim, quam ingrediuntur ruta, anethum, opium, farina tritici & hordei, vetus caseus lactis caprini, in aqua & vino rubro austero? neminem esse reor qui hanc insulsam farraginem audeat experiri; non secus ac portentosas formulas quibus turgent opera Morelli, Tengke, Garnerii, &c.

luberrima cenſeri debent; dum rara & exquiſitiora, arduis elaborationibus vel egregiis compoſitionibus inſignia, inertia & nociva deprehenduntur; imo & lethalia evadunt, ſi præpoſtere uſurpentur: non ſecus ac pigmentis vulgatioribus, rudioribuſque penicillis, ſimilitudines cum ipſamet natura certantes effingunt in arte periti; dum humilioris ordinis pictores, etiamſi rariora adhibeant, futilem in exprimendis imaginibus operam ludunt. Hinc ſingula cujuſvis ſortis remedia indigena vel exotica, ſimplicia vel compoſita, domeſtica vel officinalia, pro varia adminiſtratione & medici ſolertia, laudes & vituperia mereri conſectarium manet.

Rerum naturalium, officinalium & magiſtralium tabulas, ut nil intactum relinquatur, excipiunt *commentaria*, quibus ſingula cujuſcumque ordinis totidem articulis ad peculiare examen revocantur: utrorumque natura & vires ſedulo referantur; doſeſque forte accuratius quam in cæteris libris componuntur: nec prætermittitur rectior adhibendi modus. Quibus ita diſpoſitis, quæcumque ad rem medicamentariam pertinent legentibus nitide occurrunt; quod objectum, quantulucumque a nemine, ni fallor, hactenus excogitatum. Cæterum, haud ab inſtituto alienum putavi librum integrum, mantiſſæ inſtar, adjicere *de re eſcaria*, quæ nemine refragante haud parvi refert ad morborum, præſertim chronicorum, medelam. Nec vigente ſanitate, ſi morbis præcavendis ſtudeamus, poſthabenda recta ciborum ratio, ut indefinenti humorum motu, reciproca organorum actione, deperdita ad amuſſim reſarciantur; ac reſtituta ab utrarumque partium indole minime recedant.

Hæc eſt univerſæ *Praxeos Medicæ Synopſis*, cujus beneficio, in promptu habere queunt clinici quidquid confert tam ad extricandam morborum indolem, quam ad congrua adminiſtranda præſidia: nec in alio verſatur genuina medendi ſcientia; quæ ſcilicet eo collimat ut ſpontanea dirigantur naturæ conamina, & nil hac reluctante moveatur. Alias a præpoſtero medicaminum uſu hæc emergit medicina ſpuria, quæ exitialis & calamitoſa jure cenſetur, etiamſi quandoque, vel fortuito, bene cedere videatur. Equidem ubique occurrunt agyrtæ & empirici, quos non pudet extra rationis ſphæram prætervolare; qui ſcilicet Tireſia cæciores, pro oculatioribus haberi geſtiunt; nec dubitant violentiora ſub ſplendidis titulis adhibere pharmaca, ut inquiunt, polychreſta; quibus ita movetur corpus & concutitur; tantique, haud ſine præſenti vitæ diſcrimine, concitantur impetus, ut nihil fere de priori œconomiæ animalis conditione remaneat: hinc patet cur nonnunquam accidat, ut hac portentoſa medicatione retundatur morbi ferocia; ejuſque fomes, licet alte reconditus, evertatur. Sic omnia audentes, & experimenta per mortem agentes, quoſvis obvios morbos, vel pertinaciſſimos, quorum characterem nequidem ſubolfaciebant, aggrediuntur circulatores, nonnunquam evincunt & temeritatis præmio fruuntur; dummodo tamen ſinant ægrorum vires; qui alias, uti crebro evenit, ſpe vana deluſi ad libitinæ rationem ducuntur; ni ab infelici medela deſiſtere cogantur ineptiſſimi ardelliones. Hinc intelligitur cur fiat ut quæ ad ægrorum ſolatium, lautiſſima ſua benignitate, paravit SUPREMUS RERUM CONDITOR, in horum perniciem a tot audacibus empiricis, qui veram medicinam ne quidem a limine ſalutarunt, vertantur; & ſaluberrima ars, quæ inter cætera numinis beneficia par forte non habet, medentium errore cladem præ ſe ferat.

IN-

INDEX CAPITUM TOMI PRIMI.

LIBER PRIMUS

Morbos Internos respiciens.

SECTIO PRIMA.

De generalibus & incertę sedis.

Pag.

Febres, 1
Febris continua simplex, 11
putrida, 12
ardens, 15
maligna, 17
Pestis, 24
Sudor anglicus, 28
Febres intermittentes, 29
Febris quotidiana, 34
tertiana, 35
quartana, 37
remittens, 38
Plethora, 39
Æstus morbosus. 40
Virium exolutio, 42
Sanguinis inopia, 43
Fluxuum & eruptionum retrocessus, 45
Dolores, 46
Defluxiones & affectus catarrhales, 49
Cachexia, 51
Scorbutus, 53
Lues venerea, 57
Scrophulæ, 62
Arthritis, 65
Rheumatismus, 70
Hypochondriasis, 72
Hydrops, 76
Stagnatio sanguinis & puris, 80
Infarctus & skirrhus, 81
Tumores interni, 85
Phlogosis interna, 88
Purulentia interna, 90
Gangræna interna, 93
Insecta & corpora extranea, 95
Venena, 97

SECTIO II.

De morbis internis capitis.

Vertigo, 100
Apoplexia, 102
Affectus soporosi, 107
Tremor, 109
Paralysis, 110
Mentis & memoriæ segnities, 112
Pervigilium, 114
Incubus, 115
Melancholia, 116
Mania, 118
Phrenesis, 120
Convulsiones, 122
Epilepsia. 125

SECTIO III.

De morbis internis pectoris.

Raucedo, 129
Tussis & catarrhus pectoris, 130
Catarrhus suffocans, 134
Inflammatio pectoris, 135
Peripneumonia notha, 140
Asthma & morbi cognati, 141
Suffocatio, 144
Hæmoptysis, 146
Phthisis, 148
Vomicæ, 151

Em-

Empyema, 152
Hydrops pectoris & pericardii, 153
Cordis palpitatio, 156
Oppressio cardiaca, 158
Syncope vel animi deliquium, 159
Singultus, 162

SECTIO IV.

De morbis internis abdominis.

Prava digestio, 164
Vomitus, 168
cruentus, 170
Fames canina, 172
Molestia stomachi, 173
Inflammatio abdominis, 175
Ileus, 177
Cholera, 179
Diarrhœa, 180
Alvi fluxus cruentus, 183
Tenesmus, 187
Alvus adstricta, ibid.
Colicus dolor, 189
Flatulentia & tympanites, 197
Vermes, 200
Colica hepatica, 203
Hepatitis, 205
Ictterus, 207
Nephritis, 209
Lithiasis, 212
Mictus cruentus, 216
purulentus, 218
Dysuria & stranguria, 219
Ischuria renalis & vesicaris, 220
Diabetes, 222
Mictio involuntaria, 224
Catarrhus vesicæ, ibid.
Hydrops abdominalis, 225

LIBER SECUNDUS

Morbos externos spectans.

SECTIO PRIMA.

De generalibus & incertæ sedis.

Obesitas, 231
Atrophia, 232
Hæmorrhagia, 234
Phlegmone & abscessus, 236
Ulcus & fistulæ, 238
Bubo, 241
Carbunculus vel anthrax, 243
Furunculus & affines, 244
Œdema & emphyzema, 245
Skirrhus & cancer, 246
Aneurisma & varices, 250
Tumores cystici, 252
Sarcoma, verrucæ & cornua, 254
Animalium morsus & punctura, 255
Tarantismus, 258
Hydrophobia, 259
Contusio & vulnus, 261
Ambustio, 264
Gangræna externa, 266

SECTIO II.

De morbis externis capitis.

Cephalalgia, 268
Insolatio, 270
Capitis contusio, 271
Parotis, 273
Bronchocele, 274
Gutta rosacea, 275
Morbi oculorum, 276
narium, 284
Morbi aurium, 287
oris, 290
Deglutitio læsa, 296
Angina, 298

SE-

SECTIO III.

De morbis trunci & artuum.

Pleuritis notha, 301
Lumborum morbi, 302
Ventris intumescentia, 303
Herniæ & affines, 304
Morbi genitalium, 308
ani, 317
artuum, 323
ossium, 331

SECTIO IV.

De morbis cutaneis.

Sudoris vitia, 335
Phthiriasis, 337
Cutis maculæ & efflorescentiæ, ibid.
Herpes & pruritus, 339
Scabies, 341
Impetigo, 342
Lepra, 343
Erysipelas, 345
Rubor scarlatinus, 347
Morbilli, 348
Variolæ, 349

LIBER TERTIUS.

Morbos sequioris sexus & infantum colligens.

SECTIO PRIMA.

De morbis virginum & mulierum.

Hysteris, 355
Pica & malacia, 359
Chlorosis, vel febris alba virginum, 360
Morbi a catameniis, ibid.
Sterilitas, 365
Morbi prægnantium, 366
puerperarum, 370
mammarum, 376
genitalium, 378
Graviditas notha, 384

SECTIO II.

De morbis infantum.

Generalia, 388
Colostratio, 391
Febris, ibid.
Variolæ & morbilli, 392
Atrophia, 393
Hydrops & tumor aqueus spinalis, ibid.
Ictterus, 394
Lues venerea, 395
Scorbutus, 396
Scrophulæ, ibid.
Tussis, 397
Anhelitus & suffocatio, 398
Vomitus, 399
Tormina, 400
Alvi fluxus, 401
Ventris segnities, ibid.
Vermes, 402
Tumor, & inflatio abdominis, 403
Herniæ, & umbilici prominentia, 404
Calculus, ibid.
Ani prolapsus, & hæmorrhoides, 405
Epilepsia & convulsio, ibid.
Aphthæ, 406
Dentitio, 407
Hydrocephalos, 408
Rhachitis, 409
Morbus coxaris, 410
Morbi cutanei, 412

PRA-

PRAXEOS MEDICÆ

PARS PRIMA.

LIBER PRIMUS.

MORBOS INTERNOS RESPICIENS.

SECTIO PRIMA.

DE GENERALIBUS, VEL INCERTÆ SEDIS.

FEBRES.

IN cimmeriis latet tenebris genuina febris indoles: nec forte dilucidius patent ejus differentiæ; quidquid de hac re in medium adduxerint nonnulli prioris notæ Auctores; inter innumeros sciolos qui de eodem argumento scripturierunt; quorum plerique suis opinionibus physiologicis addicti, *aliorumve* vestigia prementes, sua scripta meris hypothesibus & commentis, vel intempestiva eruditione contaminarunt, adeo ut certa ab incertis, atque utilia a futilibus, in hacce verborum luxurie, extricare arduum sit. Hinc plures haud infimi subsellii dubitarunt, num satius foret cœptis absistere, ac novis observationibus inhærere, e quibus bene perspectis & collatis sanior emergeret doctrina. Solertioribus lampada tradimus; & ea duntaxat quæ e praxi 30 annorum collegimus candide, & absque magno verborum ambitu aperiemus.

Ut igitur a familiarioribus exordium capiamus; quatuor tantummodo, dum ægrotis noctu diuque crebro assidebamus, nobis innotuerunt febrium essentialium continuarum species; *continua* nempe *simplex*, a nonnullis *continens* vocitata; eo quod exacerbationis expers in eodem quasi statu perstet; quod cum grano salis accipiendum. De ejus stadio nil certi statuere licet: haud ultra tamen quatuordecim dies protelatur; ni intempestiva medela ejus subvertatur decursus. *Continua putrida*, quæ exacerbationibus conspicuis, gravioribusque symptomatibus stipatur, atque a quadam sanguinis & humorum dyscrasia, ad putredinem vergente, pendere videtur: unde fit, ut raro desinat, ni prævia quacumque evacuatione, qua sanguis & humores a pravis succis liberantur: imo & hæcce spontanea, vel critica purgatio febris putridæ characterem exhibet. *Ardens*, quæ siti intensa, & interaneorum æstu, ab aliis rite distinguitur. Ac demum *maligna*, cujus symptomata atrociora cerebri & nervorum læsionem produnt; & sub hoc conspectu longe ab aliis distat; quidquid in contrarium adduxit HUXHAMIUS, qui putridam & malignam pro uno, eodemque morbo habebat. Hanc postremam esse diuturniorem, & ut plurimum epidemicam, contagiosam, vel pestilentialem nemo nescit.

Raro tamen certis & constantibus se produnt indiciis prædictæ febres: nunc enim placide sua percurrunt tempora; alias majorem tyrannidem exercent; adeo ut finitimæ censeri debeant hæ diversæ species: cur fit ut sæpius ab invicem vix discrepare videantur. Hinc minime mirari subit, si plures probæ fidei Scriptores, agmen ducente BOERHAAVIO, in ea fuerint sententia, quascumque febres varium duntaxat gra-

gradum unius & ejusdem morbi exhibere: nec huic opinioni adversatur febrium epidemicarum observatio, quæ inter eamdem cæli & anni constitutionem sub diverso conspectu se præbent, vel variorum morborum typum mentiuntur: unde fit, ut incauti, affinitate decepti, in errorem sæpius lethiferum præcipites ruant. Nec latet cognatas esse continuas & intermittentes, tam ratione exacerbationum & paroxysmorum, quæ statis ferme temporibus invadunt, quam respectu accessionis, periodi & crisεos: perinde continuæ intermittentium naturam sæpius induunt: dum intermittentes in continuas facessunt. Nihilominus quidquid sit de earum affinitate, indicatum ordinem inter illas recensendas sectabimur, ut infra dicenda dilucidiora pateant.

Nec minoribus difficultatibus premitur conspectus febrium symptomaticarum, quæ dissimilem curationem expostulantes, rite distingui debent ab essentialibus, quas fovet prava sanguinis diathesis. Equidem ab alio morbo soboleſcunt *febres symptomaticæ*; & hinc dicuntur erysipelaceæ, inflammatoriæ, dysentericæ, catarrhales, rheumaticæ, arthriticæ, lacteæ, lochiales, cachecticæ, scorbuticæ, &c. In propatulum sane quidem veniunt febres, quæ variolas, morbillos, ruborem scarlatinum, erysipelas, inflammationem, dysenteriam, catarrhos, rheumatismum, arthritidem, lactis genesim, suppressionem lochiorum; ac postremo dolores, contusiones, vulnera, ambustiones, &c. concomitantur. Sed in occultis plerumque latent, quæ a plethora, cachexia, bile depravata, scorbuto, lue venerea, scrophulis, affectibus hystericis & hypochondriacis, cruoris æstu, ingluvie, pravis succis & vermibus in tubo intestinali nidulantibus, obstructionibus, purulentia & gangræna internis, stagnationibus, suppressis evacuationibus, eruptionum recessu, lacte devio, viribus exhaustis, animi pathematibus, insolatione, &c. ortum ducunt; de quibus suo loco. Sed hæc omnia hactenus obscure tradita manent posteros, qui in hacce palæstra desudare non gravabuntur.

Haud rectius collinearunt Auctores, qui a perspecto hoc vel illo symptomate futilia & absurda febrium nomina finxerunt. Vix enim intelligitur quid sibi velint per febres algidas, epialas, lipyrias, comatosas, phreneticas, siticulosas, sputatorias, oscitantes, singultuosas, famelicas, anhelosas, anxiosas, asodes, syncopales, vomitorias, torminales, cacatorias, sudatorias, ureticas, colliquativas, &c. Sed hisce deliramentis supersedemus, & ad abstrusiora devenimus; ad examen scilicet *febrium atypicarum*, quibus scilicet nullus est typus, quæ nec ad essentiales, nec ad symptomaticas referri queunt. Neminem enim practicum fugit, dubiam esse invasionem non solum continuarum, sed etiam intermittentium; adeo ut earum natura sub primis temporibus atra caligine obruatur: febres præsertim mali moris, uti infra dicemus, in principio intricatissimæ sunt, nec quandoque in propatulo fiunt, nisi post elapsos 7. aut 12. primos dies: quare fit, ut anxii hæreant, & judicium cohibeant, qui extra vulgus sapiunt, ni publica constitutio epidemica in suppetias veniat. Nec hisce cancellis continentur curantium molestiæ; gravioribus enim premuntur sub examine febrium incongruo regimine, vel præpostera curatione a proprio ingenio desciscentium, alienamque faciem induentium; quæ ideo *febres corruptæ* audiunt. Haud felicius postremo enodantur *febres complicatæ*; dum scilicet sociantur continuæ & intermittentes, essentiales & symptomaticæ, acutæ & chronicæ, &c. quibus anguntur etiam oculatiores; adeo ut sæpe sæpius Œdipo opus sit.

E prælibatis patet quam difficile sit genuinam morborum indolem assequi; nec dilucidius innotescit eventus, quidquid de hac re tradiderit Hippocrates; & dein Prosper Alpinus, qui ejus doctrinam accuratiori methodo referavit: non secus ac innumeri veteres, & nonnulli recentiores, qui huicce vaticinandi arti promovendæ strenuam operam navarunt. Sed unum duntaxat colligere licet e tot inexhaustis laboribus, quod scilicet incertæ sint prædictiones; & ideo caute sit ominandum: hoc est præclarum Hippocratis effatum, qui post maturiores cogitationes propria scripta quasi damnavit, candidæ fidei scriptor. Nonnulla tamen certiora circa instituendam in febribus *prognosim*, tum e vete-

terum recentiorumque monumentis, tum e propriis noſtris obſervationibus eruere licet, quæ breviter, ac diſtinctis articulis in medium proferre, haud abs re noſtra fore putavimus.

Facies, ut a partibus ſuperioribus exordium capiamus, medentium examini primo ſubjicitur: ex hac enim bene perſpecta, varia mortis & ſalutis depromi queunt indicia, quæ ſic ſe habent. Signorum exitialium claſſem ſubit *facies*, ut inquiunt, *Hippocratica*; quam produnt nares acutæ, oculi concavi, tempora collapſa, cutis ſicca & plumbea, &c. Inſuper vultus rubore inaſſueto perfuſus, carotidum validior pulſatio, oculi flammei & torvi, ac demum obtutus fixus & incertus, hæmorrhagiam vel delirium prænuntiant. Lux adverſa (extra variolas & morbillos), viſus hebetudo vel amiſſio, *oculi* immoti, caliginoſi, inter dormiendum ſemi clauſi & convulſi, infauſtum ominantur eventum: e *lacrymis* etiam ſpontaneis, dum cætera in pejus ruunt, mortis auguria deſumuntur. *Genarum* rubor, in acutis, exacerbationis eſt prodromus; alias pulmonum labem denuntiat; præſertim ſi narium alæ ſingulis inſpirationibus moveantur. Vultus ſubtumidus *in morbis* acutis nil mali portendit, *præter* diuturnitatem. Eruptiones pruriginoſæ, alteriuſve ſortis, circa labia, & nares proximum & ſalutarem febris exitum ſpondent.

Nec minus obſervatu digna conſpiciuntur *in ore*; equidem haud levem metum incutit *ſitis* intenſa & clamoſa, vel plane deficiens in acutis; ſed ejus ſubitanea ceſſatio in febribus ardentibus ſummum terrorem, variis cladibus confirmatum, injicit. Tremor *labiorum*, aphthæ lividæ & nigræ, ac difficilis deglutitio, inter prava ſymptomata numerantur. Idem eſto judicium de *lingua* ſicca, ſcabra, quaſi ambuſta; vel fœda cruſta obducta. Innocuus eſt *ptyaliſmus*; imo & ſalutaris cenſetur in variolis, nonnulliſque febribus epidemicis. Nil certi ſtatuere licet de *ſtridore dentium*, etiam extra horrorem & rigorem febrium, ni prius inquiratur, num vigente ſanitate ægrotantibus inter dormiendum ſit familiaris.

Nemo neſcit, ut incœpta *de capite* proſequamur, cephalalgias acerbiſſimas, inſomnia contumaciora, delirium, affectus comatoſos, inſultus convulſivos, & ſtuporem partium pro ſignis inſalubribus & exitialibus haberi. Ubi *delirium* in ſomnolentiam faceſſit; imminet interitus: ſi *convulſiones* majora ſanguinis profluvia excipiant; cogitandum de exequiis. *Hæmorrhagia narium* caput quandoque ſublevat; alias innocua in pleriſque cenſeri debet, dummodo certis cancellis contineatur, ultra quos ſane periculoſæ eſt aleæ. De *aurium tinnitu* parum curant Practici; nec *ſurditatem*, inter vulgatiora febrium mali moris ſymptomata numerandam, magis expavent; præſertim ſi decreſcente morbo contingat. Mentis demum habitus habenda eſt ratio; facilius enim evadere ſegnes & impavidos, quam ingenio præſtantiores & meticuloſos, nemo it inficias: a terrore ſane quidem & pavore exſurgit morborum ilias: quid mirum ſi præſens ægritudo hac de cauſa exaſperetur? Stupendum mentis perturbationum effectum exhibet *canities*, a mortis formidine paucis horis orta, quam pluries ſub hac rerum conditione accidiſſe, teſtantur hiſtoriæ. Hinc patet quanti ſit momenti, ut omnem mœrorem excutiant decumbentes; nec infimum in hoc verſatur curantium munus.

Rite perſpectis quæ capiti congruunt, *ad pectus* deveniendum. Itaque *vox* deficiens & *tremula*, *ſpirandi difficultas*, *ſtertor* & *ſingultus* exitium minantur, nec minus imminet periculum ab anxietatibus circa præcordia, quæ ægros in quovis ſitu excruciant. Haud tamen male ominandum de hac pectoris anguſtia, quæ criſeos vel cujuſdam eruptionis cutaneæ eſt prænuntia. Ad pectus etiam pertinet *pulſus*. Praxeos, ut inquiunt, cynoſura, e quo rite explorato innoteſcit genuinus cordis ſtatus; eruiturque febris & virium ratio, quam maximi eſſe momenti inter vaticinandum, nemini haud obvium. In propatulum venit pulſus frequens & tardus; nec latet quid hinc ſit inferendum; dummodo habeatur ratio ætatis & corporis altitudinis: ſcitur pulſum frequentiorem eſſe ſub infantili ætate; ſed haud omnibus notum tardiorem, cæteris paribus, explorari in proceribus, vel hominibus altioris ſtaturæ. Nec captum humanum ſuperant cætera pulſuum diſcri-

mina, si certis cancellis contineantur. Pulsus igitur medio modo se habens inter plenum & vacuum, vehementem & languidum, durum & mollem; haud levem sanitatis recuperandæ spem parit: de ictuum æqualitate, proportione & ordine, idem esto judicium. Pulsus e contra parvus & contractus, inæqualis & inordinatus, durus & celer, cujus gradum vix assequi licet, morbum graviorem & contumaciorem indicat. Intermittens in morbis acutis saburram primarum viarum sæpius indicat: sub juvenili ætate, & statu, uti videtur, sano, mortem proximam plerumque denuntiat. Si debilior sit & intermittens, atque explorantis tactum fugiat, lipothymia frequentius recurrente, ad ultimum fatum properat æger. Arteriæ spasmo quodam correptæ, vel extra solitum rhythmum vibrantes, nil boni præsagiunt. Pulsus demum, qui sanum mentitur, vel ad naturalem proxime accedere videtur, sævientibus gravioribus symptomatibus, funestum eventum minatur. Huc etiam pertinent *exacerbationes*, quæ nullo ordine vel alternis diebus recurrentes, nil mali præ se ferunt: sed pertimescentur quotidianæ vel ingeminatæ. Ubi vero quarta duntaxat die exsurgunt, diuturnum morbum denuntiant: quod sane quidem prodit affinitatem, quæ uti supra notavimus, inter continuas & intermittentes occurrit. Insuper alia, inter explorandum pulsum, observanda veniunt; nempe insolitus *tendinum subsultus*, qui signum morbi luctuosi audit: tunc temporis etiam patent *cutis ariditas*, æstus vel frigus, e quibus pro re nata, vel aliorum signorum syndrome varia auguria desumuntur. Insolitus demum *manuum tremor*, & incongrua horum motio, pro symptomatibus letho finitimis habentur.

Plura adhuc, ut in orbitam redeamus, eruuntur signa prognostica e rite observato *imo ventre*; cujus inflatio in febribus familiaris, vel intumescentia sub costarum limbum magis conspicua nil mali portendit. Si vero ultra modum exsurgat hæc abdominis prominentia & dolore acerbissimo stipetur, ad ultimam rerum lineam ut plurimum ducit. *Vomitus* ineunte morbo salubris audit: nec metuendum sub aliis morbi temporibus, si foras eliminentur materies viscidæ vel biliosæ: alias periculosus censetur; præcipue incassum adhibitis emeticis & cathartics: imo si erumpat saburra nigra & fœtida; ad tibicines mittere licet. Nil hariolandum de *alvi fluxu*, qui nonnunquam succurrit capiti: haud periculi tamen expers est, si naturæ limites prætergrediatur. Insuper dejectiones involuntariæ; plus æquo serosæ, spumosæ, ediposæ, lumbricis refertæ, cruentæ, nigræ & ultra modum putridæ grave curantibus facessunt negotium.

Quoad *uroscopiam*, de qua accurate disseruit clar. Rega, nemo nescit *parciorem*, vel *suppressam urinam* cum sapore vinoso, capitis gravitate, & sopore, apoplexiam minari; nec minus periculosam esse in acutis, post incautam refrigerationem. *Lotium copiosius*, cum solamine, sub morbis acutis, æque ac in nephresi & hydrope, morbi solutionem indicat; cujus insolitus proventus, cum pingui hypostasi, febrem abire denotat: multum, album & crassum, imminente abscessu, optimum censetur: de diabete suo loco. *Urina fœtida* & *nigra*, cujusvis sit consistentiæ in acutis, vesica non laborante, mortis est prænuntia: similis est ominis, cæteris male se habentibus, *odoris* plane *expers*. Neminem insuper latet, urinam fœtidam evadere ab asparago, allio & aniso; atque odorem violæ contrahere a terebinthina. *Urina limpida*, vel tenuis, & *excolor* in acutis & chronicis, in febribus continuis & intermittentibus, præsertim si primo fuerit saturata, haud levem metum incutit: talis vero in cerebri affectibus siniistri est augurii.

Notum est, quo sanguis est fervidior, eo *urinam* excerni *rubicundiorem*, acriorem & spissiorem; atque lateritiam mingi sub febribus intermittentibus; non secus ac in scorbuto, atrophia, hydrope, &c. *Saturate rubra* inter febrem, cum lingua humida & inappetentia, signum præbet crudioris humoris in primis viis: si vero lingua sit arida, cum calore acri totius corporis; cave phlogosim viscerum. *Flammea* sub febris acutæ principio, morbum brevem, sed dubii eventus indicat. *Biliosa* in acutis periculosa censetur. *Fulva* & tenuis, sub eadem conditione diutius permanens, ominosa. *Saturate flava*, ad nigredinem vergens,

gens, in apyrexia, obſtructum hepar prodit. *Rubicunda* non conſidens, cum ſurditate, delirium minatur; præſertim ſub morbo regio. *Cruenta* in pleuritide & variolis, lethalis. *Rubra*, cum tali ſubſidentia poſt judicationem, recidivam periculoſiorem minatur. Si *fulva* poſt ſolutum a ſudore morbum, ſubſidentiam albam deponat; febris recurrere ſolet, quinto die judicanda. Rubicunda cum florulentia æruginoſa mortem minatur. Si ſubrubra ante ſeptimum diem prodeat, fauſtum exitum pollicetur. Subrubra & craſſa cum tali ſedimento, diuturnos morbos, ſed ſanabiles, indicat. Craſſa & rubra, paulatim fuſa, periculoſa cenſetur. *Mictus cruentus* ſpontaneus a renibus ortum trahit; a veſica vero, ſi comitem habeat ſtranguriam & dolorem in hypogaſtrio. Poſtremo ſcire expedit urinas excerni coloratiores a vehementiori exercitatione, vigiliis, animi excandeſcentia, cibis calidioribus, & inedia: quamdam etiam a beta rubedinem contrahere ſolent.

Urina viridis & nigra, in acutis, gangrænæ eſt prodromus. *Viridis* cum ſedimento craſſo nonnunquam excernitur in anxietatibus, alvi perturbationibus, doloribus iliacis, &c. notante BOERHAAVIO. *Tenuis, livida*, vel virideſcens, cachexiam & menſium ſuppreſſionem patefacit. Viridis in pueritia ſpaſmum minatur. *Atrovireſcens*, morbum regium, febris expertem, ſæpius ſolvit. *Porracea* cum ſubſidentia nigra & furfuracea, lethalis. Scitur præterea, quod a rheo, croco & curcuma flavæ mingantur urinæ, & ab oleribus virides. *Urina nigra* & craſſa, ſi excipias lienoſos, qui pluries intra annum talem fundere ſolent, nil boni portendit; in acutis vero, veſica inculpata, mortis eſt nuntia. *Encorema* nigrum ſub febre phrenitidem minatur: nubecula nigra minus eſt pertimeſcenda: ſed tale ſedimentum periculoſius judicatur. Lotium nigrum in quartana, morbi ſolutionem ſæpius indicat. Nigrum ſub febre maligna inter criſim, nonnunquam proficuum; non ſecus ac in ſolutione delirii melancholici. Urinæ nigræ inſtar atramenti in morbis chronicis, ſæpius proſunt; præſertim lienoſis & melancholicis. Atro-rubræ cum obſcuro ſedimento funeſtum phthiſicis & hydropicis deſignant eventum. Nemo inſuper neſcit, quod a pulpa caſſiæ ad colorem atrum vergant urinæ; eundemque effectum præſtant ſalſamenta. Poſtremo ſcitur, lotium nigricare, vel a cruore vel a bile: ſub primo caſu atro-rubrum obſervatur; ſub altero, atro-viride occurrit. Notare expedit, urinas fuſcas e longinquo adſpicienti ſubnigras videri, & pro talibus ab incautis haberi.

Urina craſſa & turbida, ſub febre, quæ nec igne, nec quiete clareſcit, eſt ominoſa. *Turbida* & confuſa, vel urinæ jumentorum ſimilis, in febribus, morbos capitis minatur; alias vertiginem & affectum ſpaſmodicum prodit. Turbida non alba, ſed alterius coloris, in febribus peſtilentialibus, peſſima. Craſſa & turbida, poſt tenuem & limpidam, in febribus, morbi declinationem ſignificat. Turbida & limoſa, ſub chronicis, ominoſa cenſetur. Turbida, craſſa & albicans in ſanis, cruditatum primarum viarum ſuſpicionem movet. *Lactea* in pueris vermium præſentiam indicat; in adultis vero renum & veſicæ calculum. Urina craſſa & alba, cum ſubſidentia, in morbis articularibus, bona; & ineunte arthritide inſultum breviorem fore indicat. Urinam turbidam, cum ſedimento, poſt nephreſim excerni nemo neſcit. Qui phrenitide & convulſionibus laborant, urinam albam & turbatam mingunt, vel antea minxerunt. Quid cogitandum de *lotio purulento*, ſingulis obvium fit. Tenax & glutinoſum, cum ramentis furfuraceis & ſquamoſis, veſicæ deſquamationem, vel excoriationem indicat. *Urina pinguis* obſervatur in omnibus fere febribus: extra febrem vero præſagit ſcorbutum vel calculos. Urina cum cuticula pingui, & ſedimento rubro, incipiente macie, atrophiam & phthiſim minatur. Conſtat inſuper urinam mulierum eſſe craſſiuſculam; puerorum vero albiorem, craſſiorem, copioſiorique ſedimento, quam ætate florentium. In ſenectute, alba & tenuis cum pauca hypoſtaſi redditur. Neminem poſtremo latet, urinas turbulentas mingi a turionibus aſparagi; & craſſiores evadere ab otio, ſomno longiori, crapula, cibis frigidis, &c.

Sedimentum album, leve & æquale, in acutis, optimum cenſetur; vel criſim indicat. Urina, in acutis, haud ſubſidens,

ſidens, morbi longitudinem, abſceſſum, aliudve infortunium minatur. Lotium, quod poſt intermittentium paroxyſmum non turbatur, peſſimum audit; præcipue ſi intempeſtiva præſcribantur febrifuga; notante Rega. Si *nubecula rubra* quarto die conſpiciatur, morbus ſeptimo judicari ſolet. Urina ſabulum rubrum deponens extra febrem, diatheſim calculoſam, arthriticam, vel ſcorbuticam indicat. *Subſidentia* biliosa, ineunte morbo, acutum declarat. Nubeculæ albæ, bonæ; nigræ vero, malæ: idem intelligendum de enæoremate. Sedimentum nigrum, vel viride, in acutis, peſſimum. Subſidentia flocciformis, prodit catarrhos: farinacea morbum longum minatur: laminoſa & furfuracea mali eſt ominis. Subſidentia mucoſa & tenax, cum dyſuria, veſicæ calculum, vel ulcus indicat: ſcire tamen expedit, quod nonnunquam talis obſervetur, illæſis veſica & renibus. Urina gravidarum deponit ſedimentum inſtar lanæ carptæ. Fallax poſtremo eſt *uroſcopia* ni habeatur ratio ſexus, temperamenti, ætatis, vitæ generis; omnium, uno verbo, circumſtantiarum, per quas urinæ immutari ſolent. Ex his intelligitur, ſummis difficultatibus premi hanc doctrinam, quam ne per ſomnium quidem norunt tot balatrones, quos ſtulte adit infima & inepta plebecula; qui e ſola urinæ inſpectione quemvis morbum, partemque læſam dignoſcere gloriantur; & hac fraudulenta vaticinatione rudem popellum decipiunt.

Inſtituitur etiam prognoſis a bene perſpecto *corporis habitu*: a ſudore nimirum placide vel confertim erumpente, ut plurimum, judicantur febres: ſi deficiat in intermittentibus, pertinaciores fiunt. Nonnunquam in ſymptomatum agmine recipiuntur ſudores: ſi enim febris acceſſionem præceſſerint, mali ſunt augurii: copioſiores per morbi decurſum; continui, glutinoſi, & fœtidi nuſquam periculo vacant: quo magis odore, conſiſtentia, & colore ab ſtatu naturali recedunt, eo magis metuuntur. A ſudoribus poſtremo frigidis, præſertim faciei, fatum accelerari nemo neſcit. Perperam deterrent exanthemata, puſtulæ, aliæque *eruptiones cutaneæ*; cum euphoriam ſæpius accerſant. *Oris puſtulæ*, uti jam innuimus, inter varias febres, ſanitati præludunt: imo & a petechiis ſub febribus malignis haud majus impendet periculum. *Horror & rigor* ineuntibus paroxyſmis vel exacerbationibus febrilibus, nil mali portendunt: ſed ſi plus æquo producantur, morbi diuturnitatem indicant: ubi vero inordinate recurrunt, deliteſcentis purulentiæ ſuſpicionem movent; vel delirium, aliudve graviſſimum ſymptoma minantur. De *frigore* vel horripilatione ab affectibus hyſterico-hypocondriacis; ab atrophia, aut quovis alio diuturno morbo, de quibus alibi, nil addimus.

Nunc proximum eſt, ut *de doloribus*, qui univerſum corporis habitum reſpiciunt, breviter agamus. Itaque dolor febrilis cuivis parti hærens, dummodo a viſcerum labe non ſoboleſcat, nullius periculi eſt particeps: ſed ſi incuſentur infarctus, phlogoſis, purulentia & gangræna; res eſt periculoſæ aleæ. Ubi dolor, cæteris haud melius ſe habentibus, ſubito evaneſcit; brevi ad ſuperos migrabunt decumbentes. Sed rite a febrilibus diſtinguendi veniunt dolores ab alia cauſa oriundi, qui ſæpius ab æſtu febrili exaſperantur: id genus ſunt ſyphilidei, ſcorbutici, rheumatici, &c. qui ſub morbis acutis plus terroris quam periculi inferre ſolent. Hæc ſunt *phænomena febrilia*, e quibus ſalutis vel mortis auguria deſumuntur: ſed alta mente tenendum, ſemper fere incerta eſſe de morbis acutis judicia; quare caute fata canere expedit. Notandum poſtremo circa tradita febrium phænomena, plura occurrere quæ non impediunt quominus ſolita ineatur medendi via; ac nonnulla luctuoſa peculiarem medelam efflagitare; dum cætera mere critica omnem curam reſpuunt. Sed hos ſalubres & ſpontaneos naturæ motus, e quibus curationis ſpes eluceſcit, a genuinis ſymptomatibus, quæ funeris metum incutiunt, rite diſtinguere arduum & difficile; ni accurata teneatur criſium doctrina, quam ideo hiſce generalibus ſubnectere haud incongruum fore judicavimus.

Extra omnem dubii aleam poſitum manet, varia eſſe inter enumerata phænomena febrilia, inexercitatis ſummum terrorem ſæpius incutientia, quæ *criſim* conſtituunt; vel proxime futuram deſignant. Adeo ut aſſe-

asserere minime dubitemus, nullam fere occurrere febrem acutam, quæ quacumque crisi, plus minusve obvia haud judicetur; quidquid obgnanniant nonnulli inter recentiores, qui omnis cunctationis nescii incongrua & intempestiva medicatione omnia subvertere solent. Juxta tamen medicinæ procerum mentem, vel potius secundum ipsiusmet naturæ normam, nil aliud est *crisis*, quam spontaneus laticis morbosi exitus, quam ut plurimum præit molestissimus, sed salutaris humorum impetus; vel quædam in œconomia animali perturbatio, cui avertendæ omnem, maximo ægrotantium damno, operam impendunt incauti; vel novis opinionibus obcæcati: unde minime mirari subit, si plures decumbentes, tam hoc naturæ molimine, quam ab intempestivis remediis in vitæ discrimen trahantur; imo & ad interitum ruant. Multiplici enim & accuratiori observatione comprobatum manet, febres evacutione, per quædam corporis emunctoria, vel quavis eruptione, solvi: hunc scilicet effectum præstant sputa, hæmorrhagiæ, vomitus, alvi fluxus; lotium copiosius, vel variis substantiis refertum; abscessus, bubones, anthraces, efflorescentiæ, vel pustulæ cutaneæ, &c. quibus rapitur jam *subacta* materia febrilis; cujus expulsione omnia compescuntur symptomata. Ubi vero nec absoluta, nec legitima se proferunt hæc naturæ molimina, vel ab statuto tempore deflectunt; morbus protrahitur, vel exasperatur. Quæ, ut dilucidius innotescant; doctrinam dierum criticorum, in quibus scilicet crises contingere solent, referare necessarium duximus.

Dies critici censentur juxta præclarum scientiæ medicæ arbitrum HIPPOCRATEM quartus ab invasione, septimus, undecimus, decimus quartus, decimus septimus, & vigesimus primus. Hinc obvium fit, hasce periodos, diebus $3\frac{1}{2}$ stricte contineri; quod sane minime congruit, uti nonnulli autumarunt, cum superstitiosis PYTHAGORICIS numeris. Nemo nescit varios febricitantes, etiam obstante præpostera curatione, quarto, septimo, undecimo, decimo quarto, &c. die, vel sanitati restitui, vel in orci fauces præcipites dari. Hinc patet (nam unicuique suum tribuere expedit) accuratum esse HIPPOCRATIS computum, quod ad quadragesimum secundum diem, vel ad terminum duodecim periodorum, $3\frac{1}{2}$ diebus constantium, protrahere licet. Patet præterea tertianas legitimas raro ultra septimum paroxysmum, vel circuitum, protelari: febres inflammatorias quarto vel septimo die, ut plurimum, judicari: peripneumoniam quarto die resolutione expediri; vel in suppuratum abire, morbo ad septimum, decimum quartum, imo ad vigesimum primum, producto; febrem scarlatinam, morbillosam, & erysipelaceam numero septenario, ut plurimum, submitti: variolas a tertio ad quartum diem e primo insultu conspicuas fieri; & circa septimum pus confici. Innumeræ demum prostant historiæ febrium epidemicarum, sub quibus sudor, cum euphoria, septimo die erumpebat. Sed in immensum crescere pagina, si omnia harumce periodorum exempla huc attexerem. Unum duntaxat de epilepsia puerorum addere liceat; cujus diuturnitas, juxta nonnullos, penes quos sit fides, septem mensibus, vel totidem annis continetur: ut de catameniis, quorum curriculum quinque septenniis concluditur, fileamus. Hæ sunt sancitæ a natura leges, juxta quas febres sua percurrere solent tempora; quas tamen haud semper assequi, vel animadvertere licet, ob dubiam vel obscuram nonnullarum febrium invasionem, qua sane totus struitur calculus.

Exhinc colligitur, præstituto quodam tempore, materiam febrilem, ab organorum vitalium actione, subigi; & in hac actione versari laticis morbosi, in recessu viscerum deliteſcentis, *coctionem*, a veteribus ultra modum forte decantatam; & a neotericis inconsulto posthabitam. Haud me latet, quidpiam incongrui præ se ferre coctionis vocabulum; sed æris signati, vel publice recepti instar, illud accipiendum putamus. Notare expedit, quod indicata crisium tempora haud semper immutabilibus legibus componantur: cælum enim, anni tempestates, ætas, temperamentum, peculiaris medendi methodus, victus ratio, aliaque innumera, naturæ vires ad hoc opus congruas imminuere vel intendere; & ideo crisim retardare vel accelerare valent. Nonnunquam etiam evenit, ut modo

plane

plane inconſpicuo perficiatur, vel omnino deficiat; quod tamen non impedit quominus ſolertiores practici ad dies criticos attendant; ne intempeſtivo remedio omnia ſus deque vertant: nec ab hocce metu plane immunes ſunt, quoad ſeptimum diem, qui contra criſium doctrinam acrius inſurgunt. Accuratiſſimam de hac re hiſtoriam videre eſt in Lexico Gallico, quod Encyclopædiam vocant; Auctore clariſſimo Bordeu, Medico Pariſienſi celeberrimo.

Hinc obvium quanti ſit momenti apprime noſſe hæc ſaluberrima naturæ conamina, ad ejectionem materiæ morboſæ; ne intempeſtivis remediis perturbentur expectatiſſimæ œconomiæ animalis vires; omniſque præpediatur excretio; vel alia, reluctante natura, moveatur: jure enim fertur *naturam* eſſe optimam *morborum medicatricem*. Sic ophthalmiæ contumaciſſimæ quovis ſpontaneo alvi profluvio ſæpius ſolvuntur: nec alia ratione fugantur febres graviores ab erumpente abſceſſu, in quavis habitus corporis parte; ac pus confectum in capite, hepate, meſenterio, aliove viſcere haud raro evacuatur per renes, vel ſentinam inteſtinalem. Ideo intelligitur quomodo a præpoſtera cura protrahatur morbus vel lethalis evadat; cum devius latex morboſus, denegato proprio incerniculo, in hanc vel illam partem irruat, & lethalem labem ipſi impertiatur, nec rarum eſſe hoc infortunium norunt practici, docentque cadaverum ſectiones. Non ex alio fonte prodit *metaſtaſis*, tum in morbis acutis, tum in chronicis; vel translatio materiæ morbificæ ex una parte in aliam; quæ ſcilicet oberrans intra vaſa omnibus partibus minatur. Sic a ſufflaminata dyſenteria colligitur materia purulenta, vel ſanioſa in variis corporis receſſibus: ſic poſt variolas, morbillos, variaſque febres mali moris, progerminatur abſceſſus in hac vel illa parte: ſic materia arthritica varias partes peragrat; & ab artubus ſecedens in ſinum maſſæ ſanguineæ refunditur, viſceraque ſæpius impetit: ſic in nonnullis ſurditas & dolor iſchiadicus, nephritis & podagra &c. alternatim invadunt: ſic a retro pulſis morbis cutaneis, pulmones, aliave viſcera afficiuntur; ſic a cohibitis catameniis, hæmorrhoidibus & fluore albo variæ ſoboleſcunt ægritudines, priore morbo longe periculoſiores: ſic ab exſiccato veteri ulcere excandeſcit febris, & labefactantur viſcera: ſic eryſipelas, relicta priori ſede, in aliam partem ſubrepit: ſic demum lac ſanguini remixtum, ab ejus accubitu in hanc vel illam partem varias ſtrages edit, &c.

E præfatis conjicere datur, ſalubriorem ſane eſſe ſimplicem medendi methodum; quam in cauto uſu venæ ſectionum, emetico-catharticorum, diluentium, refrigerantium, temperantium, antiputridorum, diaphoreticorum, & ſedantium, de quibus mox ſigillatim agemus, verſari nemo neſcit. Sed delectu opus eſt; cum haud ſemper tuto peragatur curatio ope prædictorum remediorum; quin potius noxam inferre ſoleant; ſi invita vel reluctante natura ſuos effectus edant: nemo enim, niſi rudis & inexpertus, non novit ſtupendas œconomiæ animalis vires, quibus vias ſibi novas invenit, & cudit ad materiæ morboſæ exterminationem. Hinc recte, quo natura vergit, inquit Hippocrates, eo ducere oportet: hac enim poſthabita, nullis vel commentitiis innititur fundamentis remediorum adminiſtratio. Nil forte ſalubres naturæ conatus magis juvat, quam *diæta* tenuiſſima: imo & mera aqua affatim hauſta, dummodo haud ſua *mole* ſtomachum laceſſat; vel a ſex ad *duodecim* libras intra nychthemeri ſpatium propinata; miſſis cæteris potionibus, per tres, quatuorve dies a prima invaſione, orgaſmo febrili egregie occurrit; pluresque obſequioſos, vel huicce regimini aqueo ſe facile præſtantes, exhauſtis morbi viribus, ab orci faucibus eripuit. Conſtat Monachum quemdam Melitenſem aquam frigidiſſimam pro omni potu & alimonia, per triginta dies, & ultra, in quolibet ferme morbo acuto, temerario ſane auſu, ſed felici ſucceſſu, exhibuiſſe. Nec impedit hæc copioſæ aquæ ingurgitatio, vel quiſve largiſſimus potus, quominus tundatur vena, ſi ſanguis nimio impetu feratur, vel plus æquo turgeant vaſa; atque emetico-catharticis depleantur primæ viæ, ſi pravis ſordibus inquinentur. Multiplici experientia edocti, aſſerere minime dubitamus, ſæpius hoc ſolo tenuiſſimo regimine, alias ratio-

ni

ni consono, febrem plane fugari, vel futura symptomata, quibus per decursum exasperatur, leniri: ad summam, morbum quemvis acutum curatu faciliorem evadere. Huic metodo, in omnibus fere morbis saluberrimæ, duntaxat officere queunt vires exhaustæ, debilis infantium habitus, & extremum senium; sub quibus circumstantiis haud opportunus sane foret hic curandi ritus; ni ab alimentis cujuscumque sortis, vigente febre, & ore manente sordido, vires potius morbi quam corporis intenderentur: innoxios esse sub hac rerum conditione fructus optimæ notæ, crudos vel coctos, asserit clarissimus Tissot: sed hanc opinionem, pace tanti viri cum grano salis accipiendam esse censemus. Nemo postremo nescit, quid sit concedendum consuetudini, tempestati, regioni & ætati.

Etiamsi *sanguinis missio*, qua præcaveri queunt infarctus sanguinei, inter primaria præsidia, in febrium curationem adhibenda, jure recenseatur; haud omnibus tamen congruit. Ne minimam quidem opem sæpius præstat; imo & pluries inconsulto repetita summam perniciem inferre valet. Haud dubitare licet, quin febres inflammatoriæ certum venæ sectionum *numerum* efflagitent: nonnullæ tamen occurrunt febrium hujusce indolis constitutiones epidemicæ, sub quibus, notantibus Huxhamo, aliisque celebrioribus practicis, qui illas confidentius forte adhibebant, nocentissimæ deprehenduntur, præsertim erga bilioſos, qui numerosas venæ sectiones ægre ferunt: nec licet in febribus cujuscumque generis venam tundere per totum morbi stadium: sanguinis enim missio post tertium vel quartum a primo insultu diem, raro nisi in casu urgentiori proficua censeri debet; quod alta mente teneant clinici, ad venæ sectionem procliviores, si ægrorum saluti consulant & nobilem aucupentur famam. His circa venæ sectionem traditis addere juvat, quod parum aut nihil inferre liceat ex autopsia sanguinis nunc fluidi, nunc compacti; cum quotidie a perspicacioribus observetur, quod sanguis guttatim diffluens crustam densiorem efformat, quam is qui in arcum profilit; & sanguinem ejusdem sectionis, sæpius exhibere in prima patella coagulum densissimum, & in alia nullum; vel vice versa. Pro comperto enim manet apud exercitatiores medicos, sanguinem phlebotomia eductum variam nanciscì consistentiam, non solum a jactu valido, vel stillicidio; sed etiam a majori vel minori inflicto vulnere; a vasis, in quod recipitur, planitie vel altitudine; ab aeris diverso caloris & humiditatis gradu; a loco in quo asservatur; ab agitatione vel quiete, aliisque consimilibus, quæ stupendam mutationem in sanguine, a quovis corporis vase misso, efficiunt.

Ultra omne dubium positum esse videtur, pace nonnullorum illustrium secus sententium, quod *emetico-cathartica*, sub prima morbi invasione, incunctanter exhibita, dum primis viis prospicere expedit, præsentaneam opem ferant; posthabita enim hac evacuatione in morbis acutis, febris singulis venæ sectionibus incandescit; eo quod depleta vasa liberiorem ingressum concedunt pravis digestionum reliquiis; quod bene notandum. Sed aliter se res habet per morbi curriculum, intra quod summa cautela præscribi debent hæc evacuantia, nisi absoluta coctione; dum scilicet organa obsequiosiora evadunt, vel pristinam flexilitatem recuperant: concocta enim medicari oportet, non cruda, inquit Hippocrates; & lege cautum est medica, ne quid moliatur clinicus ante præviam hancce humorum spontaneam elaborationem: non solum enim inanem operam ludunt, qui, præmature exhibitis *cathartici*s, alvum ducere tentant; sed sæpissime inconditos motus cient, vel turbas concitant, vix paregoricis compescendas. Hæc est antiquorum medicinæ procerum doctrina, quotidiana praxi confirmata, quam posthabere haud citra piaculum licet: hanc sane sectantur solertiores & præjudiciis liberi; dum novis opinionibus obcæcati &, nil in febribus præter putriditatem circumsonantes, in contrarias, maximo ægrotantium damno, ruunt partes. Nec hanc controversiam dirimendam esse censemus, ni prius probe perpendantur præcipue horumce medicaminum vires. Equidem in duplicem scopum institui catharsim, ration & experientiæ consentaneum videtur; primo scilicet, ut pravi succi, materies putri-

dæ, vel ipſamet bilis depravata, in ſtomacho & tubo inteſtinali nidulantia, foras eliminentur; ne per vaſa lactea ad ſanguinem appellentia, ipſi labem inferant, & febrem periculoſiorem vel contumaciorem excitent; ſub hoc conſpectu extemporanea illius ſaburræ evacuatio ſalutaris, & neceſſaria cenſetur: & ideo ineunte morbo, nulla mora interpoſita opportunam eſſe ſupra innuimus: ſecundo, ut latex morboſus ſanguini & humoribus confuſus ad ſentinam inteſtinalem amandetur: ſed hæc materia prius organorum actione eſt ſubigenda, ut propriis compedibus ſolvatur, & ad purgationem ſequacior evadat; vel facilius ſubtrahatur: alias hunc laticem elabi minime ſinunt vaſa; huncque coercent organa, conſtrictione ſpaſmodica correpta & catharticorum ſtimulo obſurdeſcentia. Hinc minime mirum, ſi incaſſum hanc excretionem moliantur clinici, priuſquam concoctionis notæ ſe prodant; atque intempeſtiva hac medela graviora exoriantur ſymptomata, quæ ſummum incautis faceſſunt negotium.

Neminem latet, ut propoſitum perſequamur, latiſſimum eſſe in febribus *diluentium* & *temperantium* uſum. Scitur hæcce præſidia, in ſingulis morbi temporibus proficua, efferum ſanguinis motum compeſcere, humores impactos fluxiliores reddere, flacciditatem organis conciliare, & ſecretionibus favere. Nullum eſt dubium, quin *inedia* ab omnibus medicis, tum veteribus, tum recentioribus jure celebrata, plus æquo minime protracta, graviores morbos, acutos vel chronicos, ſuperaverit. *Aqua ſimpliciſſima*, uti jam innuimus, decantata munia fauſte obire valet; atque ptiſanas, ni fallor, apozemata & juſcula, ad hunc uſum parata, antecellit; cum prædicta medicamina ab ipſamet aqua, uti ſupra inculcavimus, præcipuas vires mutuentur. Haud deſunt tamen, qui aquam, ut inquiunt, crudam reſpuunt; unde fit, ut in hoc caſu, nonnullis herbis temperantibus, aliquantulum imprægnetur, vel ipſi addantur ſaccharum, mel, ſuccus limonum, ſyrupus, &c. Cremor panis tanquam alimentum tenuiſſimum, cæteris præſtat; præſertim ſi juſcula e carnibus parata averſentur ægri. Pluris etiam habentur in foro medico *refrigerantia* & *antiputrida*, quæ humorum ferociam coercent; impetum ſanguinis frangunt, huncque laticem a putredine vindicant, ac præcipue medentur internis ignibus, quibus ſæpius exardeſcunt viſcera: *diaphoretica*, cum cognatis, egregiam opem præſtare queunt, ſi febris ad ſudorem vergat; alias caute cum illis mercari expedit; & cavendum ne illa ſuadeat hypotheſis. Nec tutius adhibentur *narcotica*, ni ſolerti manu tractentur: etenim ſtuporem organis vitalibus inducendo, nonnunquam impediunt quominus ſubigatur materia morboſa, & ad exitum ſollicitetur: ſæpius etiam, horum medicaminum actione, a propria indole deſciſcunt morbi & larvatam ſpeciem præ ſe ferunt, qua decipiuntur inexercitati. Scitur inſuper quod hiſce remediis in furorem ſæpiſſime rapiuntur phrenetici, vel ſopore lethifero corripiuntur.

Hæc ſunt *medicamina generalia*, quibus febres profligari ſolent: pro votis ſuccedunt, ſi parca & cauta manu exhibeantur; & mandata fatorum reſcindere liceat, exitialia vero evadunt, ubi majori copia, & indiſcriminatim ab imperitis præbentur: nullus enim ambigendi locus, quin truculentiora morborum ſymptomata ut plurimum artis, naturam præpoſtere ſubvertentis, opus cenſeri debeant. Idque potiſſimum, monente SYDENHAMO, incumbit medico, ut torpentes naturæ conatus excitet, vividiores moderetur, effrænes coerceat, inordinatos dirigat; ac demum debite procedentes intempeſtivis remediis nequaquam turbet. *Simpliciora* cæteris palmam præripiunt: nec immerito exulant noſtra ætate illæ formulæ tot ingredientibus, quorum pleraque mutuo colluctantur, inſulſe refertæ, & ad meram oſtentationem concinnatæ; quæ ſcilicet imperitiam potius quam doctrinam ſapiunt. Quid mirum? ſi ſalubrioribus naturæ viribus officiant tot incondita, & intempeſtiva remedia, invicem contranitentia; & ipſomet morbo magis reformidanda, tot clades & funera poſt ſe trahant. Væ ſane miſeris ægris, qui ineptis polypharmacis ſe committunt, & quidquid delirant, plectuntur. HOFFMANNUS, innumerique primi ſubſellii ſcriptores hancce luctuoſam praxim claris verbis damnarunt; & hu-

& hujuſce inauſpicatæ methodi Auctores atrocioribus forte conviciis lacerarunt. Hippocrates nil ferme præter victum tenuem in morbis acutis novit. Ettmullerus potui mere aqueo, primis morbi temporibus, inhærebat. Baglivius contra medicaminum multiplicem uſum & farraginem acriter inſurgit; atque aſſerere minime dubitavit, vehementiora ſymptomata, potius ad pravam medelam, quam ad morbum eſſe referenda. Nemo neſcit haud aliter ſenſiſſe clariſſ. Redi, Cocchi, alioſque primi ſubſellii medicos. Prædictis animadverſionibus conſonant Sanctorii obſervationes graſſante peſte. Nec refragatur famigeratiſſ. Sthal, qui multiplici experientia edoctus, nil ad ſenectutem properans, præter tantillum ſalis commiſſis ægrotantibus præſcribebat. Clariſſ. demum Lobb, ut cæterorum monita & teſtimonia miſſa faciamus, in hanc tralatitiam medendi methodum plus æquo forte ſævit; cum nec venæ ſectionibus, nec emeticis & catharticis parcat. E quibus colligitur atra & impervia caligine obrui naturæ morboſæ phænomena; & ideo arduum & confragoſum eſſe Medicinæ iter. Hæ ſunt artis anguſtiæ, quas *minime* ſuſpicantur tot imperiti, qui *genuinam* medicinam ne quidem a limine ſalutarunt, & pecorum ritu aliorum veſtigia calcant: ſed minime latent artis proceres, qui ætatem inter ægros conſumpſerunt: nec forte aliud eſt laboris & doctrinæ præmium.

FEBRIS CONTINUA SIMPLEX.

Synocha non putrida, ephemera, continens, &c. etiam vocitatur. Pro febre putrida mitioris indolis, vel infimi gradus a quibuſdam perperam habetur; cum nullam putredinis, nec coctionis notam præ ſe ferat; etiamſi peculiari quadam criſi, vel ſpontanea evacuatione ſæpius judicari videatur. *Ephemera*, vel diaria nuncupatur ob ejus ſtadium nychthemeri ſpatio plerumque coercitum, & rarius ad plures dies protelatum. Continentis titulum ſibi vindicat apud veteres, eo quod illam remiſſionis & exarcebationis expertem eſſe exiſtimarunt; quod ſi ad accuratius examen revocetur, haud ſemper veritati conſonum deprehenditur. Poſtremo *courbature* apud vulgus audit; & a Gallo-Provincialibus vocatur *mourfondamen*, quod nomen vernaculum morbi ingenium & cauſam felicius exprimere videtur. Sub prima invaſione vix diſcrepat a cæteris febribus *continua ſimplex*; imo & ab illis tum diſtingui poſſe plane negat Hippocrates. In contrarium pugnat Galenus; aſſerens hancce febrem haud dubiis ſignis ſe prodere. Si hancce litem inter tantos viros componere fas eſſet; utrumque a veri tramite aberraſſe facile credidiſſem. Nullus ſane ambigendi locus quin ægre quandoque innoteſcat hæc febris ſpecies, alias vulgatiſſima, & raro ultra triduum perennans; ſed ſæpius certis indiciis in propatulum venit, uti a ſequenti adumbratione patebit.

A quodam frigore exordium ut plurimum capit; uti ſolemne eſt in omnibus ferme febribus acutis: frigus nonnunquam tremulum excipit æſtus, in adoleſcentibus & vegetis quandoque intenſiſſimus: pulſus plenus & æqualis exploratur. De capitis, lumborum, alteriuſve partis dolore ut plurimum conqueruntur ægri. Sæpius erumpunt efflorescentiæ puſtuloſæ: ac demum ſudore vel hæmorrhagia ſolvitur continua ſimplex. Inſuper uno quaſi tenore ſua percurrit tempora; nullis exacerbationibus, pravioribuſque ſymptomatibus exaſperatur: nec ultra aliquot dies protrahitur, raro ad ſeptimum accedens. His addere juvat, quod cæterarum febrium prodromi; ciborum ſcilicet faſtidium, laſſitudines ſpontaneæ, &c. hic plane deficiant: hæc eſt Lommii obſervatio, noſtra praxi pluries comprobata. Nil certi revera arguit hujuſce febris ſtadium; cum plane conſimiles occurrant febrium intermittentium paroxyſmi; ſed diverſa eſt utrarumque ſolutio, cum febris ephemeræ finis, teſte Galeno, brevis & expedita ſit, nullaſque reliquias poſt ſe trahat; dum intermittentium paroxyſmi ſenſim delentur, etiam ultra abſolutum ſudorem. Attamen minime reticendum obſcuriora nonnunquam eſſe hæc indicia; cum, præter intermittentes, nonnullæ occurrant febres ſymptomaticæ, quæ ephemeræ ſpeciem præ ſe ferunt; adeo ut, deficientibus ſignis pathognomonicis, anxii hæreant etiam exercitatiores; ni morbi in-

dolem ab antecedentibus, vel a genuina decumbentium constitutione expiscentur. Ad ephemeræ indolem proxime accedit febris lactea puerperarum, de qua suo loco.

Animi pathemata, vigiliæ ultra modum protractæ, labor improbus, insolatio, aeris inclementia, ingluvies, inedia insolita, &c. inter vulgatiores hujusce febris *causas* jure numerantur. *Ad ephemeram proni* censentur adolescentes, vegetiores, laute victitantes, atque ab omni cura soluti. Notavit Forestus, sacris addictos, ab Antistibus ad Monachos, ad continuam simplicem esse proniores; quæ periculo vacat, ni præpostera medela a proprio ingenio deflectat: illud enim alta mente tenere debent inexercitati, rariſſime hic profutura esse artis præsidia; quin potius haud levem noxam sæpius inferant: quod apprime norunt experti, qui soli congruo victus regimini committere solent curationis negotium; quo scilicet brevi extra aleam ponuntur ægri.

E quibus facile colligitur præcipuam hujusce febris *medelam* meris naturæ viribus absolvi, futilemque esse omnem opem medicam; ni vehementior sanguinis æstus, vel pravæ sordes in primis viis nidulantes, aliaque accidentia, nonnulla efflagitent præsidia; inter quæ primatum ducunt venæ sectio & emesis; quæ etiam a nonnullis de natura morbi dubitantibus, haud inconsulto in usum trahuntur. Sed ut plurimum sola diæta, vel diluentibus & temperantibus, res tota peragitur: nec despicienda mitiora diaphoretica; si incusetur præpedita perspiratio: proficua etiam censentur refrigerantia & nitrosa, dummodo nulla sit ad sudorem propensio. Alvus interea servanda est libera; catharticis tamen minime sollicitanda, nisi post febris decessum; nec semper hac purgatione opus est. Hisce cancellis minime continentur, qui scientiæ medicæ elementa desidioso delibarunt animo; quin potius de gravi morbo susurrantes, credulis adstantibus terrorem incutiunt: ideoque sanguinem liberali manu ducunt; & medicamina cujusvis sortis, vel validiora præpostere adhibent; quibus scilicet nonnulli fatiscunt ægri; dum alii solis œconomiæ animalis viribus morbum, intempestivamque curationem superant: nec inexpectato morbi exitu, perturbari sinunt pseudo-Medici; quin potius perfricta fronte hunc felicem eventum suæ egregiæ medendi methodo adscribere minime dubitent.

FEBRIS CONTINUA PUTRIDA.

Quid sit intelligendum per *Synocham putridam*, ex intricatissimis veterum scriptis vix definire licet. Nec dilucidius innotescit ejus prosapia, quam in quadam humorum, ad alkalescentiam vergentium, labe versari conjicitur. Quidquid sit de abditissima illa causa, extra omne dubium positum esse videtur, quod exhinc emergat latex quidam morbosus, naturæ viribus subigendus; ut per varia corporis emunctoria foras eliminetur; atque hæcce qualiscumque defæcatio, vel purgatio genuinum hujusce febris characterem exhibet; quam ideo *febrem depuratoriam* nominavit Sydenhamus, de praxi medica bene sane quidem meritus, qui accuratam variarum constitutionum epidemicarum historiam, paululum forte contractam, litteris consignavit.

Rem acu se tetigisse putant, qui *putriditatis* vocabulo decepti, veram in hacce febre humorum corruptelam excogitarunt; huic opinioni nonnihil faventibus sudore, dejectionibus, & ipsomet lotio, vigente morbo, graveolentibus. Sed tales excretiones simillimum odorem spirantes observare licet in aliis febribus diversæ indolis; ubi ne minima quidem exsurgit humorum in vasis putrescentium suspicio. Nonnulli, quibus minime arridet hæc hypothesis, quamdam purulentiam in ipsismet sanguinis receptaculis commenti sunt; hisce ducti rationibus, quod urinæ & sputa puris naturam sæpius redoleant; quod a vero plane alienum putamus. Nec felicius collineant, qui dissolutionem sanguinis putridam suspicantur; hisce rationum momentis, quod sanguis sæpius in hocce morbo sua claustra transiliat, & hæmorrhagias crebro recurrentes promoveat: præterquam quod phlebotomia eductus hic latex brevi putrescere videatur. Nec minus allucinantur, qui totam putredinem intra tubum intestinalem recondi contendunt; quod, ut ipsis

ipsis visum fuit, a teterrimo fœcum alvinarum odore abunde probatur.

Sed hæc sunt mera *commenta*; cum nusquam concipere liceat quomodo hoc morbo correpti, cum notis evidentioribus illius præconceptæ sanguinis corruptionis, non solum ad mortem minime properent, sed etiam in integram sanitatem brevi restituantur: quandoquidem omnem salutis spem excludere debeat vera sanguinis & humorum putredo; haud sane discrepans a mixti interitu; quod nec naturæ viribus, nec arte medica restitui potest. Insuper nemo nescit plures vegetiori sanitate gaudentes, insignem, vel omnibus invisum, fœtorem ore & corporis habitu spargere. Adde quod, si ad vegetabilium familiam attendamus, innumera occurrant, quæ pessimum odorem exhalant, salvo naturali & integro contextu: quid impedit igitur quominus viventium latices solutionis vel corruptelæ expertes, huncce characterem induant? Nec desunt denique Scriptores, qui gangrænam, hanc febris speciem concomitari solitam, pro certissimo latentis putredinis indicio habent; quod experientiæ plane adversatur: constat enim nihil efficacius corporum putredinem arcere quam ipsummet frigus; quo tamen intensissimo, gangræna, vel ipsamet sideratione, quasi illico corripiuntur animalia; quod phænomenum cunctis obvium funditus, ni fallor, hanc evertit opinionem.

Notare tamen juvat, annuente clariss. Van-Swieten, quod sanguis & humores hac febre labefactati, ubi vitali calore orbantur, non secus ac partes sideratæ, ad putredinem sint procliviores: nemo enim nescit, sanguinem & urinas in catillis & matulis sibi relicta brevi putrescere: nec mirum si Ballonius se in cruore educto, pluribus elapsis horis, vermium myriades observasse asseruerit. Hanc humorum alkalescentiam etiam produnt corporis æstus, oris graveolentia, sudoris, urinæ & fœcum alvinarum fœtor. His addere lubet, cadavera hoc morbo denatorum celerius putrefieri; adeo ut horum conspectum vix ferre valeant, qui illis perscrutandis incumbunt. Sed nil hinc inferendum; cum hæc omnia notanda occurrant in variis subjectis, ne minimo quidem prævio putredinis indicio. Hinc patet quanti sit momenti congrua nomina morbis imponere; cum ex illo fonte innumeri prodeant errores, ipsismet ægrotantibus lugendi: etenim constat illud *putredinis* vocabulum jampridem fuisse imperitorum confugium, qui quamvis obviam reconditæ indolis febrem, meram esse putridam haud cunctantes pronuntiant.

Huicce febris speciei *obnoxii* censentur sanguinea temperie præditi, & opipare viventes; qui scilicet ambiunt alios amystide vincere: sæpius etiam invadit intempestivo post pastum labori incumbentes; nec parcit vino & veneri indulgentibus. Aliarum febrium instar, a rigore & horrore orditur *continua putrida: primam invasionem* plerumque concomitantur nausea & vomitus, cum interaneorum dolore; cephalalgia, somnolentia vel delirium. Hæc excipit æstus intensior, qui dein paululum mitescit; iterum postea invalescens. Pulsus sub primis temporibus æqualis & mollis exploratur: durus subinde & inæqualis, cum tendinum subsultu, & cute sicca, deprehenditur. Exarcebatio singulis diebus exsurgit; & alternis recrudescit. Cæterum periodis, 7 vel $3\frac{1}{2}$ diebus constantibus, ut plurimum submittitur; adeo ut decimo quarto, vel vigesimo primo judicari soleat.

Præter dolorem capitis gravativum, ultra modum sæpius, per morbi tractum sævientem, alia exsurgunt procellosa *symptomata*; sopor nempe, vel vigiliæ pertinacissimæ, delirium, convulsiones & hæmorrhagiæ exitiales. Dolores non solum in lumbis & artubus, uti solemne est in cæteris febribus, defiguntur; sed etiam pectori & hypocondrio dextro insident. Nil addimus de illis, qui a viscerum infarctu, & phlogosi oriuntur, vel a quovis morbo chronico soboleſcentes, ex una parte in alteram serpunt, & ideo febriles exasperant. Spirandi difficultate & febre in dies ingravescentibus, & in eadem ratione versantibus, ægrotantium res in deterius ruunt. Interim vires obruuntur, subsiliunt tendines, & majorem exercent sævitiem anxietates. Os graveolens fœda amurca inquinatur; lingua primum muco obducta, tandem scabra & nigricans evadit. De angina spuria nonnulli conque-

run-

runtur, vel quodam ptyalismo corripiuntur. Lotium nunc flammeum, nunc limpidum, vel turbidum conspicitur; sed absque sedimento ante decimum quartum diem. Turgent hypocondria & totum tumet abdomen: ultra modum denique fœtent dejectiones alvinæ; vel lumbricis scatent. Ex hac signorum, vel symptomatum syndrome abunde patet febrem, de qua in præsentiarum, luctuosam evadere; vel ad malignam proxime accedere: quare minime mirum si plures utramque habuerint pro uno eodemque morbo: attamen putrida, si a sua indole minime deflectat, citius percurrit sua tempora, quæ raro ad trigesimum vel quadragesimum diem protelantur. Insuper quævis cerebri & nervorum læsio per totum malignæ curriculum producitur; dum temporaria & fugax in putrida observatur. Depuratio demum in hac postrema familiaris, plane desideratur in maligna.

Hic plurimum confert doctrina *Crisium*, ni intempestivis remediis fatiscant œconomiæ animalis vires; & omnia sus deque se habeant. Salubriores & vulgatiores excretiones fiunt per renes & cutis spiracula: sed harum nonnunquam vices explet hæmorrhagia. Urina circa decimum quartum diem turbida, quiescens materiam quamdam fæculentam elabi sinit; & omnia tunc temporis mitescunt symptomata. Sudores critici eodem ferme tempore, vel paulo tardius erumpunt; si citius prodeant, nil boni spondent, ni fœtidi euphoriam quamdam accersant. Expectatissima sunt sanguinis profluvia, dummodo tamen certis cancellis coerceantur. Nonnunquam etiam sputis viscidis, crassis & albicantibus hæc perficitur depuratio; sed allucinantur, qui illa purulenta esse autumant; quos etiam haud absimilis naturæ esse urinarum fæces albicantes falso sibi persuasisse supra notavimus. Quod ad vomitum attinet, raro conducere, etiam criseos tempore, quotidiana testatur experientia: magis confert imminente crisi, diarrhœa; nec nociva censetur circa morbi declinationem: alias pro ominoso habetur fusior alvus, præsertim serosus. Nil demum certi statui potest de sanguine venæ sectione ducto, nunc fluido, nunc compacto; de eruptionibus erysipelaceis, pustulosis, &c.

E Cadaveribus hoc morbo peremptorum cultro anatomico subjectis, pauca notanda eruuntur. Nonnullas tamen læsiones interrimanda viscera conspicere licet; id genus sunt vasa sanguine atro & fæculento turgida; *concretiones*, ut inquiunt, *polyposæ* in cordis thalamis, quæ inter mortis luctamina efformari videntur; infarctus & phlogoses diversi gradus; ac demum putredines, tum purulentæ, tum gangrænosæ, pulmones, hepar, omentum, mesenterium, intestina, &c. deturpantes: quibus addere licet stagnationes serosas alteriusve sortis tam in capite quam in pectore & abdomine. De vermibus etiam, nunc solitariis, nunc in intestinorum gyros confertim collectis, mentio subjicitur. Sed hæc extispicia enucleandæ febris putridæ naturæ imparia videntur, cum mera exhibeant producta morbosa; vel tralatitias illas læsiones, omnibus ferme affectibus communes, duntaxat prodant; ita ut genuina morbi, de quo in præsentiarum, causa perscrutantium oculis se subducat.

Una aut altera venæ sectione, si nil obstet, inchoari solet hujusce febris *curatio*; ut declinentur scilicet infarctus phlogodei, qui grave sæpius clinicis facessunt negotium. Sed summam noxam inferunt numerosiores sanguinis detractiones, *quibus* vires organorum, ad morbi solutionem summe necessariæ, labefactantur: quidquid in contrarium adducant, qui genuinum morbi characterem ne quidem subolfaciunt. Summam, depletis vasis, opem præstat emeticum, quo everruntur pravæ digestionum reliquiæ, cum saburra biliosa, vel quævis sordes in primis viis nidulantes; e quibus prosapiam ducit alvi fluxus indomabilis, quo per integrum morbi tractum haud raro conflictantur ægri, sæpiusque divertuntur sudores critici, uti ex sexcentis observationibus constat. Nec minus forte pertimescenda nimia alvi adstrictio, cui enematibus congruis, vel mitioribus laxantibus, occurritur: genuina enim cathartica solitis peragendis muniis imparia censeri debent, ni organa stimulanda, obsequiosiora fiant, & humores morbidi, e tubi intestinalis parietibus eliciendi, prævia coctione ad purgationem sequaciores evadant; quod raro, ut supra innuimus, ante decimum quartum diem contingit. Porro sum-

mas

mas laudes merentur diluentia, temperantia, & nitrosa, quæ sanguinis impetum retundunt, alvumque sæpius subducere queunt: pluris habetur cremor tartari, cujus repetitæ doses alvum etiam blande solvunt. Nec minus deprædicantur antiputrida acida, tum mineralia, tum vegetabilia; cum nil forte efficacius ad præcavendam humorum alkalescentiam, quæ abjecta omni hypothesi, haud dubiis signis sub hocce morbo se prodit, & a commentitia putredine summe discrepat. Multis circa finem morbi optime cessit corticis peruviani usus; quo vires organorum morbo fatiscentium restitui valent. Nonnunquam etiam conducunt cardiaca & diaphoretica: ubi scilicet naturæ conamina subigendæ materiæ morbosæ imparia videntur. Summa cautela in usum trahi debent narcotica, præsertim ante decimum quartum morbi diem; ne morbum quod velamine obtegant: sed tutius exhibetur camphora, quæ, præter vim coercendi spirituum ferociam, sanguinem & humores a quavis putredine vindicat. Si demum symptomata a læso cærebro oriunda per morbi curriculum diutius protrahantur, vel ultra modum sæviant; capiti admoveri queunt animalia viventia secta; vel in eumdem scopum adhibentur pediluvia; quæ topica minime sunt despicienda; cum, experientia teste, plures fausto bearint eventu: sed nil forte caput citius sublevat quam sinapismi & vesicatoria cruribus vel plantæ pedum imposita: eamdem ferme opem præstant cucurbitulæ, quæ, nescio quo fato, ab usu fere recesserunt.

FEBRIS ARDENS.

Causus audit apud veteres; ac nonnunquam etiam *Lipyria* vocitatur: cætera nomina recensere futile & incongruum fore judicamus. Haud multis parasangis distat febris ardens a putrida: facile tamen distinguuntur prædicti morbi, vel conterminí; si propria utriusque signa haud perfunctorie perpendantur. Febris, de qua in præsentiarum, præter graviora, quibus stipatur symptomata, comitem habet æstum intensiorem, quo quasi extorrentur interanea: præterea morbus est acutior, vel celerius sua percurrit tempora; cum circa septimum diem, imo & citius judicetur; ac raro ad decimum quartum protrahatur. Sed notare expedit, varias occurrere febres symptomaticas, biliosas nempe, inflammatorias, vulnerarias, &c. quæ ardentis faciem quadantenus referunt; quarum tamen alii sunt prænuntii, absimilis fit progressus, & plane diversum annotatur stadium; ut e sequenti febris ardentis adumbratione abunde patet.

Rigore & horrore, vel *frigore tremulo* adoritur hæc febris species: hunc statum excipit calor acer & mordax, præcipue internus, cum nonnunquam hoc vigente frigeat corporis ambitus: e quo symptomate emersit febris lipyria veterum. Pulsus primo durus & frequens, in dies inordinatus & debilis, cum defectu virium, observatur: exacerbationes quotidianæ diebus imparibus ingravescunt; atque ut plurimum prævio quodam frigore invadunt; adeo ut duplicis tertianæ typum præ se ferre videantur: imo & quamdam esse affinitatem inter utrumque morbum plures haud falso suspicantur; cum in nonnullis constitutionibus epidemicis, non nisi post aliquot præcessos intermittentes paroxysmos se proferat febris ardens. Interea, ut in orbitam revertamur, urget sitis, nullis refrigerantibus compescenda; circa quam notare expedit, plures tanta oris ariditate premi, ut fluvium epotarent; qui tamen, accedente delirio, haud amplius sitiunt, licet aquam videant: os æstuans, amarore inficitur; arescunt lingua & labia, quæ sensim nigredinem contrahunt, & variis fissuris deturpantur. Cephalalgia acerbissima torquentur ægri, vigiliis contumacissimis excruciantur; delirio, affectu comatoso, insultibus epilepticis, aliisve gravioribus symptomatibus affliguntur. Nonnulli bilem æruginosam evomunt vel inferne dejiciunt; ac tanto quandoque impetu per utramque viam profilit bilis, ut ad ipsum choleram morbum accedat hæc evacuatio: imo & acrior ac excandescens bilis, caustici instar, œsophagum & podicem quasi exurit. Hinc perspicuum fit, quanti sit momenti, ut hicce latex foras eliminetur; ne sua mora, vel appulsu ad sanguinem, summam inferat perniciem. Ex hoc fonte prodire videntur cardialgiæ & anxietates nulla

arte

arte leniendæ, lipothymiæ luctuosæ, singultus contumaciores, phlogoses exitiales, tum ventriculi & tubi intestinalis, tum hepatis, pulmonis, &c. In quibusdam urget spirandi difficultas; renitent hypochondria, vel totum abdomen in tumorem molestissimum attollitur. Doloribus erraticis internis & externis nonnulli conflictantur. E vehementiori impetu, quo sanguis suos volvit vortices, hæmorrhagiæ emergunt exitiales, vel crebro recurrentes. Urinæ flammeæ & lateritiæ conspiciuntur; vel quales ab ictericis minguntur. Cutis, in febribus malignis livida, subflava hic deprehenditur: sudore nullum levamen conferente plerumque madet, atque variis efflorescentiis, & exanthematibus signatur.

Animi pathemata improba, vigiliæ diutius protractæ, labores immodici, edulia acria, vel acuti saporis, vinum & aquæ ardentes, &c. hunc morbum progignere solent; suam symbolam conferentibus ætate vegetiore, temperamento cholerico, cæli constitutione & anni tempestate. In genuinam malignam quandoque facessere videtur febris ardens; vel maligna primis diebus ardentis faciem præ se fert. Vomitus & alvi fluxus circa quartum aut septimum diem erumpentes salubriores & critici censentur. In ancipiti versatur judicium de urinis, raro alias sedimentum deponentibus: nec certiora eventus indicia a sudoribus & hæmorragiis desumuntur. Convulsiones demum, delirium, lethargus, impedita deglutitio, parotides, sputa cruenta, anxietates, singultus, urina nigricans, vel sanguine tincta, sudor faciei, &c. inter exitialia symptomata, nemine refragante, numerantur. Plures hoc morbo correpti ad ultimum factum properant; tertio scilicet vel quarto die; rarius vero septimo rapiuntur. Si ulterius proteletur morbus, haud levis eluescit salutis spes; præsertim in adolescentibus, qui hujusce morbi sævitiem facilius ferunt quam senes. Nec semper res est in vado post absolutum hujusce febris stadium; cum nonnunquam facessat in genuinam intermittentem, ægre fugandam; vel in febrem lentam, quæ ægrorum ærumnas protrahit, illosque ad ultimam rerum lineam sæpius ducit.

Plura, ut ad *extispicia* deveniamus, exempto cranio, notanda occurrunt in capite; nempe phlogoses, purulentiæ & putredines, tum in ipsa cerebri substantia, tum in ejus involucris, plexus choroides vascula distenta & varicosa exhibet: obvia demum fit serosa, vel sanioſa colluvies tam in anfractibus, quam in aliis cerebri receſſibus. Eamdem ferme labem recondit pectus: conspiciuntur nimirum stagnationes ichorosæ & purulentæ non solum in utraque pectoris camera; sed etiam in ipsomet pericardio, quod cæteroquin diversimode læditur: cernuntur pulmones livore affecti, tabidi, infarcti, maculis gangrænodeis consperſi, & partibus ambientibus accreti. Cor corrugatum & tabe quasi consumptum, pericardio accretum & purulentum deprehenditur; ejus thalami & auriculæ sanguine fæculento, concreto, vel, ut inquiunt, polyposo, replentur; hinc fit, ut in immensam molem sæpius assurgat prædictum viscus. Patefacto abdomine, hepar purulentia & putredine cum notis gangrænosis contaminatum invenitur: interdum colore croceo intus & extus imbutum, ac mole ampliſſimum annotatur; adeo ut a sursum repulso diaphragmate, cavum pectoris anguſtius evadat: alias skirrosum, durum, contractum, corrugatum, nigricans, vel plumbeum in conspectum venit; ut nil addam de hærentiis morbosis cum viciniori-bus partibus. Patet vesicula, nunc exinanita, nunc bile porracea, vel nigricante plus æquo turgens; & proximiores partes a transudante latice coinquinans; spurios demum lapides diversæ molis recondens. Eadem ferme vitia, sed rariora, in renibus aliisque viscеribus observantur; non secus ac fœdissimæ stagnationes. Vasa postremo in venam portæ coeuntia, sanguine picis instar nigerrimo turgida, passim oculis subjiciuntur.

Conducit *venæ sectio* primo invasionis die, si nil obstet: sed haud ultra progrediendum; ni urgeant phlogosi, & plethora; cum repetitæ sanguinis missiones, recte notante clarissimo Van-Swieten, vehementiora symptomata, vel ipsasmet convulsiones, uti mihi observasse contigit, etiam nondum sufflaminato sanguinis per phlebotomiam rivulo, accersere soleant. Ab illis igitur abstinere expedit, quidquid in contrarium addu-

adducant nonnulli clinici, qui ad adstantium nutum se componere solent; & nusquam, dummodo ægrorum fidem sibi concilient, ab infausto rerum exitu deterrentur. Hic obiter notandum, quod turpiter allucinentur, qui, sanguinis detractione, spontaneorum & criticorum sanguinis profluviorum vices explere perperam sibi persuaserunt: cum centies in singulis morbis observatum fuerit magis proficere hæmorrhagiam quamcumque criticam, quam numerosas venæ sectiones: adde quod hæmorrhagia in hacce febris specie sit ut plurimum exitialis. Emetica, etsi magis proficua, non nisi summa cautela exhiberi debent; mitioraque sunt eligenda, & copioso potu diluenda; alias ab hocce stimulo ulterius excandescit sanguis; solidaque ad contractiones spasmodicas proniora evadunt; ac uno verbo currenti calcar additur. Haud dissimili ratione, si ad bilem exuperantem evocandam purgatione opus sit; manna, cassia & tamarindi in sero lactis, vel jusculo pulli, cæteris catharticis palmam præripiunt. Haud tutius usurpantur enemata stimulantia; quin potius sola demulcentia cum lacte, butyro, oleo amygdalarum dulcium, sero lactis, &c. parata injicere liceat. Hypnotica, quæ prima fronte congruere videntur, ob suavissimam animi lætitiam, qua perfunduntur insomnes, hic angue pejus sunt fugienda. Idem esto judicium de cardiacis, etiam prostratis viribus, cum sub hoc casu minime deficiant; sed duntaxat obruantur. Haud me fugit plures scripsisse, se felici successu prædicta remedia exhibuisse: sed usu receptum, uti pluris inculcavi, ut semper quicunque vel præposteræ curationi faustum morbi exitum insulse referant auram popularem captantes: nemo enim nescit, plures ægros morbum & incongruam medendi methodum, solis naturæ viribus superare. Postremo pluris jure habentur, in hujusce febris curatione, diluentia, refrigerantia & acidula; quorum salutares effectus facile enodantur: nec exiguam laudem merentur nitrosa, quæ tanquam sedantia in subsidium opportune vocantur. Serum lactis vel aqua pulli, quæ pro omni potu primis diebus præcipi solent, præsentaneam opem ferunt. Nec despicienda julapia acida, succus limonum aqua temperatus, emulsiones, aliaque id genus sub æstuantibus humoribus summe proficua. Quoddam ultimo juvamen afferunt magnesia alba, aliaque absorbentia; quæ bilis in abdomine debacchantis efferos motus compescere queunt.

FEBRIS MALIGNA.

QUid sibi velint Auctores per febrem malignam, vix eorum fusioribus scriptis patet: nec dilucidior est praxi incumbentium mens; cum pro nutu & arbitrio varias febres reconditæ indolis, dummodo gravioribus stipentur symptomatibus, hoc nomine insigniant: adeo ut hicce morbus pro mero problemate, extricatu difficillimo, haberi queat. Ab accurate tamen perspectis signis & symptomatibus, facile, ni fallor, innotescit hujusce morbi teterrimi genuina indoles. *Malignitatis* verbum, licet absurdum, admittere lubet, ne a trita via recedamus: sed absit ut, imperitorum more, huncce characterem impertiamur cuivis obvio morbo mali moris, vel insuetis & gravioribus symptomatibus stipato; aut præpostera curatione, degenere; curandi ritus ab hacce præconcepta opinione, maximo ægrotantium damno, ut plurimum eruatur: recte enim notavit SYDENHAMUS magis forte exitiale fuisse mortalibus commentitium *malignitatis* vocabulum, quam pulvis pyrii inventum. Justa tamen antiquorum mentem has duntaxat febres sic vocitare licet, in quibus naturæ vires obruuntur; adeo ut nec pulsus velocitas, nec symptomatum vehementia, morbi perniciei consonent; quasi clancularias vitæ strueret insidias: unde minime mirum, si plures ægri, clinico omnis metus experte, ad fatum properent. Nec tamen omnes hujusce sunt commatis febres malignæ; cum plures occurrant, quæ suam in propatulo exercent sævitiem; uti *febres castrenses*, vel *ungaricæ*; atque nonnullæ epidemicæ procellosæ; quæ scilicet se produnt æstu intensiori & validiori pulsu, variisque symptomatibus summum terrorem incutientibus. Eamdem ferme faciem nonnunquam præ se ferre febrem ardentem jam supra inculcavimus: quare minime mirari subit, si plures inexperti hanc pro illa inconsulto habue-

habuerint. Sed absimilis est harumce febrium periodus; febris enim ardens sua citius percurrit tempora; ac ut plurimum intra septem dies continetur; dum maligna nusquam ante vigesimum primum solvitur, & plerumque ad quadragesimum & ultra protrahitur: cæterum epidemica grassatur & per contagium propagatur hæc postrema; a qua, gradu duntaxat, discrepare videtur pestis, cujus historiam dilucidioris methodi gratia mox seorsim trademus.

Ultra omnem dubii controversiam positum esse videtur, febrem malignam, quæ plerumque epidemice grassatur, magnamque stragem edere solet, præcipuam *sedem* habere *in cerebro & nervis*; quorum munia, hac vigente, nusquam lucida perstant, nec sub alio conspectu a cæteris febribus rite distingui potest. Haud tamen, ut verum fatear, generi nervoso parcunt aliæ febres ad certum gradum devectæ: sed læsiones exin oriundæ fugaces & temporariæ, vel mere symptomaticæ occurrunt; dum perstant per totum malignæ decursum. Hujus veritatis argumentum eruere licet ex ipsismet subjectis, quorum plerique mœrore, qui, uti nemo nescit, est malorum ferax, conficiebantur, ærumnis conflictabantur, vel inopia aliisque angustiis premebantur, priusquam in hunc morbum inciderent. Nec mirum, si mente affecta, vel lymphata, ad hancce febris speciem sint procliviores; cum neminem ferme lateat summam noxam corpori inferre cujuscumque sortis animi pathemata vehementiora; & hinc oriri morbos truculentiores, ægre præsidiis medicis expugnandos. Narrant historici, quemdam postero die patibulo affigendum, intra noctis spatium, ob ingentem terrorem, mortisque proximæ formidinem, canum factum fuisse; quod sane prodit stupendum mentis imperium in omnes partes; cum intra brevissimum tempus tantam mutationem concitet in parte sicca, & sensationis experte. Innumera demum prostant exempla, non solum morborum procellosiorum, sed etiam mortis subitaneæ a terrore, mœrore & tristitia; non secus ac a summa animi lætitia. Alias tamen, ut in orbitam revertamur, *causas evidentes* recensere licet, nempe solutam vivendi normam; ac præsertim immodicum carnium usum; vel harum, non secus ac piscium, putrescentiam, qua nihil virulentius excogitari potest; aerem inquinatum nosocomiorum, carcerum & navium; putrida paludum effluvia, &c. quibus diversimode afficitur, vel in consensum trahitur systema nervosum: ut de febribus alterius notæ, intempestiva & incongrua medicatione ad malignitatis gradum evectis, quales haud ex se extitissent, sileamus.

Raro derepente *invadit* febris maligna: sed lassitudines spontaneæ, vel membrorum stupor, dolor capitis gravativus; insomnium, vel molestus & turbulentus somnus; os inquinatum, cum lingua muco obducta & subalbicante; nauseæ & anxietates, frigoris & caloris vicissitudines, &c. sunt vulgatissimi hujusce febris prænuntii: imo & sic se res habet per plures dies; raro per hebdomadas; dum scilicet morbus delitescit; vel dubiis obscurisque signis se prodit; donec in propatulum veniat, & ægri decumbere cogantur. Tunc temporis horrore & rigore, uti solemne est in omnibus fere febribus, plerique corripiuntur: hoc frigus tremulum excipit pulsus frequens, cum calore mitiori; adeo ut morbi pernicies adhuc lateat, ni constitutio epidemica malignitatis suspicionem moveat. Nonnunquam tamen summum terrorem incutit prima invasio, quam graviora concomitantur symptomata, nempe hypothymiæ, affectus comatosi ab insultu apoplectico vix absimiles; convulsiones, cholera & sævissimi interaneorum dolores, qui colicæ hepaticæ vel nephriticæ faciem præ se ferunt. In quibusdam epidemiis haud se profert febris maligna, nisi post varios febris intermittentis vel remittentis paroxysmos, nullo ordine recurrentes, vel præter modum protensos. De aliis invadendi modis nil addimus; cum accurata horum enumeratio nostram potius historiam obscuraret, quam elucidaret; uti patet ex scriptis eorum, qui hanc materiam penitus exhausisse videntur.

Procedente morbo ulterius prosternuntur vires; sæviunt dolores acerbi & contundentes per universum corporis habitum. Caput deleterio afflatum nutat; ingruit cephalalgia immanis, cum molesta carotidum pulsatione, capitis tremore & visus hebetudine. Nonnulli sævissimo, in fundo orbitæ, dolore; aliove solitario per varias partes

tes serpente plectuntur: oculi suo splendore destituti, lumen refugiunt. Facies livido, plumbeo & fœdo colore inficitur: ac non raro erumpit hæmorragia narium vix cohibenda. Interea mens obnubilatur, vel mortis formidine perturbatur. Insomnes ægri falsa rerum simulacra sibi objiciunt, & absurda deblaterant, imo & furore perciti compedibus sunt constringendi. Nonnulli in stuporem & lethargum incidunt; adeo ut verbis se expedire nequeant, & soluto morbo asserant se nil doloris per totum morbi decursum percepisse: alii tremore & convulsionibus corripiuntur. Lingua primum muco albescente obducta arescit, & exasperatur; nigricans quasi adusta, hiulca & tremula conspicitur. Os sordidum fœtet; torrentur labia, a faucibus asperis impeditur deglutitio, reserantur salivæ fontes; impeditur respiratio; sæviunt cardialgiæ, quas sæpius sequuntur lipothymiæ, cordis palpitationes, molestissima corporis jactatio, &c. *Pulsus* plerumque languidus, debilis, inæqualis, vel inordinatus, cum tendinum subsultu, observatur; nonnunquam a naturali vix recedens, vel vehementior & velocior deprehenditur: exacerbationes semel, vel bis, singulis diebus, sed statis temporibus minime insurgunt.

Abdomen, raro doloris expers, per totum morbi decursum prominet; ac sæpius ultra modum distenduntur hypochondria. Urinæ nunc ubertim fluunt, nunc ægre subeunt propria incernicula; vel in vesica coercentur: in nonnullis a nativo colore minime recedunt; in aliis tenues, subalbicantes, flammeas vel saturato-rubras, nigricantes, & confusas se præbent: tetrum quandoque odorem exhalant; raro vero subsident: sed notare per transennam expedit, quod ab illarum vel accuratiori examine nil certi de eventu statui possit. Bilis a propria indole degener, vel excandescens, varias in abdomine turbas concitat; hinc nauseæ, vomitus, alvi fluxus, cardialgia, anxietates, singultus, tormina, &c. Alvus solvitur insciis ægrotantibus, qui urina & fæcibus sese, lectumque conspurcant: dejectiones summe fœtunt, atque lumbricos nonnunquam devehunt. Num *dysenteria epidemica* & exitialis inter febris malignæ assecias sit numeranda; vel mor-

multum controvertitur: & adhuc sub judice bus audiat per se, ad malignitatem vergens, lis est. Facile tamen crediderim, ne asymbolus videar, hunc morbum implicitum meram esse dysenteriam gravioribus symptomatibus stipatam, vel malignitatis, ut inquiunt, participem: variolas enim, morbillos, febrem catarrhalem, &c. eadem nota in nonnullis constitutionibus signari nemo nescit. Sudores, raro salubres, tanto proventu in quibusdam erumpunt, ut plures clinici, hoc symptomate decepti, febrem, de qua in præsentiarum, ad sudorem Anglicum perperam referant: summum in plerisque fœtorem spargunt; quandoque frigidi occurrunt, &c.

Alia observatu digna conspiciuntur *in cute*; petechiæ nempe, vel maculæ exiguæ, nec asperæ, nec prominentes, vel morsui pulicum plane similes; quæ per totum corporis ambitum, exceptis facie & manibus disseminantur: serius ocyus quarto scilicet, septimo, nono, undecimo, vel decimo quarto die erumpunt prædictæ maculæ, a crisi plane alienæ, & post triduum sensim extinguuntur, & in plerisque evanescunt: tanto sæpius agmine pectus & dorsum occupant, ut his quasi coadunatis cutis intense rubeat; sed nulla ex harum accessu salutis vel mortis auguria desumuntur: si tamen latiores, lividas & nigras se præbeant, res periculosæ est aleæ. Aliud est eruptionis genus, quod miliare vocant, & a pravo calidiori regimine, annuente SYDENHAMO, promoveri solet: sunt pustulæ quædam exiguæ vesiculares vel crystallinæ, & per totum corporis habitum dispersæ; quæ primo pellucidæ, dein albescunt: hinc fit, ut incongruo purpuræ albæ (*pourpre blanc*) nomine salutentur. Sudores ut plurimum excipiunt prædictæ papulæ; ac tardius quam maculæ petechiales; vel nullo servato ordine per totum morbi curriculum efflorescunt: comitem habent pruritum; & serosum quemdam laticem elabi sinunt: diutius quam petechiales protrahuntur; & pluries in morbi decursu recurrere queunt: tum auram frigidam caveant ægri, qui plerumque, dum ad necessaria erigere corpus gestiunt, animo linquuntur. In nonnullis demum constitutionibus epidemicis pustulæ miliares,

res, & exanthemata febrilia, simul vel alternatim, prodeunt.

E præfatis colligere licet, nil ex hisce eruptionibus febrilibus, mere symptomaticis, circa morbi indolem inferendum esse; & ideo perperam distingui *febres purpuratas*, *petechiales* & *miliares* a cæteris malignis: quin potius hæ efflorescentiæ symptomaticæ pendere duntaxat videantur a certo caloris gradu, & a quodam sudoris proventu; vel a præpostera curatione; quod multiplici experientia fretus satis superque probavit clar. DE HAEN; aliave qualibet causa, quæ nostræ subtrahitur indagini; cum, uti supra innuimus, faciei & manibus, aeri frigido magis patentibus, parcant: dum ex adverso eruptiones essentiales, quæ morbi scilicet characterem produnt; ut varioloſæ, morbilloſæ, scarlatinæ & erysipelaceæ, non solum universum corporis habitum adoriuntur; sed confertim ingruunt in faciem & manus. Insuper neminem latet, exanthemata petechialia & miliaria, in aliis morbis, vel febris expertibus, se offerre; ac utraque sæpius conspici in variolis, febre ardente, dysenterica & catarrhali. Scitur præterea pustulas miliares familiariores esse puerperis; e gravi morbo convalescentibus, &c. Nec hisce cancellis continentur febris malignæ symptomata cutem respicientia: nonnulli enim decumbentes de pruritu, nulla patente efflorescentia, conqueruntur: in aliis obvia fiunt erysipelata, exanthemata cum phlyctænis, alteriusve sortis, maculæ gangrenoſæ, &c. erumpunt postremo parotides, quæ ægré in suppuratum abeunt; exsurgunt anthraces, &c. Hæc sunt vulgatiora hujusce febris *phænomena*, quibus bene perspectis expiscatur morbi indoles.

Febrem malignam cæteris acutis diuturniorem esse jam inculcavimus; sed nulli computo submitti potest hujusce morbi stadium; cum ægre sæpius discernantur exordium & finis. Asserere tamen nil vetat, hancce febris speciem nusquam ante vigesimum primum diem judicari, & vulgo diutius protelari; nempe ad quadragesimum, sexagesimum & ultra: unde allucinantur, qui se vidisse febrem malignam septem dierum asserunt; quæ forte nil aliud erat, quam febris ardens gravioribus stipata symptomatibus. *Ægrotantium ærumnæ* sæpius morbo decrescente exasperantur; imo & ipsis gravius portendit periculum: si enim febris circa hæc postrema tempora solito contumacior domari recusat; metus est, non secus ac a tumorum retroversione, ne materiæ morbosæ reliquiæ ad viscera irruant; ac congestionem purulentam in pulmonibus, hepate, mesenterio, &c. deponant. Alia impendent infortunia, etiam sublato morbo; nonnulli enim memoria plane orbantur, nec sui ipsiusmet nominis recordantur; dum alii immemores duntaxat fiunt omnium, quæ in morbo contigerunt. Quidam per quoddam tempus, vel per totum vitæ curriculum desipiunt: plures surditate aliquandiu conflictantur, vel cæcutiunt. Sunt qui in febrem hecticam, aliosque affectus chronicos curatu difficiles, & tædio molestos, delabuntur. Præterea malignam excipit in nonnullis constitutionibus febris intermittens, tertiana simplex vel duplex; solitis præsidiis ægre cedens. Nulli demum ex hoc morbo evadentes pristinæ sanitati brevi restituuntur; sed tædio insuperabili, ærumnisque diuturnis conflictantur; nec desunt qui, licet incolumes, animum despondent; antea impavidi, dum mors erat in propinquo. Aliud postremo imminet periculum, quod versatur *circa* morbi reditum; qui præsertim respicit illos, qui ineunte valetudine e recta vivendi norma deflectunt.

Ut recta instituatur *prognosis* in hoc ancipiti affectu, præteritis in memoriam revocatis, habenda est ratio virium, tum mentis, tum corporis: quo minus enim debilitantur, eo major salutis spes affulget; sed a pavore & terrore, ab animi abjectione, vel inexpugnabili mortis formidine, infaustum ducitur omen. Pro varia etiam corporis conditione, e sanguinis & humorum labe petita, diversum eruitur præsagium: periculosior enim hæc censetur febris, si scorbuticum invadat; hanc ægre superant cachectici, &c. Hisce præmissis generalibus, ad accuratius symptomatum examen deveniamus. Visus obnubilatio, tremor linguæ, molesta deglutitio, aphthæ lividæ, &c. morbi perniciem & diuturnitatem arguunt. Nil mali portendit surditas, quæ successu temporis sponte evanescit:

scit: nec pejoris est ominis cæcitas; sed plures visum nusquam recuperant: prodest ptyalismus; nec minus conferunt pustulæ circa labia, decrescente morbo, erumpentes. Falsa salutis auguria desumuntur a calore miti; a pulsu ad naturalem accedente; ex urina citrina ab illa sanorum haud absimili; cum plures, his sic se habentibus, e medio brevi tollantur. In vitæ discrimine versantur, qui inscii se permingunt; qui noctu diuque inepta effutiunt, floccos legunt, lintea attrahunt, &c. Alvus plus æquo soluta, vel constricta haud levem metum injicit: dejectiones lientericæ, cruentæ, subnigræ, vel supra modum fœtidæ grave curantibus facessunt negotium. Petechiæ vel pustulæ miliares subatræ, vel solito citius erumpentes haud levem terrorem inferunt; ab earum vero retrocessu subitaneo lethum imminet. Hæmorrhagiæ, quovis tempore accedant, funestum præsagiunt eventum, variis cladibus confirmatum. Postremo nemo nescit, singultum, lipothymias, convulsiones, delirium obscurum & triste, inconditas manuum motiones, affectus comatosos, præsertim post phrenitidem, &c. symptomata esse letho finitima. Nonnulli ultimum fatum subeunt circa septimum morbi diem: in aliis numero pluribus a duodecimo ad decimum quintum accedit; rarius vero ad quadragesimum. Quoad crisim; neminem practicum fugit imparia esse huic movendæ in hoc morbo naturæ conamina: quid tamen simile circa septimum diem in nonnullis observatur, sed illud inchoatum opus nusquam absolvitur; quod tamen non impedit quominus alvi fluxus naturæ limites non prætergrediens, & urinæ sedimentum præbentes maximum in quibusdam epidemiis juvamen præstent. Idem esto judicium de sudoribus, præsertim si roscido perspirationis halitu madeat cutis. Nec minor quandoque spes affulget a parotidibus; circa quas notatu dignum occurrit, quod prædicti tumores ad resolutionem vergentes sint, vigente febre maligna, contra consuetum rerum ordinem, cæteris auspicatiores. Abscessus extus erumpentes criseos vices etiam supplere valent: sed interni ratione situs ægrum ut plurimum conficiunt, vel tabem accersunt; ni materia puris per tracheam, tubum intestinalem & vesicam egressum sibi paret; sed merum hoc est naturæ opus, ac nulla arte promovendum; e quibus omnibus prolatis colligere datur, fortunatiores ægros haud citra molestissimos labores, & summa pericula, emergere.

Paucas naturæ scrutatoribus suppeditant observationes *extispicia*, cum ut plurimum nil spectatu dignum occurrat: vel cadaverum sectiones, pro summo fœtore, aut contagii metu, raptim & festinanter instituantur. Nihilominus phlogoses & abscessus pluries exhibuit caput apertum, tum in interioribus cerebri claustris, tum circa hujusce visceris ambitum; non secus ac stagnationes sanios as & purulentas in cerebri anfractibus, aliisque recessibus; non secus ac in cavitate tympani post soporem, & surditatem. Eadem vitia, sed rarius in pectore conspiciuntur: pulmones a nativo colore recedentes varias maculas lividas & gangrænosas exhibent; ac putredine nonnunquam confecti, tactu facile rumpuntur. Cor nil vitii præ se ferre videtur; sed cruor intra ventriculos, auriculas & majora vasa coacervatus, nunc fluidissimus & quasi solutus reperitur, nunc crassus & in concreta, ut inquiunt, polyposa abiens: in nonnullis inflammatum, pustulosum & gangrænosum occurrit prædictum viscus. Abdominis viscera crebrius labefactata observantur: epiploon putredine absumptum oculis sæpissime subjicitur; quam labem haud raro impertitur hepati, lieni, aliisque visceribus, quibus annectitur. Cystis fellea bile atro-viridi ultra modum tumet; qua etiam scatent ventriculus & intestina. In immensam molem, ut plurimum assurgunt hæc postrema viscera, quæ etiam phlogosi & exulcerationibus tacta conspiciuntur; vel maculis gangrænodeis afficiuntur, & eschara deturpantur; in nonnullis subjectis siderata intestina dilacerantur, ac fæcibus alvinis egressum largiuntur. Postremo, hoc morbo extinctorum cadavera ultra modum intumescunt, & maculis atropurpureis latissimis ab obitu defœdantur, brevi putrescunt & teterrimum odorem spargunt: hinc minime mirum, si perfunctorie introspectis visceribus, sepulturæ tradenda cito relinquantur.

Quo-

Quoniam obscura est febris malignæ invasio; ægrotantes imminentis periculi nescii, raro primis diebus, vel nonnisi post certum morbi progressum opem medicam efflagitant; unde fit, ut plures cura prophylactica, quæ in diæta tenuissima vel mere aquea potissimum versatur, defraudentur; qua tamen morbus quasi in ovo nonnunquam suffocatur: etenim multiplici experientia nobis compertum manet, varios, grassante hac febris specie, supra traditis morbi prodromis commonefactos, diæta tenuissima, cæli mutatione, vel simplicioribus & generalibus remediis imminentem morbum declinasse, & plane incolumes evasisse. Ad efficaciora properandum, ubi in propatulo se sistit febris maligna: haud tamen una & eadem *curandi methodus* cunctis congruit; cum sæpius urgentibus symptomatibus sit obtemperandum; vel epidemiæ grassantis indoli sit attendendum; cum neminem expertum lateat, has constitutiones epidemicas raro sibi similes observari. Jam diu invaluit mos, ut prædictæ febris medela sanguinis missione ineatur; de quo tamen dissentiunt Auctores. Hanc ut plurimum proficuam censemus, si vires ferant: sed haud nisi summa cautela iterari debet; etsi inflammatio, dolores acutissimi, delirium & spirandi difficultas illam suadere videntur; nam pluries nobis observasse contigit, quod ab illis repetitis morbus truculentior evadat, imo & fatum acceleretur. Saphenæ sectione impeditum caput sublevari vulgatissima fert opinio; sed negant Sydenhamus, Van-Swieten, aliique exercitatiores practici; quibus assentitur accuratissimus rerum morbosarum scrutator Pringle, qui tradidit numerosas venæ sectiones inanem opem conferre in delirio; quin potius illud sæpius exsuscitent, tam sub febre maligna, quam in aliis speciebus. Si quid de hac re in medium adducere liceat, multiplici experientia edocti asserere minime dubitamus, quod delirium a saphenæ sectione sæpius exacerbetur, nedum compescatur. Sed præconcepto, & tralatitio judicio obsistere, in casu ancipiti, arduum sane & difficile videtur: hinc fit, ut nonnulli clinici propriæ famæ, potius quam decumbentium saluti, consulentes, (quidquid de hac re censuerint) adstantium præjudiciis, vili & abjecto animo, haud cunctanter subjici patiantur; & misellorum ægrotantium vitam hujusce periclitationis discrimini committere minime recusent.

Vomitoria post primum morbi incessum, præmissa sanguinis missione, inter præstantiora remedia recenseri debent: quorum opebilis e suis propriis conceptaculis exprimitur; vel foras egeritur saburra in primis viis nidulans, quæ alias brevi cum chylo, vehiculi vices explente, ad sanguinem appellens, per omnes vasorum orbes distribuitur; & summam, inter morbi curriculum, perniciem infert. Pluries nobis fuit facultas observandi in nosocomiis, grassante febre maligna, quantum discrimen ab adhibito, vel posthabito hoc præsidio emergeret; quod, ut verum fatear, omnem ferme fidem superat. Imo & emeticum, delapso opportuno tempore, vel in quavis morbi ætate, usque scilicet ad decimum vel duodecimum morbi diem & ultra præcipere minime dubitabat Sydenhamus. Nec latet praxi edoctos, quod plures somnolenti, circa morbi acmen, vel supremum gradum, hocce remedio, omni alia spe præcisa, ex orci faucibus evaserint. Imo & expedit sub hoc urgentissimo casu, stomacho huicce stimulo obsurdescente, ut majori dosi exhibeatur, vel pluries repetatur, donec suum effectum exeruerit, vel saburram bilioſam expulerit. Hæc est clava Herculea, qua sæpius evincitur hæc dira febris species: nec ab hacce auspicatissima methodo recedunt solertiores clinici; ni plane obstet peculiaris, sed rarissima, morbi grassantis indoles; quod nonnunquam se vidisse in quibusdam epidemiis asserit clar. de Haen, forte plus æquo addictus opinioni Boerhaavii, qui emeticorum usum in acutis rarius adhibebat.

Laxantia, cassia nempe, tamarindi & manna, quibus sociatur cremor tartari, crebro elapsis septem primis diebus usurpari queunt: ab illis tamen abstinendum ineunte quacumque eruptione; vel ubi nonnulla se produnt signa imminentis inflammationis in abdomine: sed nusquam posthabenda enemata emollientia, per totum morbi decursum proficua. Genuina vero *cathartica* nusquam sunt propinanda, nisi de-

decreſcente morbo; quo tempore, etiam repetita, fauſte adhibentur. Haud deſunt tamen, qui novis hypotheſibus ducti in contrariam ſententiam abeunt; & vetuſtiſſima medicinæ præcepta, haud ſine maximo ægrotantium damno, convellere gloriantur. Conducunt abſorbentia & anthelmintica, ſi ſaburræ acidæ, vel verminoſæ progeniei quædam moveatur ſuſpicio. Sed pluris habentur per totum morbi tractum diluentia, temperantia, & nitroſa; quæ ferum humorum impetum compeſcunt, & variis excernendis laticibus vehiculum impertiuntur. Summe demum deprædicantur acidula, & antiſeptica; aqua ſcilicet, vel priſana ſpiritu ſulphuris aut vitrioli impregnata; qua forte nil efficacius reperitur ad impugnandam alkalinam ſanguinis, & humorum labem. Circa hæcce poſtrema præſidia notare juvat, familiarem & ſaluberrimum olim fuiſſe aceti uſum apud milites Romanos, ad avertendos morbos caſtrenſes; qui ante inventum illud prophylacticum ſummam ſtragem in exercitibus edere ſolebant.

Decantatiſſima ſunt, ut incœpta proſequamur, *cardiaca & alexiteria* in curatione febrium malignarum; id genus ſunt vinum generoſum, theriaca, aliæque confectiones ejuſdem commatis; lilium Paracelſi, ſalia volatilia ex animalium familia deprompta, &c. ſuas ſane laudes merentur in nonnullis febribus mali moris hæc remedia; materiæ morboſæ per cutis ſpiracula elutriandæ apta: ſed haud cunctis, uti autumat inſulſa plebecula, congruunt: opportune ſæpius catharticis ſociantur; vel in uſum trahitur kermes mineralis, qui utrumque effectum præſtare valet. Pro paregorico & antiſeptico exquiſitiori habetur camphora, præſertim acidis nupta. Egregie ſe gerit ſal ſedativum, vigente delirio: ſed caute ſunt uſurpanda *narcotica*, etiam ſævientibus doloribus & urgente alvi fluxu: præterea horum uſu ſub hoc rerum ſtatu, ſpirituum impetum rariſſime reprimi, imo & delirium exacerbari, jam ſupra innuimus. Hinc infida cenſeri debent hæc, apud veteres celebratiſſima, antidota, theriaca nempe, mithridatium, orvietanum, &c. quæ præcipuas vires mutuantur ab opio. Cortex peruvianus a nonnullis, inter quos eminet clar. DE HAEN, ſummis laudibus extollitur; ac non ſolum vis antiſeptica ipſi adſcribitur; ſed etiam alexiteria & diaphoretica: ab aliis tamen tanquam nocivus abdicatur. Si hæc lis ad noſtræ experientiæ examen revocetur; raro profuturum eſſe hoc remedium ſub noſtro cælo, ni ſolertiſſima manu tractetur, aſſerere minime dubitamus: ſummam revera opem conferre poteſt, imminente gangræna; dummodo haud plus æquo incandeſcat ſanguis: alias cum illo caute mercari expedit; nec opinor quemquam fore apud noſtrates, qui hoc vadum ſæpius tentare audeat; ni febris maligna poſt vigeſimum diem in legitimam intermittentem abeat; vel ultra quadrageſimum protracta, ſed mitior, ratione ordinis exacerbationum ad intermittentes accedat: utrumque obſervari in nonnullis conſtitutionibus epidemicis nemo neſcit. Injurius ſane forem erga laudatum Auctorem, ſi morborum hiſtorias, quas candida fide tradidit, in dubium revocarem: ſed num fauſtus eventus poſt exhibitum ſtupenda doſe corticem peruvianum, inter vigentem febrem malignam, huicce præſidio, potius quam aliis remediis vel naturæ viribus referri debeat, jure, ni fallor, ambigitur.

Veſicatoria, ut ad *externa* deveniamus, dummodo bilis haud plus æquo excandeſcat, pone aures, ſcapulis, coxis vel cruribus admota, haud exiguam laudem merentur: cum plures, qui pro mortuis lugebantur, horum beneficio veluti ab inferis remearint; materiam enim morboſam ad caput irruentem quaſi alliciunt, hinc fugatur delirium, abigiturque ſomnolentia. Sed omni ope enitendum, ut exhinc oriundæ colluviei expurgatio diutius protrahatur, inflictum vulnus notiſſima arte fovendo: alias levem vel inanem opem conferunt prædicta topica; quibus ſuccedaneæ ſunt ſcarificationes, in prominentia a cucurbitularum applicatione exorta celebratæ. Saluberrima præſertim hæc utraque audiunt præſidia, poſt eruptionum febrilium retroceſſum, quo morbum exaſperari, gravioremque metum incuti, neminem latet: ſub quibus circumſtantiis, acetum quoddam ſaccharo-camphoratum intus exhibendum proponit clariſſ. VAN-SWIETEN; circa quod vide prædicti Auctoris *Medicinam Caſtrenſem*. Hirudines temporibus admotæ, citius & tutius ipſiſmet

met venæ sectionibus, cephalalgiam atrociorem compescunt. Eadem munia obire valent pediluvia, non secus ac sinapismi, aliave cataplasmata stimulantia plantæ pedum imposita. Dolores demum in tumente abdomine sævientes, topicis emollientibus vulgatissimis leniri nemo nescit. Coronidis loco addere juvat, quod nil magis febris malignæ, aliarumve mali moris, curationi officit, quam aer inquinatus: hinc patet, quanti sit momenti, ut sæpius renovetur, vel quocumque alio modo emendetur. Imo & expedit, ut non plus æquo inter lecti cortinas includantur ægri; & sub stragulis quasi sepeliantur: quin potius pulvinaribus dorso & capiti substratis identidem sedeant; vel lecto, si vires ferant, eximantur; bono demum esse animo jubeantur.

PESTIS.

STrage horrenda, contagio summum terrorem incutiente, & eruptionibus peculiaris notæ, a cæteris acutis sat distinguitur nefandus hicce morbus, & reconditissimæ indolis, quem plures cælitus dimissum autumant. Varias formas induit *pestis*, non solum in diversis epidemiis, sed etiam sub una & eadem constitutione; adeo ut accuratam illius *descriptionem* tradere arduum sane & difficile: quod abunde patet ex historia pestis, quæ anno 1720 dirum in modum Massilias depopulabatur, & totam ferme Gallo-Provinciam peragrabat; quam jubente Ludovico XV, publici juris fecit clar. Senacus Archiatrorum Comes. Hanc ferinam luem in quosvis obvios se spargentem, cordi & nervis infensissimum & generi humano bellum indicentem, ex Orientalibus plagis, a coinquinatis sarcinis, pannis, telis xylinis, aliisque mercibus, ad nos deferri vulgatissima fert opinio; cui tamen plures, etiam prioris notæ, refragantur; hisce adducti rationibus, quod stupendus erucarum, locustarum, aliorumque insectorum proventus, annonæ penuria, &c. pluries hujusce cladis fuerint prodromi: adeo ut ab utraque causa ortum mutuari conjicere liceat. Si obscurus sit pestis ortus, haud clarius innotescit ejus genuinus character; nec dilucidius patet recta curandi methodus: hinc minime mirari subit, si Medici, vel solertiores, qui pestis furori se impavidos objecerunt, in hoc intricatissimo morbo plane, ni fallor, cæcutierint.

Evidentioribus forte *signis*, quam febris maligna, se profert pestis, qua grassante, omnes fere alios morbos siluisse, pluries observatum fuit. Quanto terrore percutiantur hac lue tacti, promptius est animo sentire, quam verbis exprimere. Hanc quandoque prænuntiant inappetentia, nauseæ, lassitudines spontaneæ, virium prostratio, vertigines, &c. sed ut plurimum, derepente insidiatur horrore, & integra animi abjectione, quæ brevi delirium vel soporem accersit. Plures tunc temporis de dolore axillarum vel inguinum conqueruntur; imo & in glandulis inibi degentibus visenda se præbet intumescentia, plus minusve conspicua. Pestis, in nonnullis epidemiis, febris intermittentis faciem præ se fert, cujus tertius paroxysmus ægros e medio tollit. Insuper dolor capitis gravativus, oculi torvi, visus obnubilatio, dolores dorsi & pectoris; tremor & convulsio; anxietates, quibus corpus perpetuo versant decumbentes; lipothymiæ morti finitimæ, singultus, aliaque febris malignæ *symptomata* pestem etiam crebrius concomitantur. Nonnulli saburram atro-viridem & graveolentem evomunt; vel vermes per utramque viam abjiciunt. Interdum os summe fœtet; lingua copiosiori muco obducta nonnunquam nigricat. Siti intensiori, mordaci præcordiorum æstu, molestissimaque cordis angustia, torquentur peste afflati. Sudores teterrimum, infensissimumque odorem spargunt; quo omnia supellectilia, quæ in ægrotantium usum adhibentur, infestantur. Lotium nonnunquam cruentum mejitur; nec raro sputa eamdem labem contrahunt. Pulsus in quibusdam a naturali vix absimilis, vel languidus, debilis & contractus, deprehenditur; in aliis vehementior, velocior, inordinatus & inæqualis observatur. Febris demum, cum diverso caloris gradu, innumeros sortitur modos, a mitiori ad intensiorem: intra quatuor vel quinque dies quandoque continetur; alias ad duodecimum vel decimum quartum accedit: nusquam vero ulterius protelatur,

nisi

nisi aliis accedentibus causis; inter quas primum locum tenent tumores; qui ægre sæpius in suppuratum abeunt. A veri tramite deflectunt, qui febrem pro mero pestis symptomate habent; eo quod calor, pulsus frequentia & velocitas in nonnullis desideretur: sed fallacem illam apyrexiam observare quoque licet, uti supra notavimus, in febre maligna, in variolis, quibusdamque aliis affectibus mali moris; quos tamen febrem semper comitem habere uno fatentur ore Medici: hinc nullam esse pestem absque quacumque febre consectarium videtur.

Exanthemata & pustulæ diversæ sortis, atque parotides rarius in peste, quam sub febre maligna erumpunt: sed familiarius occurrunt *bubones* & *anthraces*: primi adoriuntur glandulas inguinales, axillares, cervicales, aliasque per corporis ambitum disseminatas: nunc primum morbi incessum presso pede sequuntur bubones; nunc in aliis morbi temporibus prodeunt; imo & post febris decessum. Nonnunquam brevi in suppuratum abeunt; alias non nisi post viginti vel triginta dies pus in ipsis conficitur; quandoque tamen resolutione judicantur, maximo ægrotantium periculo. Anthraces erysipelacei, vel phlegmonodei omnibus partibus indiscriminatim minantur; imo & intra fauces haud raro exsurgunt: nunc furunculi instar prominent, & in acumen elevantur; nunc sub pustularum acervatim congestarum forma, quibus areola phlegmonodea basim præbet, se proferunt bubones: haud desunt denique, qui in immensam molem accrescunt, vel ovi magnitudinem superant. Sphacelus, quo brevi corripiuntur prædicti tumores, suppurationis nescii, horum characterem prodit. Diuturniori egent medela anthraces; unde fit, ut integra morbi pestilentialis curatio ab horum proventu ad menses proteletur. Hæc sunt naturæ salubria conamina, quibus miasmata virulenta in peste, non secus ac in variolis, foras sensim abiguntur; & ideo intelligitur, cur, sæviente peste, ex hacce bene se habente sanguinis depuratione, salutis auguria desumantur.

Licet truculentus hicce morbus, qui non solum contactu, sed proximiori ad ægros aditu contrahitur, nemini parcat; ultra tamen dubii controversiam positum manet, raro aggredi impavidos, qui scilicet contagii metu minime deterrentur; nec mortis formidine torquentur; non secus ac tenui victui addictos, & munditiei studentes. A multis traditur, macilentos, phthisicos, arthriticos, fluxui hæmorrhoidali obnoxios, fonticulos & vetustiora ulcera gestantes, &c. raro hujusce luis esse consortes: contagium contra minatur meticulosis, helluonibus, obesis, inopibus, &c. Robustiores hoc morbo correptos in majori vitæ discrimine versari; gravidas vero & puerperas raro hunc morbum eluctari, omnes fere tradiderunt Auctores. Cæterum pulsus validior, & vehementiora symptomata, quæ nil arguunt in febre maligna, *funestum* sub peste *exitum* denuntiant. Haud tamen periculo vacat fallax alcyonium status, cum innumeris historiis compertum maneat; plures, quibus a mitioribus symptomatibus maxima spes affulgebat, brevi ad superos migrasse; dum alii, quibus pro extrema morbi pernicie lethum imminebat, ad vivorum numerum revocarentur. Natura, grassante peste, criticam evacuationem raro molitur: sunt enim hæmorrhagiæ ut plurimum exitiales: diarrhœa omnes fere ad ultimam rerum lineam ducit. Si sudores spontanei circa quartum diem faustum polliceantur exitum; in aliis temporibus nullius sunt emolumenti: imo ubi primis diebus erumpunt, succedente delirio, brevi lustrica opus erit. Tremor linguæ & manuum, oculi ignei & torvi, raucedo, rigor nullo ordine recurrens, &c. sunt totidem symptomata letho finitima. Sed omnem ferme salutis spem excludunt mentis & corporis stupor, & crebra animi deliquia; quibus addere licet sternutationem contumacem, & singultum nulla arte compescendum, quæ pro mortis præconibus etiam habentur. Nil inferendum e cutis efflorescentiis, quæ sub vulgatissimo conspectu se præbent: sed si nigrescant, mors est in propinquo. Bubones auspicatissimi censentur; quod ad anthraces attinet, res in ancipiti versatur: majorem metum incutiunt postremi, si ante quartum diem se prodant. Febris vehemens & graviora symptomata remittuntur

ab eruptione bubonum, carbunculorum & parotidum : sed major salutis spes, si se proferant prædicti tumores, omnibus antea mitescentibus: ubi bubones quarto die exoriuntur, felicem eventum hariolari licet ; sed aliter se res habet , si tardius erumpant. Anthraces magis sunt pertimescendi, præsertim si bubonibus affigantur. Cervicis tumores, sive sint bubones, sive anthraces , majus portendunt periculum ; præcipue si febris vehemens, aliudve grave symptoma, horum eruptioni obstet: si retrocedant, conclamatum est ; ni urinæ ab hoc recessu materiam quamdam purulentam deponant; quod raro eveniisse omnes testantur. Postremo, peste correpti occumbunt singulis morbi temporibus ; sed sæpius intra biduum rapiuntur: nec desunt, qui haud ultra sex horas cum morte colluctantur; vel nullo, uti videtur, prævio morbo subito extinguuntur.

Constat ab exarata *cadaverum historia*, partes internas eodem modo labefactari: conspiciuntur nempe , tum in visceribus, tum in membranis maculæ purpureæ, & atro-lividæ. Annotantur tumores & abscessus ab anthracibus & bubonibus externis parum discrepantes. Reperiuntur phlogoses, stigmata gangrænosa & sphacelata: nec ab hac labe immune est ipsummet cor. Nonnunquam obvia fit ampliſſima cordis & hepatis moles: horum receptacula, & vasa sanguine nigerrimo, fæculento & congrumato turgent: occurrit bilis æruginosa, & atro-viridis , majori copia aggesta , non solum in vesicula fellea & tubis biliferis, sed etiam in ventriculo & fistula intestinali. Insuper varia hoc morbo extinctorum cadavera latissimis , nigrisque exanthematibus , ut si fustibus cæsi fuissent, defœdantur. Plura demum occurrunt, quæ tetrum & virosum exhalant odorem; adeo ut horum sectionem nemo citra valetudinis dispendium aggredi audeat: nonnullos enim novi Chirurgos, qui in postrema peste Massilienſi curiositatis pœnas luerunt. His addere licet minime defuisse cadavera, quæ, licet diligenter intus & extus perlustrata, nil notatu dignum exhibuerunt.

E præhabita hujusce sævissimæ luis prognosi, cuivis patet, quanti sit momenti *curæ prophylacticæ*, quæ præcipuam laudem meretur, inhærere. Sub hoc conspectu inquinatus aer , vel miasmate pestilentiali refertus, emendari solet variis suffumigiis cum pulvere pyrio, aceto, nicotiana, succino, sulphure, & variis substantiis aromaticis paratis ; quibus contagium repelli, vel extingui posse vulgo fertur. Summis laudibus extollit Diemerbroeckius, propria experientia edoctus, fumum tabaci, notissima fistula ore attractum & demissum; qui plurimum, inquit, conferre valet ad arcenda infensissima pestis miasmata. Pluris habetur odor aceti prophylactici, vulgo *des quatre voleurs:* acetum simplex, vel rutaceum, a noxiis etiam effluviis tueri valet . Summe deprædicatur apud Orientales, & a nostratibus minime posthabetur, usus internus succi limonis, vel mali citrei: illius vires æmulatur, & forte superat acetum intus haustum , annuente Sylvio Deleboe , qui contagium hoc solo præsidio avertisse narrat: ejusque summam efficaciam experti sunt plures in nuperrima peste Massilienſi . Nec despicienda sunt theriaca, mithridatium, aliaque antidota & alexiteria vulgatiora; inter quæ allium haud forte infimum gradum tenet; quorum ope plures pestis aculeos deflexisse, vel retudisse nobis compertum manet . Sed nil magis arcet contagium, quam mens ab omni cura, sollicitudine & metu soluta, non secus ac recta vivendi norma ; proba enim victus ratio Socratem a peste, quæ frequenter Athenas depopulabatur, immunem & illæsum servavit. Summe etiam deprædicantur mundities & nitor, tum corporis, tum ædium & oppidorum : notum est enim, pestem olim apud Londinenses ob aerem inquinatum angiportuum sordidorum sæpissime grassantem, ab urbe, post incendium anni 1666, restituta, pro latiorum vicorum & platearum munditie, prorsus profligatam fuisse. Laudantur, hac grassante lue, vestes sericeæ, nec immerito . Cauterium denique brachiis & cruribus inustum a pluribus summe deprædicatur; & forte cæteris prophylacticis palmam præripit ; eo quod miasmata pestilentialia sanguinem inquinantia per apertum fonticulum , una cum tabo exitum sibi parant , priusquam viscera impetant.

Ad

Ad *curam præsentem* devenimus, quæ nusquam recte instituitur, ni prius attendatur ad genuinam grassantis pestis indolem; quæ pro varia constitutione epidemica, monentibus famigeratissimis practicis, summe discrepat. Equidem sexcentis constat historiis, Medicos, vel in arte medendi peritiores, primos peste afflatos adeuntes, pluries experimenta per mortes egisse: adeo ut sæpius cunctari & supersedere satius sit, quam dubiis telis hunc infensissimum hostem aggredi. Egregie sane conducit, inter hasce angustias, Hippocratis effatum: *quo natura vergit, eo ducere oportet:* quod alta mente tenere debent, quibus hæc demandantur munia. In hoc enim bene perspecto spontaneo molimine versari debet curationis cardo; cum ex innumeris propemodum observationibus constet, ab eruptionibus pus conficientibus, quas solæ œconomiæ animalis leges promovent, hunc morbum felicius solvi, quam a quacunque alia evacuatione: ideo nil non movendum, cæteris consentientibus, ut deleterium sanguini confusum ad corporis peripheriam alliciatur; & hoc est præcipuum curantis munus. Superfluus est, imo & exitialis major remediorum apparatus; simpliciora & vulgatiora duntaxat requiruntur; inter quæ diaphoretica, experientia duce, deprædicantur: præter enim auspicatissimos quos movent sudores, salubrioribus eruptionibus etiam famulantur: imo & a solo manante sudore, tum calore lecti, tum naturæ viribus concitato, plures præsidiis medicis plane defraudatos, sed congruæ victus rationi addictos, incolumes evasisse testantur historiæ.

Hisce generalibus prælibatis, singula præsidia, quæ felicius usurparunt solertiores, prosequi juvat; inter quæ nonnullam opem ferre queunt, sub primo morbi incessu, *sanguinis missio*, *emesis* & *catharsis*, dummodo vires ferant & finant eruptiones: sed haud citra periculum adhibentur sub aliis morbi temporibus; imo & omnino improbantur a Diemerbroeckio; etiam vigente inflammatione, & urgente alvi fluxu. Egregie se gerunt diluentia, dummodo haud plus æquo solvatur alvus: plurimum etiam decantantur temperantia, nitrosa, & antiputrida: nec posthabenda, si res exposcat, absorbentia: sed latius celebrantur & supra modum extolluntur *cardiaca & alexiteria*, quibus specifica quædam vis vulgo tribuitur: haud omnibus tamen congruunt hæc medicamina; imo & noxam inferunt, si sanguis plus æquo exæandescat: quo in casu, ut vulgi præjudiciis nonnihil obtemperent, alexiteria acidis tum vegetabilibus, tum mineralibus sociare solent experti clinici: lilium, theriaca & cognatæ confectiones, pulvis viperinus, acetum theriacale, &c. usitatiora & efficaciora audiunt; præsertim si primis morbi temporibus præcipiantur. De bezoardicis nil addimus, quandoquidem horum usus, olim celebratissimus, jam diu, nec immerito, exoleverit. Pluribus optime cessit *camphora*, quæ præter vim antiputridam & diaphoreticam, efferum spirituum motum sedare valet: sed caute cum narcoticis mercandum; quorum tamen usus in nuperrima peste fuit, forte plus æquo, familiarior: nonnullum tamen auxilium præstant in alvi fluxu, dummodo mitiora præscribantur, qualia sunt diascordium, theriaca, mithridatium, syrupus de papavere albo, aliaque ejusdem sortis. Cathartica apprime congruunt in fine morbi; alias ab expertis plane abdicantur. Præsentaneam opem ferunt vesicatoria & cucurbitulæ, quorum ope deleterium deorsum revellitur, vel quædam pars eximitur; ac horum præsidio plures mortem effugisse constat. Aliud proponit topicum Diemerbroeckius, sacculum nempe arena calefacta repletum, inguinibus, axillis, pedibusque admovendum; quod sane suas meretur laudes.

Exarata probatissima curandi methodo, silentio premere minime debemus, plures practicos prioris notæ candide scripsse, *imparia* fuisse exquisitiora *remedia* superandæ lui, cujus indolem atra caligine obvolvit omniscius; adeo ut dubitare liceat, num ex hocce truculentissimo morbo, qui ab hisce adjunctis copiis vix debellari patitur, arti vel naturæ viribus salutem debeant convalescentes: præter quam constet, uti jam innuimus, plures ab omni auxilio destitutos feliciter evasisse. Tradidit Sanctorius, ægros, quibus nil, præter opem medicam, deficiebat, felicius cæteris juxta artis medicæ præcepta curatis, mortem effugisse:

quod pluries etiam eveniſſe inter clades & funera peſtis Maſſilienſis teſtabantur, dum viverent, Medici, qui huic ſumme periculoſo inhæſerunt miniſterio. Coronidis loco addere juvat proborum virorum monitum; adverſus luem, tum allatis mercibus hærentem, tum in aere latitantem; cum ultro citroque idem immineat periculum; ut quiſque ſcilicet curis publicis ſolutus, ſubitanea & matura fuga ſuæ ſaluti conſulat. Inter varia prophylactica nil tutius excogitari poteſt, inquit RAMAZZINI, quam celerior fuga a loco infecto, profectio ad longinquas regiones, & tarda reverſio: quod conſilium, ſalubriores Medicorum formulas longe antecellens, hoc verſiculo exprimitur:

Mox, longe, tarde, cede, recede, redi.

SUDOR ANGLICUS.

INter morbos acutos & breviores, forte periculoſiſſimus Sudor Anglicus (*la Suette*) haud ultra nychthemeri ſpatium plerumque protelatur: hinc haud male definitur *febris ephemera peſtilentialis*; quam nonnulli ad febrium putridarum claſſem inſulſe referunt. Circa finem ſæculi decimi quinti, referente WILLISIO, cui tamen illam obſervaſſe haud contigit, in Anglia graſſabatur antea inauditus hic morbus ſui generis, & poſtea Daniam, Norwegiam, aliaſque regiones ſeptentrionales peragravit, quem neſcio quo fato paucis abhinc annis ad nos tranſmiſſum identidem obſervari fertur. Unum enim duntaxat virum triginta annorum hoc morbo correptum me vidiſſe memini in noſocomio regio Verſalienſi, qui e levi morbo convaleſcens, dum de ſuo egreſſu læte cogitabat, in hunc fæviſſimum ſudorem ſubito incidit, quo intra quatuordecim horas, variis fruſtra tentatis, raptus fuit. Nuſquam per contagium late propagatur, atque conſtitutio epidemica rariſſime ultra tres menſes protrahitur; hinc multum abeſt, quin tantam ſtragem, ac peſtis, edat; licet forte ſit indomabilior; cum fere dimidiam ægrorum partem e medio tollat; præſertim ſi inexpertorum curæ committantur. Ad hunc morbum proclives cenſentur, vigente conſtitutione, e febre inflammatoria convaleſcentes: ſubito & crebrius invadit robuſtiores, ætatis viridis, & viragines: ſed rarius attingit infantes, ſenes, macilentos & imbecilles.

Exordium capit hic apud nos inſolens, & ancipitis naturæ morbus ab integra virium proſtratione, vel animi deliquio. Nonnulli *primo inceſſu* rigore, vel tremore ſpaſmodico concutiuntur, etſi interiora cæco carpuntur igne. Utramque invaſionem excipiunt ſudores uberrimi, qui hujuſce morbi indolem, vel perniciem patefaciunt; & decumbentes ſæpius brevi vel intra viginti quatuor horarum ſpatium illuc mittunt, unde negant redire quemquam. Haud tamen, ubi diutius protrahitur morbus, omni periculo vacat; ſed ut plurimum ſecundis avibus judicatur; præſertim ſi ad quartum vel quintum, imo ad ſeptimum diem accedat. Hoc correpti, viribus mentis & corporis plane deficientibus, æſtu vehementiori torquentur & ſudore diffluunt, nonnunquam erumpentibus variis cutis efflorescentiis. De dolore lumborum conqueruntur, & ſiti intenſiori excruciantur: ac demum reſpiratione difficili, & anxioſa premuntur. Quidam gravioribus cordis palpitationibus laborant: plerique cardialgia vexantur; anxietatibus etiam & lipothymiis crebro recurrentibus conteruntur. Pulſus, ſub hac rerum conditione, varias mutationes ſubit; nunc velox & plenus deprehenditur; nunc tardus & obſcurus, ac plerumque inordinatus exploratur. Interea mortis formidine anguntur miſelli ægrotantes; donec ad incitas redacti in delirium, vel ſoporem lethiferum incidant. Raro inter hujuſce fæviſſimi morbi curriculum ſanguis e naribus vel ore proſilit: ſed ſæpius ſe produnt variæ cutis efflorescentiæ, a puſtulis morbilloſis quandoque haud abſimiles. Nonnulli demum ſublato morbo, haud integræ ſanitati reſtituuntur; ſed per plures menſes ſudoribus nocturnis tenentur, quos ſæpius concomitantur diverſæ cutis eruptiones a leviſſimo frigore, nullo imminente periculo, retrocedentes. Quamdam obſervari febris malignæ ſpeciem, qua corpus etiam copioſo ſudore diffluit, jam ſupra notavimus: addere licet hanc ab inexpertis, affini-

finitate deceptis, pro mero sudore anglico perperam haberi : sed summe discrepant prædicti morbi, ratione invasionis, processus & finis; nec una & eadem curatio ipsis competit. Accuratam videre licet historiam hujusce febris speciei in diario medico mensis Aprilis, anni 1760.

Eo collimare debet *curandi methodus*, ut sudores per viginti quatuor horas foveantur : illosque remittentes promovere expedit, ne latex pestilens, per cutis spiracula exitum moliens, intus retrocedat. Sub hoc scopo omnis potus, duobus primis trihoriis, denegatur ; quibus elapsis conceditur, & nihil amplius movetur per diem integrum. Itaque stragulis rite cooperti calide in lecto se componant ægri, & a congruo situ minime dimoveantur ; nec auram frigidam captent : nequidem manus, solatii causa, aeri frigido committant, atque somnum omni arte arceant; quibus sane quidem non citra summam molestiam obtemperant. Si sudor haud ex voto effundatur, hunc sollicitare expedit, frictionibus cum linteis, vel pannis calidis; in hunc finem etiam intus adhibentur diaphoretica, vel cardiaca exquisitiora; summa tamen cautela exhiberi debent hæc postrema medicamina, quæ noxam inferre queunt. Parum, nemine fere reluctante, conducit venæ sectio: hanc tamen vel repetitam fauste successisse in epidemia quadam Bellovacensi (*de Beauvais*) asserere videbatur experientissimus Boyer Medicus Parisiensis ; qui tamen melius consultus prædictam constitutionem alterius esse indolis candide declaravit. Cathartica nusquam ante integram morbi solutionem propinare fas est. Hoc cæterum morbo soluto, frigus vel leve angue pejus aliquandiu fugiant ægri: plures enim, hac posthabita cautela, alvi fluxu periculoso corripiebantur; vel in eumdem morbum primo insultu sæviorem incidebant.

FEBRES INTERMITTENTES.

Nemini, vel rudi & inexperto haud innotescit febris intermittens, quæ varias sub se complectitur differentias: nec latet, oscitationes, pandiculationes & lassitudines spontaneas, frigus cum extremorum pallore, anxietates & nauseas pro hujusce *febris prænuntiis* haberi. Rigorem, quo totis artubus contremiscunt, plerique patiuntur ; ac tanto nonnulli frigore corripiuntur, ut crura admotum ignem minime sentiant. Pulsus interea, sub algore febrili obscurus, sensim evolvitur ; calor per totum corpus diffunditur ; caput, vel cætera membra dolent; erumpunt in nonnullis exanthemata variæ indolis, & plerumque pruriginosa; aliave exsurgunt symptomata, nunc mitiora, nunc graviora; donec erumpente sudore omnia ad alcyonium statum redigantur; vel subsequatur apyrexia. Urinæ, decrescente vel victo paroxysmo, lateritiæ occurrunt ; vel fæces deponunt pulveris laterculorum æmulas. Hic est vulgatissimus *intermittentis* essentialis *processus :* sed sub eodem conspectu sæpius se produnt symptomaticæ, etsi alterius indolis; febres scilicet catarrhales, hystericæ & verminosæ; febres a recondita purulentia, ab obstructionibus; aliæque bene multæ, de quibus alibi, nonnunquam idem schema præ se ferunt; adeo ut vel oculatiores decipiantur, innumerique emergant errores miselli ægrotantibus lugendi. Varias etiam formas induit *genuina intermittens ;* ac sæpius alterius morbi faciem mutuatur; cujus tamen periodi, consueto intermittentium ordine, recurrunt. Hujusce commatis observantur cephalalgiæ, oculorum, dentium, aliarumve partium dolores, ophthalmiæ, insultus comatosi, vel convulsivi, hemiplegia, orthopnœa & ferociores cordis palpitationes, nausea & vomitus cum anxietatibus molestissimis, dolores colici, alteriusve indolis, alvi profluvium, &c. Notare expedit, quod horumce morborum cognatorum paroxysmi, statis temporibus reduces, nullo sæpius calore febrili conspicuo designentur. Nonnulli demum Auctores, penes quos sit fides, se observasse testantur, febres quasdam partiales ; in dimidia scilicet capitis parte, in uno vel altero brachio, &c. Notissima sunt alia *intermittentium discrimina :* neminem enim fugit, febrem quolibet die recurrentem esse quotidianam, vel duplicem tertianam, vel triplicem quartanam: febrem alternis diebus invadentem tertianam vocitari: si vero hujusce postremæ

mæ acceſſio duplex ſtato die obſervetur, aliam duplicis tertianæ, ſed rariorem, ſpeciem conſtituit. Ubi paroxyſmus tertio duntaxat die inſurgit, febris quartana audit: ſi vero e tribus diebus, unus tantum ſit febris expers, duplicis quartanæ exemplum præbet. Febris demum ſingulis diebus accedens, alterniſque duplex, hemitritis vel ſemi-tertiana dicitur. Poſtremo haud reticendum, quod Auctores de aliis ſpeciebus mentionem ſubjiciunt; quæ ſcilicet die quinta, ſexta, ſeptima vel octava recurrunt; aut ſingulis menſibus, anniſve redeunt: ſed hæc mira, & a publico rerum ordine aliena, conſulto prætermittimus.

Noſtræ ſane quidem indagini ſubtrahitur proxima febrium intermittentium *cauſa*: ſed nemo neſcit, hoc morbi genus a fructibus immaturis vel horæis, ab aere caliginoſo vel vento imbrifero, locis paludoſis, &c. plerumque ſoboleſcere. Primi *paroxiſmi* febriles mitiores, ut plurimum, obſervantur; ſed vires acquirunt eundo: hos antecedunt, uti ſupra innuimus, oſcitationes, pandiculationes & laſſitudines, variarum partium dolores, manuum & labiorum pallor, unguium livor, frigus naſi & extremorum, rigor & horror. Quibus accedit æſtus febrilis, ſudore plus minuſve conſpicuo judicandus. Haud deſunt tamen acceſſiones febriles a calore, nullo prævio frigore, initium ſumentes; dum aliæ abſque ſudore & cute plane ſicca ſolvuntur. Plerique ægrotantes, ingruente paroxyſmo, nauſea & vomitu vexantur; alii ſomnolentia tenentur, vel doloribus interaneorum torquentur. Urinæ in potiori parte, vigente vel ceſſante ſudore, lateritium colorem referunt: imo & a nonnullis habentur pro ſigno pathognomonico febrium intermittentium; vel morbi cujuſdam a cauſa febrium intermittentium ortum ducentis; adeo ut dubium circa febris indolem urinis lateritiis plerumque ſolvatur; præſertim ubi prima invaſio colicam ſpaſmodicam, vel apoplexiam æmulatur. Si urinæ poſt paroxyſmum non turbentur, præſertim inter intempeſtivum febrifugorum uſum, peſſimæ audiunt. Haud leve portendunt periculum nubeculæ nigræ. Procelloſi nonnunquam occurrunt inſultus febriles; non ſolum acerbiſſimo rigore per plures horas producto, quem excipit æſtus vehementior; ſed etiam atrociſſimo capitis dolore, delirio, aliiſque gravioribus ſymptomatibus. Febres intermittentes, continuarum inſtar, inordinatas vel anomalas ſæpius obſervari, jam ſupra inculcavimus: adeo ut earum characterem aſſequi vix liceat; ni apprime attendatur ad invadendi modum, ad quemdam paroxyſmorum typum, aliaque antecedentia vel conjuncta, quæ rite penſitata febris indolem prodere queunt: ſed ſcire juvat, intermittentes inordinatas eſſe ut plurimum ſpurias, vel mere ſymptomaticas: id genus ſunt ſcorbuticæ, febres, quæ a puris confectione, vel alia viſcerum labe oriuntur, nocturnæ copioſioribus ſtipatæ ſudoribus, aliæque, de quibus jam mentionem ſubjecimus. Poſtremo febres intermittentes aliis affectibus quandoque ſociantur; unde emergunt morbi impliciti & fere inextricabiles, qui grave curantibus faceſſunt negotium.

Intermittentes legitimæ a propria indole haud deflectentes; quæ ſcilicet, juxta conſuetum ritum, frigore incipiunt & in ſudorem deſinunt, ſuccedente apyrexia vel lucido intervallo, periculo vacant; ni febricitantes extremo ſenio, vel morbo quodam chronico ſint confecti: imo & ſæpius ſalutares audiunt; cum ab harum acceſſu nonnulli affectus diuturni ſileant, vel plane exulent. *Hyemales* & *vernales*, æſtivis & autumnalibus breviores, & curatu faciliores jure cenſentur: primæ, quæ peculiari ingenio gaudere videntur, fugantur, dum cæteræ caput exerunt: alternis vicibus ab ineunte vere depelluntur poſtremæ. Vernales tamen pertinaciores fiunt, imo & typum, vel acceſſionum ordinem commutant, priſtinamque faciem exuunt, ſi æſtas ſit frigidior & humidior: autumnales vero ab æſtuoſo hyeme invaleſcunt. Paroxyſmi breviores, ſtatas horas antecedentes, morbum mox deſiturum indicant. Idem eſto judicium, ſi ſecundam vel quartam acceſſionem moleſtiſſimam excipiat remiſſior; tum quarta vel ſeptima agmen claudere ſolet. Abdominis inflatio in infantibus, intumeſcentia crurum œdematoſa in adultis, puſtulæ circa labia erumpentes, &c. ſanitati præludunt. Haud perfectam

ſana-

ſanationem *hariolari* licet a ſublata febre niſi poſt viginti dies, vel integrum menſem elapſum; cum ſæpius ab inſolatione, aere nebuloſo, aura matutina frigidiori, veſpertinis vaporibus, vel rore ſerotino; ab acetariis, fructibus crudis pravæ notæ, incongruoque regimine; a labore improbo, lapſu ab alto; a lucubrationibus; ab ira, terrore, aliiſque animi pathematibus; ab intempeſtiva venæ ſectione, inopportuno cathartico, balneo, &c. recrudeſcat. Inſuper ſi valetudinariorum pallor poſt febris deceſſum in eodem ſtatu perſtet; ſi appetitus haud redintegretur, nec vires reficiantur; ſi caput doleat, erumpant ſudores nocturni, &c. morbi mineram haud rite fuiſſe extirpatam conjicere licet. Hinc intelligitur, cur febris poſt quatuordecim vel viginti dies abſque cauſa manifeſta revireſcere ſoleat. Sopor, nonnunquam apoplexiæ prodromus, peſſimum audit febris intermittentis ſymptoma in ſenibus; qui etiam a rigore febrili in vitæ diſcrimine verſantur. Intermittentes contumaciores, & quarum perturbantur acceſſionum ordo, in icterum, hydropem, aliumve effectum chronicum faceſſere neminem practicum fugit. Intermittentes, præſertim autumnales, in continuas vel pravi moris haud raro degenerant: cæteroquin continuas in intermittentes tranſire; & febres malignas intermittentium faciem præ ſe ferre, ſupra notavimus. Poſtremo plures alias mutationes, ſed minoris momenti, ſubeunt intermittentes; nimirum tertiana ſimplex & legitima in duplicem, ſæpius faceſſit: quod ſane arguere videtur omnes intermittentium ſpecies haud abſimilis eſſe indolis, vel meros eſſe modos unius & ejuſdem affectus.

Nil fere præter productum morboſum exhibere *ſecta cadavera*, e propriis obſervationibus, & aliorum naturæ rimatorum relatu, colligitur. In hunc cenſum venit cruor ater & craſſus cordis receptacula, & majora vaſa replens, in rigore febrili extinctis. Poſt diuturniores intermittentes, affectuſque pediſſequos, deteguntur infarctus ſkirrhoſi, phlogoſes, ſiderationes, & abſceſſus, plerumque in hepate, quod ſæpius mole portentoſum occurrit; ſed rarius in pancreate & meſenterio. Lien ſub diverſo conſpectu ſe præbet; nunc exſiccatus & corrugatus reperitur; nunc mole ampliſſimus, cum propria capſula hiulca; alias putredine correptus, & fæcum vini inſtar contrectatu diffluens. Occurrunt quandoque hæc viſcera tantummodo contracta; vel a nativo colore recedentia, & quaſi aduſta: ſed epiploon putredine, quoad præcipuam partem, abſumptum prius ante oculos verſatur. Vena portæ ſanguine ut plurimum fæculento turget: vaſa bilifera latice atro-viridi ultra modum replentur. Inter cætera demum notatu digna recenſentur pſeudolapides in veſicula fellea, flatulentiæ & coarctationes in tubo inteſtinali, prominentes tumores in peritonæo & meſenterio, variæ ſtagnationes, cor inane cum aqua in pericardio, inteſtina lumbricis ſcatentia, &c.

Intermittentium *curatio* minime eſt feſtinanda; jure enim vituperandi, qui moræ impatientes febris ſufflaminationem haud citra ſeram pœnitentiam moliuntur. Equidem ſi febris juxta nonnullorum mentem ſit peculiaris ſanguinis fermentatio, quam prodit celerior hujuſce laticis æſtuantis motus; & excipit morbo deſinente, quædam depuratio, vel præcipitatio; ſequitur haud citra periculum ſalubriorem huncce naturæ motum intempeſtivis remediis perturbari. Itaque ad ſpecificum notiſſimum non niſi poſt tertium quartumve paroxyſmum devenire licet; ut, rite prius penſitato febris proceſſu, nullum ſit dubium circa ejus indolem. Nec futilis eſt hæc cunctatio, cum tunc temporis, celebrata venæ ſectione & inſtituta emeſi, vel catharſi, propinentur diluentia & temperantia; haud ſane poſthabito congruo victus regimine. Non ſolum his præmiſſis tutior ſpecifici uſus; ſed ſæpius prævio hocce curandi ritu exulat febris: imo & pluries mihi obſervaſſe contigit aquam ſimpliciſſimam per triduum & ultra, affatim, vel ad ſex vel octo libras ſingulis diebus hauſtam, non ſolum febres recentes, ſed vetuſtiores, aliiſque præſidiis domari neſcias, incantamenti inſtar, profligaſſe: hinc haud inepte fertur, famem hujuſce ægritudinis præclarum eſſe remedium. Præmiſſa igitur venæ ſectione, ſi vires ferant, quæ, nonnunquam jubente plethora, iteratur, emeticum opportuno tempore propinatum ſæpius, cauſam

sam morbi extirpando, omnem causam absolvit: præsertim, si a copiosa bilis porraceæ & eruginosæ evacuatione inaniatur cystis fellea; quæ forte recondit genuinum morbi fomitem: quod centies observasse memini. Tanti æstimatur a solertioribus hoc remedium, ut plerumque iteretur, dum vigent febres autumnales; vel ubi lingua muco obducta, oris amaror, nauseæ illud suadent. A venæ sectione & vomitorio abstinendum sæviente paroxysmo; quidquid obgannient, qui a calcato tramite recedere gloriantur, ut fatuorum admirationem sibi concilient. Venam tamen tunc temporis tundere licet, si æstus febrilis sit intensior, si dolor capitis sit acerbissimus; vel id genus alia, vigente plethora, urgeant symptomata; nec tum vetatur vomitorium, si ægrotantes nausea ultra modum divexentur: alias nil movendum, *procedente insultu* febrili; sed sanguinis æstui prospiciendum diluentibus, temperantibus & nitrosis: his sedulo peractis, ad specificum devenire licet, si res expostulet. Latissima est, in altera hujusce operis parte tradita, febrifugorum classis: nemo nescit, quid valeant radices pentaphylli, enulæ campanæ, & gentianæ; folia cardui benedicti, fumariæ, chamædryos, absinthii & centaurii minoris; flores calcitrapæ & chamæmeli; aquæ minerales, &c. quibus omnibus febrifugis, quæ fere jam in desuetudinem abierunt, palmam sane præripit *cortex peruvianus*: sed haud omnibus congruit, nec innoxius censetur, si inopportuno tempore exhibeatur. Raro opus est kinakina in febribus vernalibus, quæ ut plurimum diætæ & diluentibus cedunt: quoad cæteras, non nisi post plures insultus, quibus latex febrilis quasi difflatur, tuto præscribitur illud febrifugum: etenim hac posthabita cautela, non solum nullum juvamen præstat, sed noxium evadit hoc medicamen, etsi febris coercetur. Norunt sane in arte periti, plures febricitantes a præmaturo, vel intempestivo kinækinæ usu, in graviores morbos incidisse; in icterum nempe & obstructiones; in hydropem, asthma, affectus comatosos & convulsivos, aliosque fugata febre contumaciores & periculosiores: adeo ut sæpius præstet in hoc casu febrem revocare; ad quod opus nonnulli adhibent venæ sectionem, cathartícum, vel spiritum salis ammoniaci. Insuper haud tuto exhibetur laudatum specificum ineunte vel vigente paroxysmo; nec magis congruit paulo ante febris invasionem. Si pluribus bene cesserit hæc methodus; aliis, teste Sydenhamo, summam noxam intulit.

Nusquam dubitare licet, quin sanguis & humores sudorum beneficio a materia febrili sensim liberentur: hinc intelligitur, cur ab imtempestivo corticis peruviani usu varii emergant morbi coercita febre longe periculosiores: hæc est celebriorum pragmaticorum opinio, quæ vel tralatitia experientia quotidie comprobatur. Ab hacce *curandi norma* nonnunquam tamen deflectere licet, imo & expedit; ubi scilicet ab insultibus vehementioribus jam effœti ægrotantes, vel senio confecti, in vitæ discrimen trahuntur. Sub qua rerum conditione, consultius est anceps, ut inquiunt, experiri remedium; vel nulla interposita mora, urgentiori succurrere: alias haud nisi post tres quatuorve paroxysmos opportune exhibetur laudatum febrifugum. Certis etiam cancellis contineri debet kinækinæ usus; ne pessimo pseudo-Medicorum more, qui tandiu huicce cortici hærent, quandiu protrahitur febris, ægrotantium res in pejus ruant; vix enim tuto ultra duas vel tres uncias, partitis vicibus, per totum morbi decursum hoc præcipere licet. Alias, uti pluries nobis vidisse contigit, ab immodico febrifugi usu, varii emergunt morbi chronici; obstructiones nempe, hidrops, hæmoptysis, &c. Ideo ubi febris designatæ dosi minime obtemperat, alia est ineunda medendi via: ad cætera scilicet amara vegetabilia; ad aperientia, martialia, aquas minerales, &c. est confugiendum. Cæterum maximi est momenti, ut hic cortex eligatur legitimus vel prioris notæ; cum spurius vel adulteratus, quo nonnullæ scatent officinæ, summam noxam inferat; nedum exspectatum effectum edat: quod alta mente tenere debent, qui rem medicam perfunctorie tractare solent. Nondum constat de regimine ægrotantium, inter corticis peruviani usum; cum in contrarias sententias de hac re abeant Auctores: partim plenum victum ægris concedendum esse autumant; partim tenuissimo inhærendum esse cogitant:

tant : utramque methodum feliciter succeſſiſſe pro comperto habemus ; ſed tutiorem eſſe poſtremam, nulli dubitamus.

Cirsa decantatum *febrifugum exoticum*, cui ſæpius fauſte ſociatur camphora, obſervare juvat, illud incaſſum ſæpius adhiberi, ſi paroxiſmi febriles diutius quam par eſt protrahantur, vel ſolito tardius recurrant : iners etiam judicatur adverſus acceſſiones febriles, frigoris & ſudoris expertes. Periculoſum cenſetur ſi rubræ & ſupra modum tinctæ maneant urinæ, annuentibus Baglivio & Hoffmanno. Sub utroque caſu proficue uſurpantur temperantia, cichorium nempe, lapathum, & lingua cervina ; cryſtallus mineralis, ſal Glauberi, arcanum duplicatum, & ſimilia ; quibus ſcilicet tempeſtive exhibitis minime denegantur vires febrifugæ. Nec ſemper ex voto ſuccedit cortex peruvianus in intermittentibus legitimis, etiamſi ſolertiori manu tractetur ; hinc fit, ut pluries in ſubſidium vocentur alia febrifuga ; flores nempe chamæmeli ; ſal ammoniacum aqua tepida ſolutum ; infuſum ſalviæ, vel ſerpentariæ virginianæ ex vino albo, aliaque ejuſdem commatis, quæ profecto exquiſitiora audiunt remedia ; ſi una vel altera hora ante paroxyſmum propinentur. Pluris etiam habentur ſuccus limonum aqua temperatus ; theriaca ; piper integrum, pulvis viperinus, &c. Nemo non novit gentianam, abſinthium minus, aliaſque plantas amaras ; quæ, priuſquam innotuiſſet kinakina, in vulgatiſſimum uſum, haud ſine ſucceſſu, trahebantur. In eumdem cenſum etiam venit urina pueri vel adoleſcentis, quæ mane ad cyathum, ſingulis diebus, propinata, ſibi par forte non habet ad eradicandas febres contumaciores ; quod remedium ſane pluries profuiſſe novi : pluris etiam habetur ſal ammoniacum, dummodo ſtomachi vires ferant. Hæc munia poſtremo obeunt aquæ minerales, tam frigidæ, quam thermales ; quæ, cæteris præſidiis incaſſum adhibitis, curationem utplurimum feliciter abſolvunt. Nonnullis etiam arridet cortex fraxini, cui addunt ſal abſinthii ; ſed huicce febrifugo, non ſecus ac aliis innumeris, quibus turgent libri, minime fidendum. Nonnunquam tamen juvat ſingula cujuſvis ſortis noſſe, cum pro re nata hæc vel illa ab expertis fauſte uſurpari queant. Silentio minime prætermittenda ſunt hypnotica, aliquot horis ante frigus exhibenda, quorum uſus ſub hac conditione antiquiſſimus a pluribus primi ſubſellii recentioribus laudatur.

Si futurus *rigor febrilis*, uti nonnunquam evenit, reſpectu ſenum & debilium, *mortem minetur* ; nil non movendum, ut præcaveatur vel leniatur largo hauſtu aquæ tepidæ per duas vel tres horas ante frigoris exortum. In eundem ſcopum præcipitur ptiſana e ſarſaparilla ; decoctum borraginis & bardanæ ; infuſum cardui benedicti, & florum ſambuci ; ſal ammoniacum, aliaque diaphoretica ; quibus intempeſtive uſurpatis, plures ex orci faucibus ereptos vidi. Suas laudes etiam meretur narcoticum, hauſtum, ſi nil obſtet, hora integra ante rigorem febrilem ; quod remedium opportune exhibitum inter præſtantiora remedia a quibuſdam numeratur. Haud inutilem opem in hiſce anguſtiis conferre valet oleum cinnamomi, vel caryophyllorum, quod linimenti inſtar ſcrobiculo cordis admovetur. Illud tamen notare expedit circa remedia ſtimulantia, procedente morbo, exhibita, quod nonnunquam intermittentem in continuam convertant. Idem infortunium accerſere valet ambitus corporis calidior a cortinis & ſtragulis, quibus præpoſtere ſepeliuntur decumbentes : nec minorem perniciem infert ſufflaminata perſpiratio a ſuſcepto frigore, quo febris contumacior & periculoſior evadit ; quod ſæpius experiuntur, qui haud abſoluta diaphoroſi, qua materia febrilis difflari ſolet, e lecto, quem moleſte ferunt, citius quam par eſt ſurgunt. Cæterum haud inconſulto exhiberi debent cathartica poſt ſublatam febrem ; ne revireſcat, & ægri recidivam patiantur ; quod ſæpius eveniſſe teſtantur Sydenhamus, aliique primi ſubſellii Auctores, quibus aſſenſum denegare vetat propria experientia : imo nec tuto, ſub hoc rerum ſtatu, injici poſſe enemata plures cogitarunt : innoxia tamen cenſeri debent utraque remedia ; ſi febris ſponte deſierit ; vel caute proteletur uſus febrifugi, cui ſociantur purgantia per alvum. Si demum intermittens in continuam vel remittentem faceſſerit, priſtinum typum a facta vena, vel a propinato cathartico recuperare valet.

Porro *cortex peruvianus*, veluti cætera febrifuga, haud minus congruit febribus intermittentibus larvatis, quæ scilicet sub alterius morbi facie occultantur, quam iis quæ se sistunt in propatulo : dummodo morbi magis conspicui haud posthabeatur ratio; intermiscendo nempe kinækinæ, vel succedaneis, remedia huic postremo dicata; nimirum cephalica in affectibus comatosis & paralyticis, antispasmodica in convulsivis, bechica in pulmonum læsionibus, cardiaca in lipothymiis, demulcentia ad varios insultus colicos, non secus ac pro doloribus cæterarum partium; qui etiam efflagitant hypnotica, venæ sectiones, &c. Hisce remediis, pro re nata usurpandis, sociatus cortex febrifugus, dummodo præmittantur jam indicata generalia, & solitæ adhibeantur cautelæ, egregium effectum præstat : imo & expedit, ut largiori manu, in nonnullis casibus, exhibeatur febrifugum; ad præcavendos scilicet, vel compescendos graviores paroxysmos, cor, cerebrumve impetituros; hinc pro mortis præconibus nonnunquam habendos.

Quandoquidem *pueri corticem peruvianum* ob ingratum saporem *aversantur :* ex illo paratur extractum quoddam siccum, quod salis DE LA GARRAYE nomine venit; & succedanei instar, minori dose exhibendum in usum trahitur : vel conficitur syrupus horum palato magis arridens : & eamdem ferme opem præstans. Si demum hæc quæcumque medicamina ore sumenda pertinaciter ab ipsis respuantur; ad *enemata febrifuga*, quæ iisdem viribus pollere videntur, confugere juvat. Nec inutilia censeri debent hæc enemata pro nonnullis adultis, quibus invisus est cortex peruvianus; dummodo unciam integram hujusce corticis recipiant & ter quaterve per diem injiciantur; donec debelletur febris; qua fugata aliquandiu horum usus est protelandus juxta solitam methodum; ut præcaveatur paroxysmi reditus : adeo ut ad integram curationem sesquilibra prædicti corticis hac methodo usurpetur. Allia contusa carpis manuum vel plantis pedum alligata summe a quibusdam deprædicantur. Nec leviter culpandæ nonnullæ consuetudines, longo usu probatæ; etiamsi harum ratio nos lateat. Innumera demum, uti neminem latet, occurrunt *topica empirica*, ab inscia plebe comprobata, quæ a clinicis plane despiciuntur. Viribus tamen medicis haud omnino defraudantur; imo interdum profuisse constat : num a certa ægrotantium fiducia suam virtutem mutuentur, dubitare licet. Nonnullos enim vidimus gestantes chartulam contractam, & signatam, cui antea vultu compositio, & ridiculo quodam spectaculo, inscribebatur sententia a quovis poeta fortuito deprompta, pristinæ valetudini præter adstantium spem restitutos. Insuper nemo nescit, gaudium, iram, terrorem, cæteraque animi pathemata, (quæ alias sunt, uti neminem fugit, totidem causæ, quæ, uti supra innuimus, extinctam febrem revocare queunt;) sæpius febrem fugasse. Lapsum ab alto, aliudve infortunium, eumdem quandoque effectum præstare experientia compertum manet. Minime sane mirum : cum neminem Physico-Medicum fugiat, quid valeant mentis perturbationes in œconomiam animalem : nec parvi sæpius refert, ut hæc naturæ phænomena, etsi a publico rerum ordine aliena, assequantur clinici; ut ab his bene perspectis curandi judicium dirigatur.

FEBRIS QUOTIDIANA.

PRæmissis, quæ ad febrem intermittentem generatim spectant, superest, ut vulgatiores, notissimasque species breviter recenseamus. In hoc censu perperam collocatur *febris quotidiana*, vel singulis nychthemeris recurrens; cum ratione indolis toto cælo distet a genuinis intermittentibus; & causam pertinaciorem, pravam nempe sanguinis diathesim, vel labefactata viscera agnoscere videatur : sed ordinem omnibus acceptissimum prosequi nil vetat. Cæteris intermittentibus rarius occurrit *quotidiana legitima*, quæ vere ut plurimum se profert, & nonnunquam quasi epidemice grassatur. Paroxysmis æqualibus & stata hora redeuntibus, sat discrepat a duplici tertiana & triplici quartana : equidem nemo nescit, primum, tertium & quintum paroxysmum duplicis tertianæ esse in eadem ratione; & parem ordinem observari erga primum, quartum & septi-

ſeptimum duplicis quartanæ. Inſuper a levi frigore *initium* ducit quotidiana, ſuccedentibus calore & pulſus velocitate remiſſioribus, & parco ſudore judicandis. Breves ut plurimum paroxyſmi, rariſſime duplices, ab hora ſexta matutina ad ſeptimam ingruentes, nonnunquam capitis dolore, cardialgia, inflatione abdominis, &c. ſtipantur. Ad menſes & annos protelatur hæc febris ſpecies; imo fertur quemdam, qui fatis ceſſit ætatis anno nonageſimo quinto, hac per ſexaginta annos laboraſſe. Notare expedit, quotidianam ſæpius larvatam incedere; ſub facie ſcilicet doloris capitis, arthritici, rheumatici, colici, &c. & ejus acceſſiones nonnunquam ad duodecim vel quindecim horas & ultra accedere. Quartanam in quotidianam quandoque abire nonnulli tradiderunt: num triplicem quartanam pro quotidiana habuerint dubitare licet: cum nullam eſſe affinitatem inter utramque jam ſupra declaravimus. Quædam febres ſymptomaticæ, nempe ab *hyſteri*, menſibus ſuppreſſis, &c. quotidianam etiam mentiuntur; ſed earum paroxyſmi haud ſtatis horis exſurgunt, & nullo ordine recurrunt.

Quotidiana, licet cæteris intermittentibus diuturnior, *periculo* ut plurimum *vacat; ni* præpoſtera medela, proprios limites tranſcendens in continuam vel lentam faceſſat: hinc congrua inſtituta victus ratione, cunctari & ſuperſedere expedit; donec certo conſtet de morbi genere. A perſpectis hujuſce febris phænomenis, conjicere licet, ejus fomitem, uti ſupra innui, in primis viis, vel in viſceribus digeſtioni famulantibus deliteſcere. Ideo ſaburræ ſtabulanti in ſtomacho & tubo inteſtinali primo, ſub dilucidis intervallis, proſpiciendum *vomitoriis* & *catharticis*, quidquid reclament, qui curationem a venæ ſectione auſpicandam eſſe autumant. Haud tamen vetatur ſanguinis miſſio, ubi ſanguis præfervidus in vaſis redundat; ſin minus, omittendam eſſe apud ſaniores practicos ratum manet. Foras eliminatis pravis digeſtionum reliquiis, ad reſerandas viſcerum obſtructiones, quæ hoc morbi genus fovere videntur, converti debent clinicorum curæ: ideo omnem implent paginam *aperientia* & *martialia*; quorum vires æmulantur, imo & ſuperant tonica. In ſubſidium etiam vocantur ſtomachica & amara, ſub infarctis viſceribus ſumme proficua: nec deſpiciendus eſt, obſervatis legibus medicis, cortex peruvianus, quem præter virtutem febrifugam, hanc febris ſpeciem minime reſpicientem, vi ſtomachica & roborante pollere, nemini haud obvium. Sed legitimam curandi methodum ne per ſomnium quidem norunt, qui juxta aliarum febrium intermittentium normam, huicce cortici febrifugo præpoſtere hærent.

FEBRIS TERTIANA.

HÆc inter congeneres vulgatiſſima, haud dilucida ſe prodit, niſi poſt tres elapſos dies; cum invadendi modo, vix a cæteris diſcrepet; vel ſæpius graviorem morbum mentiatur. Alternis diebus accedit, vel a primo inſultu, tertio quoque die, ſtatis temporibus, vel aliquanto ante; ac ſæpiſſime matutinis horis recurrit. Ejus *paroxiſmi*, præeunte frigore, a ſex ad duodecim horas, erumpente ſudore, judicantur: nonnunquam tamen ad viginti, imo & triginta horas protrahuntur. Quartus vehementior & longior obſervari ſolet; ſed ſequentes mitiores & breviores plerumque evadunt. Validiores & æſtuoſos paroxyſmos excipit genuina apyrexia: ſi vero debiles ſint, quidpiam febrile, intermedio tempore, præ ſe fert pulſus. Quo breviores ſunt, eo ſudor uberius erumpit: parcius vero ſe præbet, vel plane deficit poſt longiores. Febrem malignam ſub ſpecie febris tertianæ ſæpius produci, jam ſupra notavimus: hoc imminet periculum; ubi inſultus, ultra præfixos limites protenſi, nullo ordine recurrunt; ac præſertim ſi diebus intercalaribus, de cephalalgia, anxietatibus, virium lapſu, &c. nonnullo remanente febris veſtigio, conquerantur ægri. Inſuper plures febræ ſymptomaticæ; hyſtericæ nempe, verminoſæ, aliæque de quibus ſupra, tertianam æmulantur; ſed peculiares habent prodromos ſingulæ illæ febrium ſpecies; quibus rite penſitatis, errorem deflectunt exercitatiores. Paroxyſmi alternis diebus recurrentes *tertianam legitimam* produnt:

ubi vero ſingulis diebus redeunt, *tertiana duplex* audit. Bini inſultus intra nychthemeri ſpatium exſurgentes, cum die intercalari, alteram duplicis tertianæ ſpeciem præbent. Aliam commemorat Tulpius, penes quem ſit fides; cujus ſcilicet paroxyſmi bis ſingulis diebus inſurgunt, hinc quadruplex tertiana vocitatur. Porro inter congeneres numeratur *ſemi-tertiana*, vel hemi-tritis, quæ, ſi ad acceſſionum reditum rudiori modo attendatur, e quotidiana & ſimplici tertiana conſtare videtur; cum quolibet die redeat acceſſio; & alternis diebus duplex evadat: ſed id febris genus a tertianæ indole plane recedere videtur; quin potius ob truculentiora quibus ſtipatur ſymptomata ad febrem malignam vel peſtilentialem ſpectet: adde quod per contagium propagetur, & ſæpius epidemice graſſetur in Italia & Germania hic morbus Herculeus; alias in noſtris regionibus rariſſimus.

Tertiana legitima, & præſertim vernalis, ſeptem ut plurimum circuitibus judicanda; & cujus materia morboſa ſolito caloris gradu ſubigitur, non ſolum *periculi eſt expers*, ſed ſæpius ſalutaris evadit; ejus ſcilicet auxilio nonnunquam averruncantur obſtructiones, cachexia, inſultus convulſivi, aliique affectus chronici etiam exquiſitioribus præſidiis obſurdeſcentes. Paroxyſmi ſolito tardiores febris deceſſum ominantur: ſi citius pro more accedant, metus eſt ne tertiana, a proprio ingenio deſciſcens, in continuam faceſſat. Inſultus longiores & inordinatos cum intermiſſionibus moleſtis, haud minorem formidinem incutere ſupra notavimus. Pro mera evacuatione critica habetur ſudor in hacce febris ſpecie; quo ſufflaminato vel impedito, majorem ſævitiem exercet futurus paroxyſmus. Sudoris vices nonnunquam ſupplent vomitus & alvi profluvium: ſed urinæ hæc munia rariſſime obeunt. Puſtulæ circa labia erumpentes ſanitati præludunt; potiſſimum in febribus vernalibus. Tertiana demum diuturna, vel præpoſtera curatione impugnata, affectus chronicos ſæpius poſt ſe trahit. Duplex tertiana ſolutu difficilior cenſeri debet, ob breviores intermiſſiones, quæ anguſtius tempus præbent ad exhibenda ſpecifica. Hemi-tritis, vel ſemi-tertiana, febri malignæ plane ſuppar; quæ ut plurimum comitem habet phlogoſim; & cujus paroxyſmi ad viginti quatuor vel triginta horas & ultra accedunt, inter morbos exitiales jure numeratur. Si præter ſpem ex hoc diro affectu evadant ægri; caveant ejus reditum ſolitum eludere Medicorum artes. Eviſcerata cadavera hoc morbo extinctorum nil præter infarctus, phlogoſes, putredinem & necroſim exhibent. Omentum præcipue abſumptum & gangrænoſum conſpicitur.

A venæ ſectione, ſivires ferant, ut plurimum ſuſcipitur variarum tertianæ ſpecierum *curatio*: dein primis viis emetico proſpicitur; & poſtero die, ni obſtet paroxyſmus, propinatur catharticum, ut ſordes in digeſtionum receptaculis nidulantes, quæ hunc morbum fovere ſolent, prorſus everrantur. Ab exhibito poſtea ſpecifico, cujus agendi modus in obſcuris latet, facile coercetur quintus vel ſextus paroxyſmus. Præter corticem peruvianum, cæteraque febrifuga amara, quæ peculiari contra hancce febrem efficacia pollent; alia uſurpantur præſidia: tonica nempe, diaphoretica, aperientia & diuretica; inter quæ nitroſa haud infimum locum tenent: ſed hæc omnia ſuperflua cenſeri debent in tertiana legitima & *vernali*, quæ ut plurimum ſponte definit, vel generalibus remediis fugatur. Si tertiana ad febrem malignam vergat, alia ſuperius tradita ineunda eſt medendi via: nec abſimilem expoſtulat methodum ſemi-tertiana; febris, uti jam inculcavimus, malignæ cognata: conducunt ſcilicet, præmiſſis præmittendis, temperantia, nitroſa & antiputrida, diaphoretica, abſorbentia, cathartica, aliaque de quibus ſupra: ineffi-cacem, vel noxium eſſe adverſus hancce poſtremam, corticem peruvianum ex obſervatis colligitur. Inſuper laudantur ſalia neutra, ut ſpiritus Mindereri, ſal abſinthii cum ſucco limonum, &c. adverſus febres anomalas, ad intermiſſiones, vel remiſſiones regulares, ſeu typicas, reducendas. Coronidis loco addere juvat, quod aqua ſimpliciſſima egregium præbeat hujuſce remedii ſuccedaneum: hæc enim per tres, quatuorve dies pro omni potu, vel affatim hauſta, citius & tutius ipſomet cor-

cortice, vel exquisitiori, tertianam simplicem vel duplicem abigere solet. Præterea kinakina inferioris notæ, vel præposterе exhibita sæpius haud levem perniciem infert: aqua vero, ni vires plane deficiant, semper innocua censeri debet. Neminem postremo practicum fugit, quod sæpius ab usu corticis specifici febris tantummodo sopiatur, denuo reversura: ac ne minimum quidem reditus periculum incurrunt, qui aquæ beneficio curantur. Sed proh dolor! paucis arridet remedium vulgatissimum & nullius pretii: nec desunt delicatuli, qui, inconsulta experientia, hanc diætam tenuissimam, haud citra periculum adhiberi posse, per plures dies, existiment; quibus nil aliud præter Plinii effatum objicimus: qui volunt decipi, decipiantur.

FEBRIS QUARTANA.

Supra traditis de hac pertinacissima febris specie addere licet, *paroxysmum*, ratione frigoris & caloris, haud vehementem, tertio quoque die, ut plurimum post meridiem, recurrere; nec ultra sex horas protelari: imo successu temporis brevior evadit; adeo ut intra horam nonnunquam *contineatur*; atque in sudorem parcum, ni plane deficiat, desinit. Notare tamen expedit, quod nonnulli ægrotantes, post septimum paroxysmum, de sudoribus nocturnis quotidianis conqueruntur, qui ultra mensem raro protrahuntur. Insuper *quartana*, ob ingentem ciborum appetitum, cui plerique obtemperant, indomabilior evadit. Nec reticendum sanguinem venæ sectione eductum crusta quadam exalbida vel subflava obduci; quam perperam pro inflammationis indicio haberi, per transennam observare juvat. *Duplicis quartanæ* paroxysmos primo & altero die; quarto & quinto; septimo & octavo; & sic deinceps, ingruere supra notavimus. In *triplici* vero *quartana* quolibet die insurgit accessio: sed in utraque febre paroxysmus quarto die invadens primo respondet; ac tertio quoque die eadem ratione, in posterum redit: atque hacce nota rite distinguitur triplex quartana a quotidiana.

Constat *quartanam* nonnunquam *ad plures annos*, cum tamen variis dilucidis intervallis, protelari; præsertim in senibus & melancholicis: etenim quartanam viginti annorum se vidisse testatur Blaw. Hinc minime mirum, si tum ægri, tum medentes longioris curæ pertæsi, ejus diuturnitatem ægre ferant. Hancce febris speciem haud bis invadere in toto vitæ curriculo perhibent; quod experientiæ, ni fallor, nequaquam adversatur. Longioribus tamen intermissionibus duarum scilicet vel trium hebdomadarum, & amplius intersecatur quartana; quæ induciæ ægros se incolumes existimantes sæpissime decipiunt. Insuper facillima arte intercipitur paroxysmorum series; vel longiora obtinentur interstitia; sed serius ocyus, a variis accidentibus, vel a posthabita recta vivendi norma, recurrunt insultus. Per urinas nigras nonnunquam judicatur hæc febris species. Constat e clinicorum choro, partum, fluxum hæmorrhoidalem, peripneumoniam, variolas, aliumve morbum acutum, sæpius quartanam profligasse: sed si plures ægritudines sint quartanæ remedium, hæc invicem epilepsiam, hypochondriasim, nephritidem, arthritidem, aliosque morbos domari nescios, radicitus evulsit. Quartanam demum vitam longiorem polliceri vulgo fertur: haud raro tamen hæc febris, sæviente rigore, debiles vel extremo senio confectos e medio tollit contra adagium antiquissimum Gallo-Provinciale, quod sic se habet: *Febres cartano n'a jamai fa fuona campano*; febris scilicet quartana neminem unquam ad libitinæ rationem duxit. Nihilominus hæc febris species, cui obnoxii sunt cachectici & melancholici, varia post se trahit infortunia, icterum nempe, hydropem, infarctus skirrhosos viscerum abdominalium, quæ nonnunquam purulentia defœdantur: tussem chronicam, asthma, verminosam progeniem, &c. Idem esto judicium de duplici, & triplici quartana; quæ species etiam *contumaciores* censentur; ni pristinam formam, quartanæ scilicet simplicis, recuperent.

Tradit Sydenhamus se nunquam vidisse in Anglia quartanam ante septimum mensem curatam: sed aliter rem se habere in nostris regionibus, experientia edocti, asserere minime dubitamus. Haud tamen festinan-

ſtinanda eſt *curatio*; nec niſi ſumma cautela exhibendus eſt cortex peruvianus, qui ſummam ſub hacce febre noxam inferre valet, præſertim ſi, uti crebro accidit, labefactatum ſit hepar. Nec magis congruit hoc febrifugum quartanæ ſymptomaticæ, quæ ſcilicet a lue venerea, ſcorbuto, cachexia, aliiſque morbis, qui abſimilem curam efflagitant, ortum trahit. Quoad quartanam legitimam; primo impugnatur diæta, diluentibus & temperantibus, quæ humoribus craſſioribus fluiditatem & organis rigidioribus flacciditatem impertiri valent. Venæ ſectio raro congruit; ſed præſentaneam opem confert emeticum; cujus efficaciæ egregie favet hauſtum poſtero die catharticum, nec ulterius procedente morbo exhibenda ſunt hæc evacuantia, niſi neceſſitas urgeat. Quod ad corticem peruvianum attinet, hunc minime uſurpandum cenſemus, niſi poſt ſeptimum ſaltem paroxyſmum: nec coercita febre ſuperſedendum, quin potius aliquandiu ejus protelandus ſit uſus. Raro tamen, ut verum fateamur, præcavetur reditus hoc ſolo febrifugo; unde fit, ut aliis præſidiis opus ſit; roborantibus nempe, & aperientibus, quæ morbi cauſam magis reſpiciunt. Inter prima laudantur ſalvia, betonica, abrotanum, acorus, cinnamomum, aliaque id genus: ſed hæc omnia longe antecellit caſcarilla, quæ pro hacce febre ſpecifici titulo quaſi gaudet.

Omnibus aperientibus officinalibus, quæ hic recenſere faſtidioſum eſſet opus, palmam præripiunt aquæ minerales, tam frigidæ, uti Vallenſes, Merienſes & Veſullenſes; quam Thermales, Vicienſes nempe, Bellilucanæ, Vervonenſes, Borbonenſes, Anſelmienſes, Granenſes, &c. quarum beneficio latex morboſus ex intimis vaſorum receſſibus excutitur, & reliqua completur curatio: adeo ut æger harum ope a recidivæ metu ferme liberetur: quapropter, cæteris nil proficientibus, ad hæcce remedia, tanquam ad ſacram anchoram, confugere expedit. Nec deſunt alia præſidia, quæ etiam ſuas laudes merentur; antimonium nempe, aquila alba, aliaque præparata mercurialia; ſal ammoniacum, magneſia, cæteraque abſorbentia; amara, diaphoretica & ipnotica, de quibus ſupra, quæ non ſolum quartanæ exquiſitæ, ſed etiam duplici & triplici apprime congruunt. Haud leve denique auxilium præſtant balnea, villicatio, peregrinationes, &c. Coronidis loco addere lubet, quod ſi totum curationis negotium naturæ committatur, ſerius ocyus ſolis œconomiæ animalis viribus deſinit hæc pertinaciſſima febris ſpecies: quo felici eventu nonnunquam beantur ægri inter uſum inertium remediorum, quibus tamen hæc ſpontanea curatio ſemper tribuitur: hinc tot inſulſæ & ſpuriæ obſervationes, quibus ſcatent libri.

FEBRIS REMITTENS.

VAria ipſi induntur nomina; a quibuſdam enim *ſubintrans*, a nonnullis *ſynocha*, ab aliis *continens*, &c. vocitatur remittens, quæ inter continuas & intermittentes medium quaſi locum tenet; ſed ad poſtremas propius accedere videtur; cum a bene perſpecto remiſſionum ordine pateat typus tertianæ, duplicis tertianæ, quartanæ, &c. præter quam quod intermittentes ſæpius in remittentes abeant; & hæ poſtremæ in intermittentes faceſſant. Nonnullæ tamen febres, de quibus in præſentiarum, continuarum characterem aſſequi videntur; adeo ut illas ad proprium genus referre liceat; ni in ſubſidium veniat examen lotii, cujus color lateritius intermittentium indolem prodit. Febris, ſub hoc genere ab invaſione ad ſolutionem, ægrum non dimittit; ſed ſtatis plerumque temporibus frigore, oſcitatione, aliove præludio ſpaſmodico, intermittentium inſtar, exacerbatur, nulla obvia cauſa evidente. A levi frigore *oritur* febris remittens, cujus æſtum raro mordacem excipit ſudor plus minuſve conſpicuus. In nonnullis, procedente paroxyſmo, ptyaliſmus erumpit; ſed plerique urinam profundunt flammeam, quæ tempore remiſſionis ſedimentum quoddam deponit. Id genus febris vomitu, diarrhœa, cholera, convulſionibus, &c. plerumque ſtipatur; præſertim ſi inordinatæ ſint periodi. Hanc etiam concomitantur dolores, huic vel illi parti infixi; & a pleuriticis, colicis, rheumaticis, &c. vix diſcrepantes.

Remittens legitima, cui ſuum jus plerumque reſtituitur, haud majorem metum in-

incutit, ac intermittens; sed in ancipiti versatur inordinata & anomala, cujus scilicet paroxysmi nulli temporum normæ submitti queunt. Epidemice grassans, comitem sæpius habet inflammationem, imo & malignitatem, ut inquiunt, adsciscit; hinc jure inter morbos graviores, & ancipitis eventus numerari solet. Remittens quartanæ typum referens, *pertinacior* & *periculosior* censetur, cum in febrem hecticam sæpius abeat, vel marasmum, hydropem, &c. post se trahat. Evacuationibus criticis haud plane defraudatur febris remittens; cum sexcentis historiis constet, sudores erumpentes, vel manantem salivam haud exiguum levamen præstitisse: imo & urina sedimentum diversæ indolis præbens, nonnunquam etiam confert.

Ut ad *curationem* deveniamus, præmissis venæ sectione & vomitorio, blandioribus remediis, diluentibus nempe & temperantibus est auspicanda; æque ac sub aliis febrium intermittentium legitimarum speciebus: sed caute & parce præscribi debent cujuscumque sortis medicamina. Quantam enim noxam inferat tumultuosa remediorum administratio, multiplici profecto experientia compertum manet. Opportune sæpius usurpantur antiputrida, haud raro juvant amara & stomachica, nec expertis invisa sunt diaphoretica mitiora; sed solerti manu pertractari debent hæc præsidia, cum genuina hujusce morbi causa, e qua depromi solent indicationes, in obscuris lateat. Cortex demum peruvianus, temperantibus sociatus, pro votis plerumque succedit; dummodo alvus haustibus laxantibus vel enematibus congruis fuerit, uti par est, soluta. Cum demum febris remittens, naturæ intermittentium & continuarum particeps esse videatur; non absimili ferme curandi methodo, habita ratione circumstantiarum, subjicitur: ideo plura non addimus, ne recoctam crambem apponamus. Sed si hæc de febribus intermittentibus & remittentibus exarata plus æquo contracta videantur, adire licet tractatum anonymum de hac re nuperrime typis Tornæsianis evulgatum, cujus Auctor, latissima fama nulli secundus, rei medicæ promovendæ strenuam operam navat.

PLETHORA.

VItam desidem & umbratilem, somnum longiorem, & liberaliorem exquisitissimarum dapum usum, cui plerumque indulgent, qui ambiunt alios amystide vincere, *plethoram* sub ætate potissimum viridi accersere, nemini haud obvium. Sed ab alia causa quandoque *soboleſcit*, ni sit congenita; a sufflaminatis nempe diuturnis vel assuetis profluviis, tum spontaneis, tum arte concitatis, quorum beneficio servatur forte consensus inter solida & liquida, quo deficiente imparia videntur viscera demandatis muniis rite adimplendis, quæ in perpetua continentium & contentorum reciprocatione versantur: sed hisce atra caligine immersis, & per transennam adductis, haud diutius inhæremus; ne deturpetur opus meris observatis contexendum. Inter causas plethoræ juvenum recenseri debent crebriores hæmorrhagiæ; vel plus æquo repetitæ venæ sectiones; cum apud solertiores ratum maneat, eo plus sanguinis confici sub florida ætate, quo plus demitur. Ut igitur in orbitam revertamur: præter tradita antecedentia, e quibus bene perspectis, haud levis emergit plethoræ suspicio: *aliis notis* se prodit sanguis in corpore prædominans; pulsu scilicet pleno, venarum amplitudine, pro variis corpulentiæ gradibus, plus minusve conspicua; colore cutis florido, totius corporis æstu, propensione ad venerem, vultu rubore perfuso & oculis flammeis: somno profundiori & dolore capitis gravativo, haud raro reccurrente; spirandi difficultate, quæ ascensu ad loca acclivia, vel quovis alio motu exacerbatur; artuum stupore & lassitudine spontanea; vires enim a luxuriante sanguine obruuntur; proclivitate demum ad febrem, phlogosim, hæmorrhagias, &c. Plenior corporis habitus pro dubio *plethoræ signo* haberi debet; cum haud raro accidat, ut obesi sanguinis profluvia difficilius ferant, quam macilenti, eo quod vasa sanguifera, adipi immersa, certam crassitiem, præambientium compressione, assequi minime valeant: nec magis fidendum cutis colori florido, qui nonnunquam a peculiari, vel insolita corporis constitutione potius pendere

dere videtur, quam a ſanguinis exuberantia. Rite diſtinguenda etiam venit plethora vera, quæ haud niſi pedetentim incrementum ſumpſit, ab ſpuria, vel illa vaſorum turgeſcentia, quaſi ſubitanea, merum variorum laticum rareſcentiæ effectum ſiſtente: hanc poſtremam crebro oriri ab æſtu febrili, inſolatione; a curſu, alioque incondito corporis motu; ab ingluvie, vel a liberaliori hauſtu liquorum ardentium, quæ variis titulis apud bibones ſuperbiunt, &c. neminem vel inexpertum latet. Num plethora inter morbos recenſeri debeat, vel in cauſarum ordine collocari, aliis examinandum relinquimus: ſed illud nobis incumbit munus, ut accuratam *ſymptomatum* nonnunquam mortis prænuntiorum, hujuſce corporis conditionis pediſſequorum hiſtoriam tradamus. In hunc cenſum veniunt vertigines, inſultus convulſivi, apoplexia, cephalalgia, ophthalmia pertinacior, febris, phlogoſis, hæmoptyſis, aliæque ſanguinis eruptiones; catarrhus ſuffocans, cordis palpitatio, arthritis; aliique morbi periculi nequaquam expertes, a congeſtione vel ab ſtagnatione oriundi, qui licet peculiarem & diverſam indolem præ ſe ferre videantur, haud abſimili tamen curandi methodo impugnantur; quæ eo præſertim collimat, ut minuatur ſanguinis moles.

In hoc ſolo cardine verſatur plethoræ *curatio*; quæ non ſolum ſanguinis miſſione, ſed etiam accurato regimine peragitur; victu ſcilicet tenui, labore vel quovis alio corporis motu, ſomno breviori, &c. Hæc præcipue conferunt, ſi maſſæ ſanguineæ exſuperantia nullam labem viſceribus intulerit; vel hocce fluentum nondum extra propria vaſa eruperit. Ubi vero de ſuppreſa quadam evacuatione conſtat; maximi eſt momenti, ut quavis arte, & nulla mora, revocetur, & in integrum reſtituatur. Haud debitis tamen laudibus eſt defraudanda venæ ſectio, qua ſcilicet brevi tramite deplentur plus æquo turgida ſanguinis receptacula, & ſic obviam itur hujuſce laticis exceſſui: hæc potiſſimum proficue adhibetur in juvenibus & prægnantibus: ſed haud plus æquo repetenda, ne vaſa, fracto ſolidorum elatere, debiliorem appellentibus ſuccis objiciant reſiſtentiam: hinc fit, ut humores, ſolita elaboratione orbati, ſuis obeundis muniis impares evadant. Præterea conſtat variis experimentis ſumma induſtria captis ſanguinis uncias ſexdecim venæ ſectione eductas, intra quinque dierum ſpatium reſtitui in homine ætatis floridæ: hinc conſectarium manet, repetitam venæ ſectionem nonnunquam, uti ſupra innui, ad plethoram diſponere. Caveant igitur qui, peſſimo more, numeroſioribus venæ ſectionibus indulgent, ne alios morbos miſellis ægrotantibus lugendos promoveant. Nec omnibus plethoricis congruit venæ ſectio; cum plures occurrant, vel habitus athletici, qui quamlibet ſanguinis detractionem minime ferre valent: nec deſunt, qui hanc expaveſcunt; ut ab aſpectu phlebotomi animo linquantur. Admoveri queunt in utroque caſu hirudines; quorum beneficio cruor pro lubitu educitur, nullo ſuccedente incommodo. Imminuta, quavis arte, ſanguinis copia, haud prorſus inutilia cenſeri debent cathartica, diuretica, diaphoretica, aliaque evacuantia; quibus quædam ſubducitur humorum ſanguini confuſorum portio; & eadem ratione deplentur vaſa: ſed incaſſum adhibentur hæc medicamina, ni præmiſſis venæ ſectionibus, diluentibus & congruo regimine, ipſis ſternatur via. Si poſtremo ſanguinis exſuperantia cum prava humorum diatheſi implicetur, cachexiæ habendam eſſe rationem, evidens eſt. De *plethoræ ſpuriæ* medela nihil addimus, cum neminem fugiat, hanc diæta, diluentibus & temperantibus facile eximi; nec aliam curam ſibi vindicare.

ÆSTUS MORBOSUS.

HOc ægritudinis genus, ſub ætate juvenili familiariſſimum; de quo tamen ne verbum quidem mutierunt Auctores; crebro *invadit* temperie ſanguinea vel biliоſa, necnon mente præfervida præditos. Febrem ephemeram nonnunquam antegreditur; & non ſecus ac hæc febris ſpecies, *courbature* apud plebeculam audit: nec abſimilis eſt naturæ hic corporis ſtatus, quem vocitant Gallo-Provinciales, & Occitani, *mourfoundamen*. A mera ſanguinis incaleſcentia, vim febrilem ſæpius æquipollente,

te, ordiri huncce morbum vulgo fertur; sed haud fugit artis proceres, genus nervosum in hocce promovendo præcipuam symbolam conferre. Excubiæ nocturnæ, vel lucubrationes immodicæ; hælluationes vel insolitus cupediarum usus, liberalior vini & liquorum ardentium potus, exercitatio immodica, labor arduus & improbus, meditationes profundæ, studium pertinacissimum, castra veneris, &c. sunt totidem hujusce affectus *causæ evidentiores*. Ægre discernitur hæc adversa valetudo intra certos limites subsistens; adeo ut hac correpti, qui vix ægrotare videntur, raro Medicos acciant: aliter se res habet, si ad certum gradum evehatur; sed *hunc statum produnt* lassitudines spontaneæ, dolor capitis, somnus interruptus, &c. Interea exardescunt caput & viscera, vel internis ignibus æstuant: sed hicce calor raro per habitum corporis se profert; hinc minime mirum, si ab admoto axillis vel inguinibus thermometro, haud innotescat: quod tamen non impedit, quominus ignis e variorum cute excutiatur & coruscent scintillulæ. Lingua interdum sicca observatur, & sæpissime sitis urget. Pulsus inter naturalem & febrilem quasi medio modo se habet. Plures de sudoribus nocturnis a vehementiori calore conqueruntur: in nonnullis alvus solvitur, & lotium mingitur flammeum. Languet ut plurimum appetitus, vel plane deficit; ac tardiores & molestæ fiunt digestiones. Haud raro denique erumpunt variæ cutis efflorescentiæ, & ipsemet sanguis extra pulmonum, renum, &c. claustra exilit. Licet æstus morbosus pro primo *febris ephemeræ* gradu, vel prodromo, uti jam innuimus, haberi queat; soluto tamen difficilior haud immerito censetur: nil mali enim portendit febris ephemera æstum morbosum excipiens; imo & salutaris plerumque evadit; cum ejus beneficio primus quasi judicetur morbus; qui alias contumacior, nec periculi expers censeri debet, quandoquidem ex sexcentis historiis constet, quod e posthabito æstu morboso, non solum soboleſcant jam enumerati affectus; sed etiam variæ emergant febres inflammatoriæ, vel alterius sortis, quæ ægrotantes in vitæ discrimen trahunt: quod tamen non impedit, quominus *secundis avibus* judicetur hæc ægritudinis species, si recta & tempestiva curandi methodo impugnetur; vel totum negotium congrua accedente victus ratione, naturæ relinquatur. Aliter se res habet, si humores ad alkalescentiam vergant, quam produnt æstus corporis, oris graveolentia, atque insolitus sudoris, urinæ & fæcum fœtor.

Secta cadavera, post æstum morbosum, passim exhibuerunt phlogoses & purulentias, tum in pectore, tum in abdomine, pericardium cordi adnatum in nonnullis annotatur. Ventriculus occurrit inflammatus, crassus & contractus, bile scatens & ductum choledocum nonnunquam recipiens, ac purulentia defœdatum. In conspectum veniunt intestina, ac præsertim colon putrefacta, invicem hærentia & in glomeramen circumvoluta. Hæpar, lien & pancreas infarcta & scirrhosa se præbent; lien præcipue cartilagineam duritiem assequitur; ut de aneurismate, aliisve tumoribus diversæ indolis & variæ sedis sileamus.

Inter efficaciora *præsidia* insignem locum obtinet venæ sectio; si vires ferant: nec inutilem opem præstant laxantia mitiora, cum eadem cautela propinata: alias humectantibus, refrigerantibus, temperantibus, obtundentibus; imo & depurantibus, si cujusdam latentis materiæ morbosæ sit suspicio, inhærendum: constat, ex hisce parari ptisanas, apozemata, juscula, emulsiones, &c. quibus affatim haustis morbus in ipsis quasi incunabulis sæpius præfocatur. Inter cætera, summis laudibus jure extolluntur plantæ cichoraceæ; nitrosa & acida, quæ, experientia judice, multum valent ad domandos ferociores humorum impetus. Multum etiam deprædicatur serum lactis; vel ipsummet lac; ni obstet debilior stomachus. Nec minori successu adhiberi solent aquæ Vallenses, Monferinenses, Meinenses, Reginenses, Vesullenses, aliæque innumeræ frigidæ minerales ejusdem indolis; quæ aliorum medicaminum vires æmulari, vel superare videntur. Nonnunquam conducunt sedantia, imo & hypnotica, dummodo non nisi præmissis generalibus præcipiantur. Haud inanem postremo operam ludunt enemata refrigerantia crebro injecta; nec ab expertis abdicantur balnea, quibus sæpius reliqua quasi completur curatio.

VIRIUM EXOLUTIO.

Licet hic morbus a poſtremo vix diſcrepare videatur, & cum illo ſæpius implicetur; a recta tamen inſtituta *diagnoſi* facile diſtinguitur; cum unus lento greſſu incedat, nec niſi ſenſim incrementum ſumat; dum alter brevi a recenſitis cauſis contrahi poteſt. Præterea *virium exolutio*, noſtratibus *epuiſement*, pejoris eſt ominis, abſimilemque curam expoſtulat. Nec huc coincidit virum proſtratio ſymptomatica, quæ lipothymiam, paralyſim, alioſque graviores morbos concomitatur; cum vires exauſtæ, de quibus in præſentiarum, morbum, ut inquiunt, per ſe referant. Alimentorum penuria, enormes hæmorrhagiæ, larga per alvum, renes, cutem, &c. profluvia; curſitationes longiores, labores improbi, ſtudium immodicum; amoris æſtus in rabiem quaſi verſus: onaniſmus, vel hæc nefanda conſuetudo, quæ aſtu funeſto ſemper occultatur, &c. virium lapſum accerſere ſolent; qui ratione fontis & gradus, nunc periculi expers; nunc gravis & *ancipitis eventus*; alias exitialis & letho finitimus judicatur.

Etſi a perſpectis jam memoratis cauſis ſæpius in propatulo ſe ſiſtit hoc ægritudinis genus; peculiaribus etiam *ſignis* innoteſcit, quæ ſic ſe habent. Itaque hoc morbo correpti vix pedibus ſtare queunt, vel gradu ceſpitante ambulant: contabeſcentium mens ſenſim obnubilatur; & artus quodam ſtupore afficiuntur: in varias febrium ſpecies incidunt, delirio, lipothymia, aliiſque truculentioribus ſymptomatibus ſtipatas: ſomnus, quo recreantur vires, arcetur; impediuntur organa reſpirationi famulantia: alvus ut plurimum ſtricta manet; aliæque excretiones ægre perficiuntur. Haud raro erumpunt hæmorrhagiæ e naribus, ore, &c. vix cohibendæ: ſtillicidium ejuſdem commatis per urethram, ſua diuturnitate funeris metum incutiens, in quodam ganeone obſervaſſe memini. Sub hac *calamitoſa rerum conditione* ſanguinem ſuis particulis balſamicis orbari & mortem eſſe in propinquo facile colligitur. Nec deſunt, qui priuſquam de morbo conſtiterit ab ingruente ſyncope, ſubita nece extinguuntur. Nonnulli demum morbo ad acmen perducto, lecto perpetuo affixi, vitam trahunt tædio & ærumnis exaſperatam; & tractu temporis ad libitinæ rationem veniunt. Nonnunquam tamen ad incitas redacti, & pro deploratis habiti, ad vivorum numerum quaſi revocantur; hæc curationis ſpes eluceſcit, ſi viſcera nullam labem contraxerint. Hinc variam pro morbi gradu & diverſis phænomenis, inſtituendam eſſe *prognoſim* conſectarium manet. Præterea nil certi de eventu ſtatui poteſt, ni recta cauſæ remotæ habeatur ratio; quæ tamen, peſſimo ægrotantium conſilio, ſæpius atra caligine immergitur.

Inter *perſcrutationem hoc morbo denatorum*, conſpiciuntur phlogoſes & perulentiæ; atque ſtagnationes diverſæ ſortis. Reperiuntur cerebrum tabo conſpurcatum; proceſſus falciformis oſſeus; pulmones putridi coſtis hærentes, cum mediaſtino nonnunquam inflammato; ſanguis concretus in bronchiis; cor ſanguine concreto turgens, purulentia tactum, concretionibus lapideis inquinatum; valvulæ oſſeæ; pericardium cordi accretum, vel ſterno morboſe hærens, aqua turgens, purulentia defœdatum, vel lapides continens: ventriculus inflammatus, ſanguinem concretum continens, ulcuſculis exeſus & gangræno-ſus; hepar durum & infarctum, putridum; cum cyſtide fellea inani; lien marcidus, ingens, cartilagineus & putris; renes putridi; & lithiaſis renum & veſicæ: præter aneuriſmata in abdomine, tumores ſteatomatoſos & cyſticos; ſanguinem ſtagnantem, &c. quibus addere licet peritonæum craſſiſſimum, vel abſumptum.

Blandioribus remediis oppugnari debet hic affectus; ideo parum in hoc caſu conducunt cardiaca, analeptica, aliaque cognata ſtimulantia; vel roborantia, apud vulgus decantatiſſima; quæ vires potius proritant, quam reſarciunt. Cardiaca enim exquiſitiora, ſub hac rerum conditione, follium munia, erga vulgatiſſimum ignem, accurate æmulantur; cum hoc remedii genere ignis vitalis lucidior fiat, ſed citius abſumatur & extinguatur. Hinc totum fere negotium, congruo compoſito regimine, naturæ eſt committendum: huic obſecundat mentis & corporis quies, quæ ad vires refocillandas

non

non immerito deprædicantur. Nec parvi habetur aeris permutatio, multiplici experientia comprobata; cujus beneficio plures, nulla alia adhibita cura, priſtinæ ſanitati reſtituuntur. Feſſis interea ſuccurritur alimentis euchymis; ſed ſæpius obſtant febris & prava ſtomachi diſpoſitio; adeo ut primum tunc temporis incumbat munus, ut diluentibus & temperantibus compeſcatur febris; atque blandioribus catharticis everrantur ſordes in ventriculo nidulantes; cujus tonus debito dein ſtomachicorum uſu inſtaurantur. Nemo non novit, alimenta exquiſitiora; juſcula nempe vel ſuccum e coctis carnibus expreſſum; gelatinas, cibum album, aliaque ſexcenta artem culinarem, potius quam medicam ſpectantia: ſed pleroſque latet, hanc alimoniæ ſpeciem haud ſemper rite coqui in ſtomacho ob defectum ſcilicet ſalivæ, quæ ſola maſticatione elicitur; adeo ut plures occurrant, qui pane & carnibus, abſque incommodo, veſcuntur; quorum ſtomachus, quod bene notare expedit, ab ipſomet juſculo gravatur.

Hinc patet quanti ſit momenti, ut rite perpendantur ſtomachi vires, & magis congrua ſeligantur alimenta, ne a præpoſtera horum elaboratione ægrorum res in pejus ruant. Nec una eademque methodus competit macilentis & obeſis: primi enim omnes evacuationes ægre ferunt, quæ aliis optime cedunt. Emaciatis præterea proficue adhibentur alimenta euchyma, raro obeſis profutura. Solum lac, cæteris conſentientibus, utriſque emolumento eſſe experientia docuit: ſed parum neutris conferunt analeptica, e pharmacorum penu deprompta; ac præſertim cardiaca, quæ fugacem tantummodo effectum præſtant: hæc enim cujuſvis ſortis ſtimulantia, ſanguinis excandeſcentiam fovere; & hinc ſummam perniciem inferre queunt; ut ſolerti manu tractentur. Veruntamen rite indagatis morbi cauſis & phænomenis; ac congrua inſtituta diæta, manus auxiliatrices præbere valent prædicta medicamina, præſertim in phlegmaticis, & ætate provectis, quorum ſanguis minus ad efferveſcentiam pronus jure cenſetur.

Hic tamen non eſt ſubticendum, martialia & ipſummet corticem peruvianum ſummis laudibus extolli a clariſſimo Tissot de praxi medica bene merito: hæc enim ſæpius profuiſſe in hoc affectu a nimia ſeminis profuſione contracto, aſſerit egregius Auctor, qui ſuam de hac re mentem ad experientiæ incudem ſæpius revocavit. De horum tamen remediorum viribus ulterius, pace laudati Auctoris, inquirendum eſſe cenſemus; cum ſub hac rerum conditione, humorum excadeſcentiam infenſiſſimam concitare queant. Quod ad venæ ſectionem attinet, nullus ambigendi locus, quin huicce morbo officiat; ideo a ſanioribus plane abdicatur, ni urgeant immanis cephalalgia, febris vehementior, vel hæmorrhagia nulla alia arte cohibenda. Haud minus pertimeſcenda ſunt cathartica; quæ tamen adhibere licet, urgente neceſſitate: conducunt enim, ut jam innuimus, hæc poſtrema in pravis digeſtionibus; quas, viribus exhauſtis, luctuoſas quandoque evadere neminem clinicum latet. Poſthabitis demum hiſce monitis, futilem fore probam & rationalem vivendi normam cuivis obvium.

SANGUINIS INOPIA.

Nil aliud eſt hic affectus, de quo altum apud Auctores ſilentium, quam *inanitas vaſorum ſanguineorum*. Semper fere deliteſcit hoc haud infrequens morbi genus; quod per ſectionem cadaverum in apricum venit; nec ex alio fonte depromemus, quæ de hac re nobis ſunt dicenda. Hunc morbum *intricatiſſimæ indaginis* meris conjecturis aſſequi licet poſt inediam inſolitam; vel immodica ſanguinis profluvia, tam per venæ ſectiones, quam ab hæmorrhagiis: ſed dubia & fallacia ſunt hæc indicia, cum nonnunquam accidat, ratione peculiaris corporis conſtitutionis, qua omnes excretiones quaſi ſufflammantur, ut poſt inediam diutius protractam, emergant febres ſolis venæ ſectionibus fugandæ; quod ſane quidem arguere videtur haud ultra modum, ſub hoc caſu, depleta & exinanita fuiſſe ſanguinis receptacula. Nec huncce morbum magis in propatulo ſiſtit ſtupendum ſanguinis profluvium; cum nonnunquam accuratiori obſervatione compertum fuerit, quod e maximo hujuſce laticis diſpendio, non ſolum non minuatur ejus moles, ſed e contra augeatur; & emergat

plethora; cujus phænomeni modum jam ſupra extricavimus. E quibus colligere datur, quod etiam poſt defectum alimoniæ, vel diuturniora ſanguinis profluvia, de ſanguinis penuria nondum liquido conſtet. Hinc ſequitur, ſpiſſioribus tenebris obvolvi huncce morbum; ni præceſſerint exaratæ cauſæ, & a ſola vitiata hæmatoſi pendeat, quod haud ſemel obſervaſſe mihi contigit in nonnullis cachecticis, & præſertim virginibus chloroticis, in quibus ſufflaminabantur catamenia, quod ſane notatu dignum occurrit.

Hinc patet, quantis difficultatibus prematur hujuſce morbi *diagnoſis*; adeo ut ſæpius Œdipo opus eſſet. Inter haſce anguſtias, nonnulla e proprio penu deprompta candide aperiemus; quæ, ſi animum veritatis avidum minime explent, ſuſpicionem ſaltem hujuſce latentis affectus injicere queunt. Itaque hoc abditiſſimo morbo afflicti, viribus ſenſim orbantur; & de pertinaciori aurium ſibilo conqueruntur: appetitus languet, vel plane deficit, & faciei nitor ſæpius obſcuratur. Plerique alvi fluxu conflictantur, vel diabete laborant: alii ſudoribus diu noctuque diffluunt. Nonnulli, ad lipothymias proni, ſubito rapiuntur. Interdum tument tibiæ; atque dein in pectoris & abdominis cavum effunditur latex ſeroſus. *Procedente morbo*, ut plurimum inſomnes ægri, alta ducunt ſuſpiria, & omnem fere recuperandæ ſanitatis ſpem deponunt. Nec deſunt, qui mœroribus confecti, vel perpetua mortis formidine preſſi, plane deſipiunt; donec ſerius ocyus rebus humanis vale ſupremum dicant. Si ſub hac rerum conditione de inedia, vel immani ſanguinis profluvio conſtet, haud falſo infertur vaſa ſanguinea inaniri: ſed nonnunquam, ut verum fatear, deſiderantur prolata ſigna; & deficiunt prænuntii; adeo ut plane tunc occultetur hic morbus exitialis, qui vel oculatiores fugit.

Fidem ſane ſuperant, quæ pluries inter rimanda *cadavera* hoc morbo extinctorum obſervavimus; nonnulla vidimus quaſi exanguia, adeo ut etiam apertis capite, thorace & abdomine, ne quidem guttam ſanguinis funderent; non ſecus ac ſi partes ſectæ e mera cera conſtarent. Diligentius perſcrutata vaſa exilia omnino depleta reperiebantur; majoribus vero ſemivacuis ſe præbentibus: utraque flatu turgida occurrebant; qui, trans pellucidas cerebri venas & arterias, oculis facile ſubjiciebatur: inſuper aerem intra prædicta receptacula ſæpiſſime reperiri, minime fugit, qui numeroſis ſectionibus interfuerunt. Ne minimum fere cruoris veſtigium vidimus in cerebro cujuſdam virginis, ſubita nece extinctæ; cui intra annum centies, neſcio qua ratione, vena ſecta fuerat. Idem ferme phænomenum obſervavimus, haud procul abhinc annis, in cadavere viri nobilis, ætatis floridæ, qui inexpectata ſyncope occubuerat, poſt reſtitutam fere valetudinem a peripneumonia; qua vigente, numeroſiſſimas venæ ſectiones paſſus fuerat: ex inſtitutis enim ſolitis diſſectionibus, ne quidem cruoris guttam ſtillabat; ac vaſa cerebralia mero flatu turgida apparebant: imo & cordis receptacula, mirum ſane dictu, vix ſanguinis veſtigium præbebant. His adnectere lubet curioſam obſervationem clar. DE HAEN, de quodam arthritico omnis morboſæ evacuationis plane immuni, cujus pulſus ſemper fuerat fortis & durus; niſi morte jam præ foribus adſtante. Reperiit egregius vir in exenterato cadavere arterias & venas amplas, ſed flaccidas & inanes; ſi excipias filum, vel chordam tenuem, albam & polypoſam, craſſitudine inæqualem, quæ in majori ſua diametro vix ſeſqui lineam habebat. Cor etiam craſſum, pallidum & vacuum, pauculum grumoſi vel polypoſi cruoris continebat. Alium de hac re caſum tradit laudatus Auctor, reſpicientem quamdam feminam debiliſſimam, cujus pulmones a diu hauſto metallurgorum vapore tabefacti deprehendebantur; cujus ſcilicet corpus ita exangue fuit, ut quamvis aorta, vena cava & alia majora vaſa aperirentur, nulla ſpongia ad imbibendum ſanguinem opus fuerit. In qua hiſtoria, de quovis inter vitam ſanguinis diſpendio, altum ſilentium.

Parvi ſane quidem refert mentionem injicere de *remediis*, quibus, dum viverent, utebantur hoc morbo denati: inter illos vero, qui incolumes evaſerunt, de morbi indole haud bene conſtitit; cum nuſquam evidentioribus ſignis ſe protulerit ſanguinis inopia; adeo ut nil certi de hac re in me-

medium adducere liceat. Variis tamen observationibus instructi asserere minime dubitamus, futilia esse pleraque remedia; si excipias illa, quæ digestionibus prospiciunt, & organorum vitalium tonum blande instaurare valent; inter quæ præcipuum locum obtinent rharbarbarum & martialia, quæ, cæteris consentientibus, haud inefficacia censeri debent. Quoniam vero imparia sunt instaurandæ massæ sanguineæ prædicta medicamina; in subsidium sunt vocanda alimenta euchyma: ideo danda est opera, ut congrua seligantur, atque debita copia ingerantur: in hoc sane præcipuus versatur curationis cardo; cum hic plus victus rationi, quam Pharmaciæ tribuendum esse nemo non intelligat. Summam insuper opem conferunt deambulationes amœnæ, pergratæ peregrinationes, aliæque cujusvis sortis lepidæ exercitationes; quæ animum exhilarando, organa digestioni & hæmatosi famulantia firmant: nec in alio versatur totius curationis cardo. Coronidis loco addere juvat, hunc morbum raro simplicem esse; sed ut plurimum aliis implicitum: hinc difficilior ad curationem aditus.

FLUXUUM ET ERUPTIONUM RETROCESSUS.

QUanti sit momenti hoc familiarissimum ægritudinis genus apprime nosse, neminem practicum fugit. Complectitur, ut patet ex ipso titulo, suppressas evacuationes naturales; sufflaminatas eluvies morbosas, sanguineas nempe, purulentas, alteriusve sortis; & retrocessum tumorum & eruptionum diversi generis. Itaque ab *impedita perspiratione* emergunt febres, ut plurimum ephemeræ, dolores, defluxiones vel inflammationes in variis partibus, diarrhœa, &c. *Inhibita sputa*, tam in acutis quam in chronicis, graviora accersunt symptomata; quod intellectu assequi facillimum. Haud minorem metum inferunt *sufflammatæ urinæ*. Obstructa bilis incernicula variorum affectuum sunt prænuntia. *Lac devium* varia post se trahit incommoda. Debacchatur in corpore *retentus sanguis* per catamenia, hæmorrhoides & hæmorrhagias elabi solitus. Maximam perniciem inferunt *resorpta lochia*; vel colluvies purulenta a solita sentina revulsa: & sic de aliis stillicidiis & transudationibus, ex oculis, naribus, auribus, ore, genitalibus, ano, capite, axillis, pedibus, &c. e quibus impeditis, vel repulsis exsurgit morborum ilias; quibus affectibus debellandis futile impenditur opus, ni horum genuini fontis habeatur ratio; quæ tamen inexpertos, & imperitos plerumque latet. De cohibita perspiratione, de obstructa alvo, de suppressis sputis, urinis, hæmorrhoidibus, lacte, mensibus & lochiis, seorsim suo loco agere consultius visum fuit. Itaque de hisce tantummodo ægritudinum speciebus, quæ ad prædictos articulos minime pertinent, hic commemorabimus; in quarum censum veniunt *hæmorrhagiarum* consuetarum *cessatio*; ulcerumque diuturniorum, tum spontaneorum, tum artificialium exsiccatio; variorum stillicidiorum, diversis partibus prospicientium, suppressio; ac demum tumorum, aliarumque cutis eruptionum retrocessus.

Varios & graviores exhinc emergere morbos, vel læsiones organicas, ut plurimum indomabiles, docet autopsia cadaverum. Passim enim occurrunt infarctus, phlogoses & purulentiæ; sideraciones, &c. in conspectum venit colluvies serosa intra & extra cerebrum; deteguntur abscessus in hoc viscere, & ossa cranii carie læsa. Reperiuntur pulmones sanguine infarcti, inflammati, purulenti, indurati, putridi; cor sanguine obrutum, variis fissuris hians; pericardium aquam vel sanguinem colligens; mediastinum effuso cruore turgens; & hydrops pectoris. Conspiciuntur in abdomine ventriculus inflammatus, tabo conspurcatus & sideratus; hepar ingens, scirrhosum, putridum, vicinioribusque partibus annexum; pancreas infarctum & induratum; omentum scirrhosum, purulentum & exesum; mesenterium obstructum, & steatomata huic adnata. Præterea annotantur in imo ventre colluvies serosa vel subcruenta; abscessus variæ sedis, tumores anomali ingentes, quibus addere licet viscera adipe obruta.

Si *hæmorrhagiæ*, quæ in consuetudinem abierunt, non secus ac hæmorrhoides & menses, *statis temporibus minime recurrant*,

rant, quædam pedetentim emergit plethora, e qua sæpius suboriuntur febres acutæ, cephalalgia, ophthalmia, angina vera & spuria, erysipelas, spirandi difficultas, hæmoptysis; phlogoses internæ, & præsertim pleuritis & peripneumonia; aliique affectus mali moris, qui ægros in vitæ discrimen trahunt. Plurimum conducere in hocce casu *venæ sectiones*, nemo non videt, nec minorem opem præstat opportuna victus ratio: suamque symbolam etiam conferunt diluentia, cathartica mitiora, diaphoretica blandiora, aliaque evacuantia, quæ pro re nata seliguntur, & diversa methodo subministrantur. *Ex ulceribus exhaustis* prodeunt graviora infortunia, quæ etiam funeris metum incutiunt; si nulla interposita mora haud revocetur pristina purulentia; vel novum cudatur ulcus; ut materia, qua conspurcatur sanguis, e vasis excutiatur; atque ad hanc sentinam amandetur prædictum tabum; quod alias ad hepar, pulmones, cerebrum, &c. irruere solet; uti patet e tradita cadaverum historia. Hunc pessimum & exitialem inhibere valent exitum *venæ sectiones;* cum pluribus emolumento fuisse hæmorrhagias spontaneas recte notarint practici; sed hæc munia felicius obeunt *cathartica* & *diuretica*, naturæ magis consentanea; cum pluries observatum fuerit, quod materia purulenta devia & sanguini confusa per sedes & urinas, mero œconomiæ animalis motu, exitum sibi paraverit.

Transudationes vero, quæ nec sanguinis nec puris naturam redolent, a solito alveo *revulsæ*, minus portendunt periculum; & eamdem ferme *curam* sibi vindicant, quæ scilicet versatur circa venæ sectiones, cathartica, diuretica, diaphoretica & salivantia, quorum beneficio materia morbosa, ad varia colatoria appellens, e vasis subtrahitur: sed tutius incedunt, qui omni ope moliuntur pristinæ eluviei redintegrationem; cum sæpius futilia deprehendantur alia præsidia; uti pluries mihi observasse contigit post sufflaminatum invisum pedum sudorem ab intempestive admotis adstringentibus; quam præposteram medelam presso pede sequuntur vertigines cum aurium tinnitu; spirandi difficultates, cardialgiæ, dolores varias partes respicientes, quibus vexantur maleferiati ægri; donec in integrum restituatur pristina transudatio. Uno verbo in omni evacuationum suppressione eo collimant saniores practici, ut solitæ revocentur; vel aliam quamcumque moliantur purgationem, quæ fluxus prohibiti vices explere valeat; ac sub hoc conspectu sæpius conducere depurantia ipsis jure persuasum fuit.

Haud absimilis ferme methodus est adhibenda post retrogressas eruptiones cutaneas, vel repulsos tumores: constat, primarum recessum periculosæ esse aleæ in morbis acutis; morbillis nempe, variolis; febre erysipelacea, scarlatina, purpurata, &c. ni illico succurratur ægris per diaphoretica, balnea tepida, vesicatoria, aliaque consimilia, quibus declinari potest reformidanda metastasis. Licet regressus eruptionum chronicarum; achorum nempe, scabiei, herpetis, &c. haud imminens exitium minetur; periculo tamen minime vacat; cum exhinc varii emergere queant affectus, qui grave curantibus facessunt negotium; febres scilicet mali moris, deliria cum furore, epilepsia, convulsiones, cephalalgiæ, cæcitas, surditas, suffocationes, dolores interaneorum acerbi, &c. quibus præcavendis & avertendis omnem operam impendere *expedit*, tempestiva præsidiorum jam memoratorum administratione, nimirum venæ sectione, catharticis, diureticis, aliisque cujusvis sortis evacuantibus: nec posthabenda cathæretica cuti imposita, quorum efficacia celebriorum Medicorum praxi confirmatur: ni satius sit pristinum morbum quavis adhibita arte revocare. Quantum immineat periculum a retrogressis tumoribus, veluti parotidibus, bubonibus, anthracibus, &c. neminem ferme latet: tum nil non movendum, ut præcaveatur metastasis; & materia morbosa ad quæcumque corporis incernicula devolvatur, ad quod opus conferunt indicata auxilia; nec absimilis est hæc adhibendi modus.

DOLORES.

Sub diversis gradibus se proferunt dolores; nullique corporis viventis parti parcunt. Acutissimi nempe sæviunt in caput,

put, dentes, aures, ventriculum, tubum inteſtinalem, renes, lumbos, artus, &c. minorem tyrannidem exercent hepati, pulmonibus, lieni, cæteriſque ejuſdem fabricæ viſceribus impacti. Multifariam ſe produnt partibus carneis & membranaceis inſidentes, qui rheumatiſmi, arthritidis, luis venereæ, hypochondriaſis, ſcorbuti, cachexiæ, &c. plerumque ſunt ſoboles. Hæc inſuper moleſta ſenſatio, in quacumque parte defigatur, diverſos ſubit modos; alia enim eſt gravativa, alia pulſans, pungens, lancinans; erodens vel ulceroſa, æſtuoſa vel urens; pruriginoſa, &c. *Dolor gravativus* caput, renes, aliaque viſcera abdominalia ſæpius dilaniat: *pulſans* ſævit circa cranii compagem, & in ſingulis partibus, ubi pus conficitur; atque hæc præcipua nota conjiciuntur abſceſſus interni. Dolore *pungitivo* & *lancinante* diſcruciantur partes membranoſæ; qui eo acerbior evadit, quo majori tenſione gaudent: id genus ſunt dolores pleuritici, lumbares, iſchiadici, colici; ſpinæ, ut inquiunt, ventoſæ, &c. *Dolor erodens*, exulcerationum comes, pulmonibus, renibus, utero, &c. infigitur. *Urens* eryſipelata concomitatur: *pruriginoſus* demum cuti inſidet. *His* addere licet, hunc doloris ſenſum obſcurum circa præcordia, vel hanc cordis anguſtiam, quæ *anxietas* audit. Inſuper omnibus innoteſcunt dolores illi ſpaſmodici; vel hic *torpor moleſtiſſimus*, qui vulgo *crampe* dicitur. Nec minus nota hæc in iiſdem partibus obſcura & tædioſa, nec infrequens ſenſatio, quam *inquietudines nocturnas* vocitant. Haud prætermittenda hæc fugacis doloris ſpecies, vulgo *chatouillement*; a plantæ pedum, vel limbi coſtarum ſpuriarum titillatione concitata; licet cachinnum ſæpius moveat. Sunt poſtremo dolores preſſionis, contuſionis, diſtenſionis, vulneris, ambuſtionis, frigoris, &c. pediſſequi, qui innumeros modos ſubeunt. Hinc colligere licet, e duplici fonte generatim prodire dolorum diſcrimina, a natura ſcilicet cauſæ laceſſentis, & a peculiari partis contextu.

Dolor nullam *cauſam* externam agnoſcens, in quamcumque partem incumbat, raro eſſentialis audit. Quandoquidem ab alio primario morbo acuto, vel chronico, ut plurimum pendeat. Si truncum impetat, vel in artus ingruat ſub acutis; de quodam motu critico cogitandum: continuus vero pectoris & abdominis viſceribus incumbens, phlogoſim, ſuppurationem vel gangrænam minatur. Hunc dolorem ſanos & ægrotantes indiſcriminatim invadentem, cuicumque parti inſidentem, qui intermiſſionibus gaudet, vel ex uno loco ſerpit in alterum; a quadam affectione nervorum ſpaſmodica oriri conjicere nil vetat. Sed illud alta mente tenendum, dolores illos familiariſſimos, quibus conflictantur tum valetudinarii, tum ſani, e *quadruplici fonte* ſæpius alte recondito, plerumque prodire, rheumatico nempe, arthritico, ſcorbutico & venereo; de quibus ſatis ſuperque ſuo loco. Nec deſunt tamen dolores ejuſdem commatis, qui aliam originem mutuantur; vel ab animi pathematibus, ab affectibus convulſivis, ab impedita perſpiratione progerminantur. Occurrunt ultimo alterius ſortis dolorum iliades ab obſtructionibus, tumoribus, aliave viſcerum labe; a quavis colluvie, a corporibus extraneis, &c. de quibus alibi.

Quoniam in obſcuris ſæpius latet genuina dolorum indoles, minime mirum, ſi nil certi de *eventu* plerumque ſtatui poſſit. Nonnunquam tamen ominari fas eſt: dolores ſcilicet capitis, dorſi & artuum, vigente febre, periculi expertes cenſentur; cum ut plurimum ſublato morbo evaneſcant; vel futuram criſim polliceantur: hæmorrhagiam enim ſalutarem prænuntiant, qui oculis, temporibus & cervici infiguntur. Dolores erraticos internos ſæpius ſequuntur evacuationes conducibiles; lumbis impacti, futurum menſtruorum, hæmorrhoidum, vel urinæ fluxum indicare ſolent. Immanes capitis dolores, qui nullas dant inducias, delirium vel affectum comatoſum præſagiunt. Si interni vehementiores, inter viſcerum infarctum, phlogoſim & purulentiam, ſubito evaneſcant; haud levis de gangræna emergit ſuſpicio. Vagi & intermittentes raro ſunt ominoſi; ſed in ancipiti verſantur inducarum neſcii, & cuivis parti pertinaciter hærentes. Haud inanem poſtremo metum incutiunt dolorum metaſtaſes in pleuritide

ſpu-

ſpuria, arthritide & rheumatiſmo, &c. Plura de hac re, paſſim in hoc opere evolvenda, non addimus; ut nonnulla de *doloris ſede* in medium adducamus. Itaque non ſolum atra caligine immergitur genuina variorum dolorum natura; ſed etiam ſæpius de læſa parte minime conſtat; adeo ut utrumque meris conjecturis vix aſſequi liceat: notare enim expedit, quod morbus haud ſemper ſedem habeat in parte dolente: dolor enim capitis ſæpius pendet a pravis digeſtionibus: e pulmonum labe glottis in conſenſum trahitur: ex obſtructis viſceribus abdominalibus nonnunquam prodeunt dolores dorſi & pectoris: calculo veſicæ vel phlogoſi proſtatarum laborantes de dolore in extremo pene conqueruntur: teneſmum pariunt varii inteſtinorum affectus, ab ano remotiſſimi. Innumeræ de hac re paſſim proſtant hiſtoriæ ex autopſia cadaverum depromptæ, quas contractas huc colligere expedit.

Reſerato *capite* patent variæ læſiones, quæ totidem cauſæ audiunt dolorum capitis, de quibus fuſe ſuo loco. Nec minorem ſtragem exhibet *pectus*: conſpiciuntur enim pulmonum hærentiæ, infarctus, purulentiæ & putredines: occurrunt pulmones præduri, tumidi, cruſta obducti, lapillis fœti, vel veſiculis ſero turgidis infarcti. Trachea & bronchia oſſeam duritiem nonnunquam contraxerunt; non ſecus ac aorta, aneuriſmati alias obnoxia. In propatulum venit cor ingens; vel ſanguine diſtentum, marcidum, purulentum, ulcere exeſum, tuberculis obſitum, excreſcentiis deturpatum; vel e ſede depulſum. Reperitur mediaſtinum craſſum, ſanguine turgens, aliove modo labefactatum: ut de hydrope pectoris, pericardii & mediaſtini ſileamus. His ſubjungere expedit varias hepatis, cyſtidis felleæ, ventriculi & lienis vitioſæ diſpoſitiones & defœdationes, quarum dolores falſo pectori adſcribebantur.

Fœcundiſſima eſt cadaverum hiſtoria reſpiciens *abdomen*: in apricum enim venit ſtomachus, inſtar inteſtini, contractus; ſcirrhoſus, inflammatus, purulentus, ſideratus, ulcere exeſus & perforatus; ſanguine vel ſaburra nigra turgens, flatibus diſtentus; materiam mucoſam, æruginoſam vel ſanioſam recondens; lapides fovens; ac nonnunquam e ſede depulſus: ſe offerunt hujuſce viſceris tumores ſcirroſi, & canceroſi; non ſecus ac abſceſſus: in ipſo reperiebantur vermes, lapides, pilulæ, zingiber; aliave corpora præpoſtere ingeſta. Cernitur pylorus laxior, vel plus æquo conſtrictus; ſcirroſus, ulcere eroſus, vel corpore extraneo obſtructus. Obvia fiunt inteſtina flatulenta, pituita vel fæcibus infarcta; inflammata, purulenta, eroſa, perforata & grangrænoſa; intorta & convoluta; effuſo ſanguine ſcatentia, lapides recondentia; ſcirroſa & tuberculoſa; ultra modum dilatata; mire coarctata & calloſa; lumbricos & tæniam foventia; invicem demum, partibuſque ambientibus annexa. Deprehenditur hepar exangue, exiguum, ingens, obſtructum, ſcirroſum, tuberoſum, ſteatomatoſum, hydatidibus fœtum, & calculoſum; pus colligens, ulceroſum & putridum; diaphragmati & coſtis hærens. Occurrit cyſtis fellea bile tumens, calculis fœta & purulentia conſpurcata. Detegitur vena portæ ultra modum diſtenta, vel partim oſſea. Patet lien ingens, abſceſſum recondens, putris, dilaceratus; exiguus, induratus, ſcirrhoſus, cartilagineus, lapideſcens, appendicibus inſtructus, ac partibus circumambientibus accretus. Oculis ſubjiciuntur pancreas inflammatum, ſcirrhoſum, purulentum, putridum, lapideſque recondens; ductus pancreaticus verme obturatus; omentum craſſum, ſcirroſum, abſumptum, marcidum & partibus vicinis accretum; meſenterium tabidum, obſtructum, hydatidibus refertum, lapideſcens, materia caſeoſa infarctum, inflammatum, purulentum, & putre; peritonæum phlogoſi tactum, putridum, eroſum vel granuloſum; ac demum diaphragma diſruptum. Quibus addere licet ſtagnationes ſeroſas, cruentas, ſordidas & ichoroſas; flatus extra inteſtina; hydropem peritonæi, ovariorum; aliumve cyſticum; tumores diverſæ indolis e viſceribus erumpentes, corpori celluloſo accretos, proceſſibus membranoſis hærentes, vel vertebris adnatos; aneuriſmata variæ ſedis; herniam inteſtinalem, epiploicam, & veſicæ; viſcera invicem accreta, tranſpoſita; vertebrarum lumbarium cariem, &c. renum, veſicæ, geni-

genitalium, vicinarumque partium læsiones, de quibus alibi, consulto missas facimus.

E prolatis colligitur, *curationem* ad morbi causam, quæ tamen atra caligine plerumque immergitur, esse dirigendam; quod sane grave sæpius negotium curantibus facessit: sed plerique huic indagini perfunctorie hærentes, vel plane posthabita inextricabili morbi causa, curæ mere palliativæ, vel generali quamcumque impendunt operam; donec dilucidius innotescat morbus: vel spontaneis naturæ viribus solvatur. Sub hoc conspectu, haud exiguam laudem meretur venæ sectio; quæ tamen, teste quotidiana experientia, non in omnibus casibus congruit: sed cuivis dolori opitulari solent diluentia & demulcentia affatim epota. Conducunt etiam, præmissis præmittendis, anodyna, imo & hypnotica; dummodo nulla sint infarctus, phlogoseos & gangrænæ indicia: horum etiam usus tam externus, quam internus vetatur, sub doloribus arthriticis & rheumaticis; aliisque pluribus morbis organicis; cum, stuporem inducendo, morbi causam sæpius figant & contumaciorem reddant; adeo ut, cessante narcotici operatione, *graviores* nonnunquam & ferociores occurrant *dolores*. Alias haud exiguam laudem merentur narcotica; licet intus sumantur, vel extus admoveantur. Ope corticis peruviani, alteriusve febrifugi sæpius debellari dolores intermittentes jam supra innuimus: sed haud nisi summa cautela præscribi debet illud specificum: cum haud raro occurrant febres dilucidis intervallis quiescentes, qui hocce præsidio domari minime patiuntur; quin potius exasperentur, vel prorogentur; quod alta mente tenere debent ægrorum saluti incumbentes. Sed nil magis prodest in variorum dolorum medela, quam revulsio, qua sanguinis, humorum, vel succi nervei motus ad aliam partem dirigitur; quod opus evacuatione, & irritatione peragitur: ideo præter venæ sectionem, quæ in hunc scopum sæpius præcipitur, opportune admoventur hirudines, cucurbitulæ siccæ, vel scarificatæ, vesicatoria & caustica; nec despiciendum cauterium actuale, moxa, vel quavis alia arte paratum; cujus usum antiquissimum summe deprædicant Sinenses, aliique populi Orientales. Insuper haud inutilem opem sæpius præstat erga cephalalgiam atrociorem, incassum adhibitis aliis præsidiis, simplex pediluvium tepidum; nec sub hoc casu suis viribus defraudantur fructus artuum. Ad summam nil proficitur, uti jam supra inculcavimus, inter dolorum curationem, ni prius causæ, e naturæ gremio eruendæ, habeatur ratio. Examinandum nempe an a vitio quodam organico pendeant dolores; num ad alium primarium morbum, scorbutum nempe, luem veneream, &c. sint referendi; utrum quædam pars e genuina sede dimoveatur, ut in distorsionibus, luxationibus, fracturis, herniis, &c. a quibus bene perspectis & trutinatis curandi judicium dirigitur.

DEFLUXIONES VEL AFFECTUS CATARRHALES.

EVidentioribus *signis* se proferunt humorum defluxus, caput, cervicem, nasum, aures, labia, dentes, fauces, glottidem, laryngem, brunchia & pulmones impetentes: sed haud dilucide se produnt; vel alium morbum mentiuntur, qui in alias partes ingruunt; licet tamen febre sui generis stipentur; hinc fit, ut plures spurio schemate decepti, inopportunis remediis hujusce morbi curationem ineant. *Exordium* vero capiunt genuini affectus catarrhales a levi frigore per vices recurrente, quod excipit febris continua, vel intermittens; nunc mitis, nunc vehemens; inappetentia, anxietatibus & spontaneis lassitudinibus stipata; quæ ceterum ad plures dies vulgo protrahitur. Exsurgunt interea dolores, qui non solum parti primo affectæ insident; sed etiam ad cæteras, vel remotiores, propagantur. Si partes pervias, nares puta, tracheam & bronchiam impetat humorum decubitus; quoddam emergit profluvium, quo materia morbosa exitum sibi parat: sin aliter, suboriuntur infarctus, plus minusve conspicui, vel intumescentiæ ad phlogosim vergentes. Oculorum, nasi, faucium & labiorum defluxiones visu percipiuntur: tussi & raucedine se prodit laryngis & pulmonis affectus catarrhalis. Gravedo, dolores capitis, cervicis, aurium, &c. e relatu

ægrotantium innotescunt: faciei vero, oculorum, oris & cervicis intumescentiæ ante oculos versantur, vel digitis contrectantur. Quanquam prima destillationum catarrhalium tempora, quæ intra biduum continentur, nonnunquam sint procellosa; levem tamen metum incutiunt; etiamsi febris catarrhalis ad plures dies, duodecim scilicet vel quatuordecim haud raro prorogetur.

Præter fluxiones catarrhales simplicissimas & vulgatissimas de quibus hactenus, aliæ grassantur *pravæ indolis*; vel, ut inquiunt, mali moris: id genus sunt *febres catarrhales* malignæ, anginæ phlogodeæ vel gangrænosæ, infarctus pulmonum inflammationis finitimi, faciei erysipelata, defluxiones rheumaticæ, insultus apoplectici, aliæque innumeræ alterius morbi faciem induentes, qua sane minime decipiuntur solertiores, & experti; cum prædicti affectus febrem catarrhalem comitem semper habeant; & hocce *indicio* a consimilibus distingui queant. Insuper e defluxionum albo expungendus est catarrhus suffocans, qui, tametsi eamdem nomenclaturam sibi vindicat, ab enumeratis speciebus toto cælo distat.

Accessu aeris frigidi, quo impeditur perspiratio, natales sumere omnes affectuum catarrhalium species vulgo perhibent. Dubitare profecto licet, num ad materiæ cujusdam heterogeneæ in aere latitantis ingressum, trans cutis & pulmonum porulos, potius non sint referendi, quam ad meram sufflaminationem humoris innoxii; qui alias, teste quotidiana experientia, per renes, sedes, & cætera corporis colatoria, exitum facillime sibi parare valet. Nec me movent, influxus catarrhales, hyeme crebrius invadentes illos, qui æstuantes aeri frigido se credunt; præsertim si frigus luculento foco expugnare soleant; cum morbi grassantis typus & gradus frigoris haud in eadem versentur ratione. Præterea nemo nescit, affectus catarrhales nonnunquam æstate, vel ardente syrio sævire, & epidemice grassari: patet quoque huncce morbum minime parcere meticulosis, qui in conclavi calido se recipiunt, imo & lecto tenentur; quod sane extra omne dubium, ni fallor, arguit sufflaminatam perspirationem haud jure incusari. Exhinc colligitur, huncce morbum a *peculiari aeris constitutione* thermometro nusquam expiscanda, ut plurimum pendere. Haud tamen inficiamur, hanc materiam quamcumque heterogeneam, qua scatet aer, a frigore nonnullas vires sumere; & ejus effectus tunc temporis pertinaciores & graviores plerumque evadere. Cæterum *febres catarrhales malignæ*, anginæ gangrænosæ, defluxiones pulmonum exitiales, &c. deleterium quoddam produnt, quod bibulis cutis vel pulmonum porulis exceptum, & sanguini immixtum summam perniciem inferre solet, quam soli aeris frigiditati, corporis spiracula præcludenti, referre absurdum foret: præterea huic opinioni, licet acceptissimæ, adversari videntur varia constitutionum epidemicarum phænomena; quibus constat, materiam morbosam, forte domari nesciam, solis evacuationibus evinci; narium nempe stillicidio, anacatharsi, sudoris proventu & alvi solutione: quibus addere licet ipsummet lotium, quod sæpius, sub hac rerum conditione, crassum & turbidum cum ægrorum emolumento observatur.

Evisceratа cadavera eorum, qui defluxionibus catarrhalibus fuerant obnoxii, varias læsiones, strages & stagnationes *exhibent*. Familiarissima est aqua in theca cranii; non secus ac in ventriculis, aliisque cerebri recessibus. Sæpius annotatur cerebrum sero spongiæ instar imprægnatum. Patent pulmones inflammati, putridi, pure infarcti & erosi; nec raro vomicam recondentes. Cor sanguine coagulato, vel concretionibus, ut inquiunt, polyposis distentum observatur; cum pericardio *in nonnullis* purulento. Viscera abdominalia purulentia vel putredine defœdantur. Hepar ingens se sistit; atque cystis fellea bile inspissata, vel pseudo-lapidibus turget. Aqua insuper, nunc limpida, nunc sordida, stagnat in pectore & in abdomine. His addere licet, quod nonnullorum vasa, aliave receptacula sanguinem crassum & concretum contineant.

Si insultus catarrhales ab intus suscepta, per cutis, alteriusve partis perviæ porulos, materia quadam, in aere delitescente, oriantur; *salubriorem* fore *evacuationem* per ca-

eadem ſpiracula conſectarium videtur; nec adverſatur experientia. Illam, ſervatis ſervandis, promovere ſolent ſpontaneæ œconomiæ animalis vires: alioquin mitiora exhibentur *diaphoretica*, diluentibus & demulcentibus ſociata, quorum beneficio fovetur inſenſibilis perſpiratio; donec blandus ſudor erumpat; cui, a quacumque cauſa promoveatur, favent ægrotantes, ſi ad lectum ſe conferant & leges diæteticas ſervent. Præterea vapores & ſuffitus in eumdem ſcopum etiam fauſte adhiberi nemo neſcit. Nec inutiles cenſeri debent dejectiones alvinæ; licet alvus ſponte ſolvatur, vel notiſſimis auxiliis ſollicitetur: ſed caute dirigenda eſt hæc evacuatio, ne alteri obſtet. Laudem etiam merentur in nonnullis conſtitutionibus epidemicis *emetica*; quorum ope morbi fomes in primis viis latitans foras everritur; vel ipſemet morbus, quod ſane quidem mirum, in ipſis quaſi incunabulis præfocatur. Opportune nonnunquam adhibentur theriaca, aliæve ejuſdem commatis confectiones cardiacæ & anodynæ, haud immerito, ſub nonnullis conſtitutionibus epidemicis, deprædicatæ; quæ ſcilicet humores ſubagitando perſpirationi favent. Nec poſthabenda ſunt narcotica, dummodo expeditæ ſint primæ digeſtionum viæ; ſin minus, nauſeoſa & nociva a peritioribus abdicantur: infeſta etiam cenſentur, ſi caput gravetur & adſtricta ſit alvus; caute demum cum hiſce remediis mercari debent ſenio confecti; ne intempeſtiva ſomnolentia ad fatum properent. De venæ ſectione, vigente catarrho, multum controvertitur apud Medicos; & adhuc forte ſub judice lis eſt: multiplici tamen experientia ratum manet, hanc ægritudinis ſpeciem epidemice graſſantem, poſt miſſum ſanguinem, diutius in pleriſque protrahi; imo & nonnunquam luctuoſam evadere; nedum compeſcatur & eximatur; ita ut ad hocce præſidium haud niſi ſumma cautela confugere liceat; quidquid obganniant hi, qui ad declinandam phlogoſim ſumme neceſſariam eſſe deprædicant: nonnunquam tamen ad ſanguinis miſſionem confugere licet, ſi immanis ſæviat febris, urgeat ſpirandi difficultas, aliaque graviora vigeant ſymptomata. Ad ſummam, in immenſum creſceret pagina, ſi omnia medicamina adverſus morbos catarrhales adhiberi ſolita huc attexeremus: inane ſane & ſuperfluum emergeret opus; cum de peculiaribus defluxionibus ſeorſim ſuo loco agere cogat inſtituti ratio.

CACHEXIA.

HOc nomine inſigniri hanc ſanguinis & *humorum dyſcraſiam*, vel pravam conditionem, quam profert fœdus corporis color, neminem vel inexpertum fugit. Huic obnoxii cenſentur pueri & ſenes, non ſecus ac a longo morbo convaleſcentes. *Eſſentialis* audit, quæ ab aere inquinato, a pravis eduliis & a peculiari humorum vitio ortum ducit. *Symptomatica* vero vocitatur, quæ vigentis cujuſdam morbi eſt ſoboles, ſcorbuti nempe, infarctus viſcerum ſcirrhoſi, putredinis, congeſtionis purulentæ, alteriuſve ſortis; vel cujuſcumque labis viſcerum tum pectoralium, tum abdominalium: ſed ægre ſæpius in praxi internoſcitur hæc differentia. *Cachexiam* inſuper *accerſere* ſolent hæmorrhagiæ immodicæ, & numeroſiſſimæ venæ ſectiones: ſimilem effectum exerunt profluviorum ſanguineorum ſuppreſſio; præpoſtera intermittentium medela; intempeſtiva quartanæ ſuflaminatio, &c. Cachexiam decoloratione conſpicuam, leucoplegmatiæ finitimam eſſe, apud omnes in confeſſo manet; ſed multum diſcrepat a chloroſi, quæ eamdem ferme faciem præ ſe fert; cum conjugium hanc brevi ſolvat; & illam e contra exaſperet. Alterius etiam eſt indolis icterus, licet vitiatam ſanguinis craſim ſæpe comitem habeat; cum morbus regius intra breve tempus debellari queat; & cachexia haud niſi diuturniori curationi cedat. Nec rectius collineant, qui ſcorbutici cachexiæ plane expertes; & plures occurrant cachectici, quos nunquam attingit labes ſcorbutica. Notare tamen expedit, quod prædicti morbi ſæpius reipſa implicentur; & hic forte genuinus fuit erroris fons.

Color faciei lividus, ſubviridis & plumbeus, totius corporis pallor; macies, vel levis cutis intumeſcentia, magis conſpicua in facie, palpebris, & extremis artubus, qui impreſſa digitorum veſtigia nonnun-

quam ſervant; ſunt totidem *ſigna*, quæ cachexiam produnt. Crebro frigent ægri, atque de ſpirandi difficultate a quocumque corporis motu conqueruntur. Pulſus tardus & compreſſus exploratur, accedente ſerotinis horis febricula; nonnunquam inæqualis & intermittens, cum cordis palpitatione, obſervatur. Hæc excipiunt inappetentia & flatulentia, cum torminibus & hypochondriorum intumeſcentia; ex eodem fonte prodeunt ructus & crepitus, præſertim poſt aſſumptum pabulum erumpentes; cum alvo varia & inæquali. Interea urinæ turbidæ & ſubalbicantes, ſub hac adverſa valetudine, annotantur: ingruunt laſſitudines ſpontaneæ; torpent artus cum totius corporis ſubtumidi ſegnitie. Mens quaſi obnubilatur; & ſomnus fit profundior. Tument crura primo veſpere; dein œdema in eodem ſtatu mane perſtat. In nonnullis demum ſudores fœtent, & erumpunt variæ cutis efflorescentiæ; quæ licet ſæpius domari recuſent, leve tamen incommodum pariunt.

Raro exitium minatur hic morbus, ſi illibata ſint viſcera; alias vix curationem admittit; hunc enim omnem Medicorum artem eludere, ſi a vitio quodam organico, & inſanabili ortum ducat, cuivis etiam rudi & inexperto obvium. Præterea quo tardiores fuerunt progreſſus, eo *pertinacior* cenſetur: ubi vice verſa brevi incrementum ſumpſit, facilius profligari ſolet. Cæterum ab inconſulto cohibita febre quartana, alterave intermittente contractus hic morbus; ſolo febris reditu, irritis antehac exquiſitioribus præſidiis, fugatur. Poſtremo cachexia in ætate provecta, etiam ſartis tectis viſceribus, ſcorbutum, maraſmum & hydropem poſt ſe trahit; vel horumce exitialium morborum typum præ ſe fert.

Ex *obſervationibus anatomicis*, tum e proprio penu, tum ex aliorum ſcriptis depromptis, colligitur, majora vaſa, præſertim hepatica, ſanguine concreto, atro & fæculento turgere, nec alio fonte ſcaturiginem ducit diverſa interaneorum labes: conſpiciuntur enim viſcera livore affecta, arida, corrugata, ſcirrhoſa, putredine abſumpta, tuberculis vel hydatidibus obſita. Reperiuntur abſceſſus & tumores anomali, cum coſtarum & vertebrarum carie. Occurrunt demum ſtagnationes ſeroſæ, purulentæ, fœtidæ, &c. Præmiſſo generali læſionum conſpectu, ad peculiares vel ſingulis partibus proprias deveniamus. Hepar ſcilicet adinvenitur decolor, ſubalbicans, plumbeum, maculis conſperſum, vel granulis & tuberculis exaſperatum; nunc mole majus, nunc contractum congeſtiones diverſæ naturæ recondens, & nonnunquam hydatidibus refertum: ejus veſicula bile turget, nunc viridi & acerrima, nunc aquea & inſulſa; atque pſeudo-lapillos felleos recondit. Lien in quibuſdam ingens; in aliis compreſſus & corrugatus, durus & quaſi lapideus deprehenditur. Epiploon mole varium, infarctum, vicinioribus partibus coaleſcens; vel putredine confectum, oculis ſubjicitur. Iiſdem ferme læſionibus defœdantur pancreas, meſenterium & inteſtina, quæ ſæpius verrucoſa deprehenduntur. Non abſimilem labem præ ſe ferunt renes pluribus calculis nonnunquam ſcatentes. Eadem vitia, infarctum nempe, phlogoſim, purulentiam, putredinem & adhæſiones morboſas haud raro exhibet pectus. Reperitur alteruter pulmo pure abſumptus: nonnunquam ſemiputridum reperitur pericardium; quod alias latice limpido vel ſanioſo, cum eroſione turget: cor maximum conſpicitur, etſi ejus thalami & auriculæ ſanguine orbantur; vaſcula majorum arteriarum, & ipſæmet valvulæ, cartilaginis, oſſis vel lapidis ſpeciem referentia annotantur. Dirutis demum cerebri munimentis, nonnunquam deteguntur, tum in ejus anfractibus, tum in aliis receſſibus, ſtagnationes ſeroſæ, cruentæ & ſanioſæ; concretiones gelatinoſæ; hydatides plexibus vaſculoſis adnatæ: cerebrum in nonnullis ſpongiæ inſtar aqua turget, &c. quæ tamen omnia futile oculorum miniſterium præbent, ni mentis acumine ad morbi phænomena dirigantur.

Nullam peculiarem *curationem* ſibi vindicat cachexia, quæ a quovis vigente alio morbo primario fovetur; cum hoc ſublato brevi reſtituatur ſanguinis craſis: ſed ubi a nullo alio pendet, vel ab affectu jam prægreſſo ſoboleſcit; peculiarem medelam efflagitat. Itaque ſi a ſuppreſſis menſibus, hæmorrhoidibus, aliiſque conſuetis ſanguinis

nis profluviis suboriatur; omni ope revocari debent prædictæ evacuationes: ad quas supplendas proficue etiam instituuntur venæ sectiones caute celebratæ; ne, plus æquo depletis vasis, fatiscant œconomiæ animalis vires. Ubi e contra ab hisce immodicis profluviis scaturiginem mutuatur; his cohibitis, congruaque observata victus ratione, totum fere negotium naturæ committendum: experientia enim pluries docuit, non solum inertia fuisse in hoc rerum statu remedia, sed etiam nociva sæpius evasisse. Si demum a scabie, alterave cutis efflorescentia repulsa exordium capiat cachexia; ad curandi ritum supra exaratum, confugere expedit.

E præhabitis patet quanti sit momenti, inter curandam sanguinis & humorum dyscrasiam, ut accurate primis digestionibus prospiciatur; ne perenni pravi chyli appulsu foveatur morbus. Sub hoc conspectu præscribuntur primo *emetica* & *cathartica*, tum mitiora, tum hydragoga, & dein stomachica, quibus probæ alimentorum coctioni prospicitur. His præmissis, haud posthabita diæta, fauste adhibentur temperantia, hepatica & amara; depurantia & antiscorbutica, quæ vitiatæ sanguinis crasi, extricata quantum licet morbi causa, egregie occurrunt. Nec minus conducunt aperientia, diuretica, sudorifica, quæ humorum moleculas ad excretionem paratiores movent: laudantur præsertim in specie, & crebro usu invalescunt rhabarbarum, cremor tartari, arcanum duplicatum, antimonium diaphoreticum, & antihecticum Poterii. Sed omnibus forte palmam præripiunt martialia & roborantia; quæ, si tempestive & præmissis præmittendis, in usum trahantur, aperientium exquisitiorum munere funguntur. In subsidium etiam, ad restituendam hæmatosim, haud improspere vocantur aquæ Granenses, Vicienses, Bagnerienses, Cauterienses, Amandinæ, Aquenses, Mottenses, aliæque minerales calidæ ejusdem indolis; nec minus prosunt frigidæ martiales, Forgienses nempe, Passienses, &c. quæ singulæ interiora corporis penetralia lustrando, humorum dyscrasiæ, obstructionibusque exhinc oriundis mederi queunt. Pluris postremo habentur aer purus in loco aprico, exercitationes gratæ, &c. Coronidis loco addere juvat, cachexiam raro tumultosæ curationi cedere; & ideo blandioribus duntaxat medicaminibus opus esse; accedente victu congruo, cui plus tribuendum quam arti pharmaceuticæ: præsertim si a morbo quodam organico latente foveatur hic affectus. Hinc a recto deflectunt tramite, qui suis hypothesibus obcæcati, huncce morbum solis catharticis, & diureticis oppugnandum esse existimant; & nil aliud inter hanc curationem vident, quam materiam morbosam ad sentinam intestinalem devolvendam, vel ad renes ablegandam: hoc est plebis medicæ commentum, quod plerique ægrotantes luunt.

SCORBUTUS.

GRassatur hæc cachexiæ, ut inquiunt, putridæ species apud gentes septemtrionales & tractuum paludosorum incolas; crebroque *invadit* nautas, milites, alioque abjectæ plebis, qui salubrioribus esculentis, aliisque vitæ commodis plane carent. Haud immunes tamen censeri debent divites & magnates opipare viventes; nec parcit ipsismet infantibus. Facillime contrahitur *scorbutus* post graviores morbos; præsertim post hydrargyrosim: ad hunc vergunt litterati & lucubrantes, hunc accersunt mœror & tristitia, gravesque curæ. Insuper pro ultimo affectionis hypocondriacæ gradu a pluribus primi subsellii Medicis habetur; num recte? viderint experti, quos non fugit scorbutum etiam per contagium propagari, vel a variis causis notissimis, pravis scilicet eduliis, aere hominum frequentia inquinato, uliginoso; ab humore navium, spurcitie carcerum, &c. proficisci: præter quam quod infantes melancholiæ plane expertes hoc morbo sæpius tenentur. Eugalenus, haud ignobilis Auctor, cui tamen cauta adhibenda est fides, multum insudavit ad perquirenda in singulis fere morbis latentis scorbuti semina: suam hypothesim, fucum ignaris facientem, ambabus ulnis amplexi sunt nonnulli clinici, quibus arridet quamvis obvium morbum, in quo plane cæcutiunt, hoc titulo insignire. Sed validioribus argumentis hanc impugnavit opinionem clariss. Lind; qui

qui multiplici experientia instructus hunc affectum ita familiarem esse, ut vulgo fertur, plane negavit, hancque materiam penitus exhausisse videtur, ne variorum affectuum affinitate decepti in errorem, sæpius lethiferum, præcipites ruant medentes. Aliud subest dubium circa hanc constitutionem scorbuticam, de qua primus, ni fallor, mentionem injecit RIVERIUS, quæ crebro invadit laute victitantes & in otio recumbentes: vix concipere licet, hanc corporis conditionem gradu duntaxat discrepare ab hoc scorbuti genere, quod navigatione contrahitur, & solo reditu ad littora fugatur. Verum quidem est, quod iisdem ferme notis, nempe oris læsione & exanthematibus se prodat uterque affectus; & eadem expostulare videatur remedia: sed si accuratiori examini subjiciantur prædicti morbi cognomines, & rite perpendantur eorum causæ evidentes, longe dissimilem naturam habere, pronum erit credere: sed illum dubium occulatioribus solvendum tradimus. Scorbutum nunc esse calidum, nunc frigidum vulgo perhibetur; sed hæc nuperrima divisio haud ex alio fonte prodit, quam ab ætate & temperie: pro calido enim habetur in juvenibus, sanguineis & biliosis; frigidus vero audit in senibus, melancholicis & pituitosis. Hinc patet rationalis medendi via; atque intelligitur, cur refrigerantia singulis minime congruant.

Gingivarum læsione, peculiaribus cutis efflorescentiis, & doloribus lancinantibus per varias partes disseminatis, genuinus in apricum venit scorbutus: sed in quibusdam desiderantur prædicta *indicia*; vel dubia occurrunt: unde fit, ut alia sint inquirenda, e quorum syndrome expiscari possit prædicti morbi diagnosis. Omnes fere, ut spectabiliora recenseamus, scorbuto correpti inexpugnabili anguntur mœrore, mortisque formidine premuntur: insomnes, vel somnolenti, vertigine tentantur: plerique ad lipothymiam proclives, de cephalalgia acerbissima, atque artuum debilitate, torpore & tremore conqueruntur. Interea subtumida facies pallet, os fœtet, dentes vacillant, tumentes gingivæ extra dentium seriem prominent, a nativo colore recedunt; sanguinem elabi sinunt; atque exulceratione vel putriditate defœdantur: nec cæteris oris partibus parcit hæc labes: hinc minime mirum, si in consensum trahuntur salivæ incernicula; quæ ideo majorem hujusce laticis male olentis, & sanie conspurcati proventum præbent, qui haud levem decumbentibus molestiam infert. Dein, procedente morbo, oris putredo sæpius per tracheam ad pulmones serpit; & ab hac nova accedente causa halitus gravius olet. Pulsus in plerisque tardus, inæqualis & intermittens exploratur: interdum velocior evadit & emergit *febris*, ut inquiunt, *scorbutica*; quæ nullo ordine recurrens dubium typum præ se fert: hac vigente, nonnunquam se produnt exanthemata, pulicum morsui simillima & brevi evanescentia; quæ ab ignaris, vel incautis, petechiarum nomine salutantur: sub intermittentium schemate plerumque se profert prædicta febris; sed paroxysmi crebrius, nec statis horis recurrunt.

Plures ægri, ut incepta prosequamur, de familiarioribus cordis palpitationibus conqueruntur: nonnullos urgent sub corporis motu pectoris angustiæ; vel dolores acuti sterno, costis & dorso insidentes, atque pleuriticos æmulantes. Majorem profecto sævitiem exercet virus scorbuticum in viscera abdominalia: a labefactato nimirum stomacho emergunt ructus fœtidi, singultus; & regionis epigastricæ, vel totius abdominis, post pastum, intumescentia insolita. In quibusdam ita constringitur œsophagus, ut esculentia, vel ipsemet potus, ægre ad stomachum appellant. Lien sæpissime offenditur; hinc *dolores* gravativi, vel acuti in hypochondrio sinistro sæpius tumente, qui plerumque ad alterum latus serpunt. Inter varia ventris tormina, majorem tyrannidem exercet dolor colicus atrocissimus, qui nunc insultum nephriticum, nunc colicam saturninam æmulatur; ac nonnunquam paralysim post se trahit. Alvus in potiori ægrorum parte solvitur, cum dejectionibus putridis vel dysentericis. Urina mingitur lateritia vel intense rubens & fœtida; in nonnullis sabulum rubrum & friabile lateribus matulæ hæret; ac supernatat crusta pinguis & oleosa fœtorem spargens:

gens: nec suavius olent sudores. Interea dolores vagi artus & præsertim crura obsident; & non secus ac venerei, noctu recrudescunt; qui etiam vigente febre exacuuntur. De hisce doloribus sub titulo arthritidis vagæ & scorbuticæ differunt nonnulli Auctores: alii rheumaticis cognatos esse declararunt: num utrique affinitate decepti, a veri tramite recesserint, solertioribus examinandum relinquimus. Interea vix pedibus stare queunt scorbutici; ægre gradiuntur, imo & claudicant; donec crura plane deficiant, tam ab atonia, quam a retractione musculorum; vel a tumente & impedito genu; quod præcipue infantibus accidit. In nonnullis rore synoviali defraudantur ossium connexiones; unde fit, ut quadam partis motione crepitent; imo & hoc vitio etiam corripi vertebras, plures tradiderunt.

Cutis scorbuticorum sensim aridior, maculis nunc rubris vel purpureis; nunc lividis vel nigris, si faciem & manus excipias, signatur: nonnunquam exiles, petechiarum, uti supra notavimus, instar, & numerosissimæ observantur; sed sæpius latiores ad palmæ manuum dimensionem accedunt; nec desunt in cruribus multo magis expansæ. Erumpunt interdum *pustulæ*, præsertim in infantibus; dum senes pruritu vix compescendo divexantur. In quibusdam protuberant *tumores* ovi columbini magnitudinem æquantes, qui, capiti plerumque insidentes, post biduum, triduumve recedunt; & crebro recurrunt. Nonnunquam erumpunt erysipelata fugacia, quæ etiam frequentem reditum portendunt. Crura ulceribus longe lateque prorepentibus, & pertinacissimis infestantur, quæ nil præter saniem fundunt, & in quibus succrescunt luxuriantes carnes, quæ horum coalescentiam impediunt. Sanguis demum vix cohibendus sæpius prosilit, tam ex ulceribus, quam e naribus, ore, stomacho, intestinis, &c. de quo latice coronidis loco addere licet, hunc sponte fluentem, vel venæ sectione eductum, colore livido, subviridi, vel nigricante infici; & ita linteis hærere, ut vix lixivio eluatur.

Hæc sunt præcipua *signa vel symptomata*, sub diathesi scorbutica observari solita, quæ parum sane discrepant ab iis, quæ luem veneream concomitantur; unde minime mirum, si utriusque morbi diagnosis grave sæpius, vel oculatioribus & exercitatissimis, facessat negotium. Si tamen antecedentia sedula, sagacique mente perpendantur; & in memoriam revocetur invadendi modus: si oris cæterarumque partium læsiones accuratiori examini subjiciantur; utriusque morbi characterem ex ipsomet naturæ gremio eruere licet. Enim vero scorbutus, ut ab ore exordium capiamus, dentes & gingivas invadit; lues vero venerea ingruit in uvulam, tonsillas & palatum: dolores scorbutici ex una parte serpunt in alteram, nec alte defigi videntur; venerei e contra partibus obnixius hærent & profundiores judicantur: scorbutus abdomen diversimode afficit; lues venerea caput præcipue, & artus impetit: ulcera demum scorbutica syphiliticis sordidiora & humidiora videntur &c. Sed atra caligine obvolvi utriusque diagnosim, si, uti crebro evenit, implicentur prædicti affectus, e prolatis facile colligitur.

Scorbutum per contagium propagari; imo & hoc modo contractum majorem sævitiem exercere docet experientia, asseruntque Auctores exercitatissimi; quod tamen nonnulli haud inferioris notæ plane negant; tantum difficile est verum a falso extricare. Quo vetustior est scorbutus, eo *curatio difficilior* evadit: sed majorem molestiam curantibus affert, si lui venereæ societur. Adventitius, qui scilicet a navigatione, aliave causa fugaci & accidentali scaturiginem mutuatur, brevi artis subsidio sedatur & eximitur: insitus vero, & congenitus, vel a peculiari corporis constitutione soboleſcens, exquisitiorum præsidiorum vires eludere solet: sub hocce commate sæpius se proferre in hystericis & hypocondriacis norunt sane clinici. Nil ominandum de maculis cutaneis, dummodo ad lividitatem vel nigredinem minime vergant: fertur proficuum esse profluvium hæmorrhoidale: inter periculosa symptomata recensetur spirandi difficultas. Nil certi statui potest de alvi fluxu; cum nonnullis infestus, aliis emolumento sit: tormina vehementiora gangrænæ, in tubo intestinali, metum incutiunt: tumores brevi succrescentes & decrescentes membrorum resolutionem minantur: ulcera scorbutica, con-

contumaciſſima audiunt : genuum contractura vix expugnari patitur : gangrænam viſu conſpicuam cohibere arduum ſane & difficile. Ad ſummam ſcorbutus, qui altas egit radices, hydropem, maraſmum, phthiſim, apoplexiam, paralyſim & convulſiones poſt ſe trahit: nonnulli demum ſcorbutici adveniente ſyncope, cui, uti jam innuimus, obnoxii ſunt, in orci fauces præcipites dantur.

Cadavera maculis atropurpureis, latiſſimiſque, defœdantur; & brevi putreſcunt; hinc fit, ut raptim ſæpius aperiantur: perfunctorio tamen examini ſubjecta, maximam ſtragem in viſceribus abdominis, cum ſtagnationibus ſanioſis, hærentiis morboſis, &c. patefaciunt. Si vero ſingulæ partes diligentius perluſtrentur; hepar diverſimode labefactatum reperitur; ſiccum ſcilicet & exangue, ſcirrhoſum & quaſi lapideum: ejuſque ambitus variis tuberculis exaſperatus ſe præbet. Lien in pleriſque contractus, corrugatus & quaſi cartilagineus vel lapideſcens; alias tumens & mole maximus, nec raro putredine confectus deprehenditur: notare expedit circa hocce viſcus, quod apud plures pro morbi ſede perperam habeatur; cum ſæpius nil vitii præ ſe ferat, & omnino inculpatus occurrat. Abdominis vaſa ſanguinea, ac præſertim hepatica & ſplenica concretiones tartareas nonnunquam recondunt. Meſenterium infarctum, ſcirrhoſum & purulentia conſpurcatum oculis ſubjicitur; ejuſque vaſa ut plurimum ſe offerunt varicoſa: epiploon nuſquam fere illæſum apparet; ſed ſcirrhoſum, putredine correptum vel plane abſumptum obſervatur: ſtomachus & inteſtina maculis gangrænoſis ſignata obvia fiunt: ſtomachus in nonnullis calloſus & contractus: inteſtina ſubputrida in unum globum coaleſcunt: intacta deprehenduntur in pleriſque pectoris viſcera: nonnunquam tamen reperiuntur pulmones corrupti, fœtidiſſimis ulceribus deturpati; cor ulceroſum & putridum; pericardium cordi accretum vel pene abſumptum; ut ſileamus de cerebro nonnunquam fœtido, ulceribus, purulentia, excreſcentiis deturpato, &c. Varia demum notatu digna exhibent oſſa; connexiones nempe ſiccas, fractas epiphyſes, ligamenta eroſa, luxationes, coſtas a ſuis cartilaginibus dimotas, &c. mirari quandoque ſubit oſſa mollia & quaſi cartilaginea; ſed hoc infrequens phænomenum luem etiam veneream reſpicere plures autumant: exoſtoſes vero & caries, huicce poſtremo morbo familiariſſimæ, rariſſime obſervantur in ſcorbuto.

Nemo non novit, ut ad *curationem* deveniamus, naſturtium, cochleariam, raphanum ruſticanum, cæteraque antiſcorbutica, de quibus ſatis ſuperque in materia medica, quæ jure ſpecificorum titulo deſignantur: ſed plures latet, haſce plantas ſæpius incaſſum adhiberi; vel noxam inferre, ni ſapientiæ præceptis regatur harum doſis; ſanguis enim a diurtuniori antiſcorbuticorum uſu excandeſcit; unde emergunt febris lenta, phthiſis, maraſmus; &c. Hinc patet, cur ſæpius aliis præſidiis auſpicanda ſit curatio: hæc verſatur circa diluentia & temperantia; lapathum ſcilicet, cichorium, fumariam, affineſque plantas ſubamaricantes. Haud exiguam opem præſtat tartarus vitriolatus; nec minorem laudem meretur nitrum, ubi præſertim imminet hæmorrhagia. Succus limonum, æque ac alia acida vegetabilia, non ſolum valet ad præſentem impugnandum morbum; ſed etiam inter prophylactica principem locum ſibi vindicat; quod ſane apprime norunt navigantes: plures ſcorbuticos uſu acetoſæ, inter alimenta, curatos ſe vidiſſe teſtatur Morinus; nec adverſatur propria noſtra experientia. Plurimum etiam deprædicantur turiones abietis, & aqua picea. Suppetias ferunt diaphoretica, dum urgent dolores, & vigent exanthemata, inter quæ cæteris antecellunt diaphoreticum minerale, antihecticum Poterii, ſal volatile ſuccini, ſpiritus ſalis ammoniaci, elixirium proprietatis, &c. ſed ſolerti manu tractari debent hæc remedia, quæ præpoſtere adhibita ſummam noxam inferre ſolent. Haud inutilem quandoque opem, præmiſſis præmittendis, conferunt martialia; raro tamen, contra conſuetum rerum ordinem, profutura, ſi obſtruantur viſcera. Crebro demum uſu recipiuntur aquæ minerales frigidæ, vel aqua ſimpliciſſima affatim hauſta, lac, ſerum lactis, &c. Catarthica ſæpius pro re nata emolumento eſſe liquet: ſed caute ſunt præſcribenda, blandioraque ſeligenda. A nonnul-

nullis laudatur cortex peruvianus, nec forte immerito; notare tamen expedit, quod diuturnus hujusce corticis usus, inter curandas intermittentes, non impediverit quominus plures ægri, sublata febre, in scorbutum delapsi fuerint. Haud citra periculum adhiberi queunt narcotica: si tamen plane insomnes sint ægrotantes, vel summam tyrannidem exerceant dolores, urgentiori succurrere licet. Idem esto judicium de venæ sectione, haud minus reformidanda; ideo exulare debet, ni graviora & truculentiora symptomata illam expostulent. Summam infert perniciem hydrargyrus, præsertim si ptyalismum moveat; hinc a sanioribus medicis abdicatur: etsi haud desunt, qui hocce præsidio scorbutum se fugasse contendunt; quos luem veneream pro scorbuto habuisse, credere par est. Remediis tamen antivenereis inchoanda est curatio, si implicentur prædicti affectus, sed testitudineo gressu in hocce casu incedendum, ne irritentur crabrones.

Inter *remedia externa* primatum sane ducunt gargarismata ex specificis, detergentibus & adstringentibus parata; e nasturtio scilicet, cochlearia, hyssopo, semine aquilegiæ, balaustiis, rosis rubris, lignis guaiaci & lentisci, cortice granatorum, vel Winterano, camphora, succino, sale ammoniaco, alumine, aliisque acidis mineralibus; quibus accedunt tinctura gummi laccæ, vel myrrhæ, spiritus cochleariæ, &c. Nonnullis arridet ad eumdem usum hydromel cum aqua hordei paratum: alii nasturtium, cochleariam, acetosam, fructus berberidis, &c. masticanda præbent: Camphora extus adhibetur ad arcendam gangrænam. Summe ad artuum contracturam decantatur usus internus & externus illius sedi minoris speciei, quam vermicularem vocant. Calide admovetur sal marinum cruribus œdematosis, nec infelici successu. Balnea demum, morbo ad finem properante, curationem complere solent.

LUES VENEREA.

SUb omnium fere morborum schemate se profert *Proteiformis hic affectus*, qui diutius quandoque delitescit, & usu, uti fertur, tum interno, tum externo aquarum thermalium venit in propatulum: bene tamen notandum, haud omnibus successisse hanc periclitationem. Innumeris propemodum *signis* se prodit lues venerea; vel tanto *symptomatum* agmine stipatur, ut vel levem ejus adumbrationem solitis, pro instituto, cancellis vix coercere liceat. Remissius tamen, minusque procellosum & truculentum videtur nostra ætate hoc ægritudinis genus; sive eundo ejus exhauriantur vires, uti nonnulli autumarunt; sive ab inventa, haud multis abhinc annis, tutiori methodo facilius & familiarius impugnetur; adeo ut hoc correpti confidentius ad notissima præsidia confugiant; priusquam morbus altas egerit radices, & certam perniciem intulerit; quod sane magis rationi consentaneum videtur. Circa finem sæculi decimi quinti, ab Hispanis ex America reducibus, in Europam traductam fuisse, illatenus inauditam luem veneram, vulgo fertur: verum quidem est, hanc primo circa hæc tempora palam in nostro orbe prosiliisse: sed num antea pro lepra, tunc familiarissima, nunc admodum rara haberetur, haud leve emergit dubium; quod aliis solvendum relinquimus.

Primum luis venereæ *signum* ex ægrotantium, flagitia haud celantium, candido relatu depromi debet. Apertius enim elucescit hicce morbus tanta varietate ludens, si habeamus fatentem reum: sin minus, intricatissima sæpius est ejus diagnosis. Brevi post compressam mulierem inquinatam, ut plurimum se prodit hic affectus; alias haud nisi post plures menses, immo & annos, in propatulo se sistit, diu latens in sanguine sine noxa. Plerique tamen post concubitum impurum, de æstu genitalium cum stranguria, conqueruntur; & post triduum circiter profilit gonorrhœa; de qua infra agemus. Præputium & nonnunquam balanus, phlogosi corripiuntur: penem non secus ac vulvam impetunt ulcuscula, pustulæ, cristæ, porri, &c. Gravioris infortunii periculum incurrit membrum genitale; nempe inflammationis, quæ ad certum gradum devecta, gangrænam minatur. Tument in pluribus testes, quibus impendet phlogosis, & ex hoc fonte prodeunt in posterum hydrocele, sarcocele, & varicocele: protuberant bubones, de quibus suo

loco. Anum obsident ficus, marisсæ, condylomata, rhagades & sciſſuræ, vel ipsamet fiſtula: tument furentes hæmorrhoides, sæpiusque in suppuratum abeunt; vel occallescentes carcinomatis naturam redolent. Hæc sunt *signa* luis venereæ *spectabiliora*, quæ tamen infida censeri debent; cum haud raro accidat, ut gonorrhœa, bubones, pustulæ, ulcera genitalium, infarctus testium, &c. ab alio fonte prodeant: sed latentis virus haud levem suspicionem movent prædicta symptomata, si solitis præsidiis minime cedant; vel si qualibet arte fugata, nulla intermedia spurcitie, recurrant. *Febre anomala* quandoque stipatur lues venerea; nunc acuta, nunc lenta, continua vel intermittente. Nonnulli demum, ut hisce generalibus finem imponamus, de æstu, haud dubia apyrexia, in vola manuum & planta pedum conquerunturs.

Præcipuam *in capite* exercet sævitiem virus venereum: parit enim cephalalgias atrociores, insultus convulsivos, vertigines, tremores & paralyses. Protuberant in facie & cute capillata, non secus ac in alis narium, & commissura labiorum, pustulæ sui generis, quarum series in fronte quamdam refert corollam, quæ singulis obviis morbum prodit. Exsurgunt e pericranio tumores cystici, quibus subjectum os carie læditur. Ingruunt ophthalmiæ, lippitudines, aliique multigeni oculorum affectus. Mali etiam consortes fiunt aures, quæ tinnitu, surditate, dolore, phlogosi & ulceribus conflictantur. Sed os latentis virus certiora profert indicia; fauces enim, uvula, tonsillæ, palatum, & rarius gingivæ, ulceribus late serpentibus depascuntur. Nec feriantur nares; quæ etiam simili modo confodiuntur, cum subjacentium ossium carie: ibidem erumpunt polypi, nunc occallescentes, nunc cancri naturam redolentes: procedente morbo palati fornix ossea in quibusdam exeditur; hinc emergit foramen, nulla arte conglutinandum; unde vox, ut inquiunt, nasalis. Ex hisce diversis oris & narium defœdationibus emergere halitum fœtidissimum, facile colligitur: hunc etiam fovet *pulmonum* labes quæ a raucedine, hæmoptysi, phthisi & asthmate facile dignoscitur. Nec inter hanc-ce rerum conditionem illæsum manet cor, uti e palpitationibus, lipothymiis crebro recurrentibus jure conjicitur.

Raro in consensum trahuntur *abdominis* viscera, si excipias uterum, aliaque utriusque sexus organa, quæ diversimode læduntur; infarctu nempe, phlogosi, scirrhis, exulcerationibus, &c. Insuper sæpius tument, uti jam innuimus, glandulæ inguinales; unde suboriuntur bubones, in hocce morbo vulgatissimi: rarius glandulas cervicales & axillares obsidet virus venereum: sed ex eodem seminio prodeunt *tumores* cystici diversæ molis, & in variis partibus, non secus ac in capite, protuberantes; ac demum tubercula tendinibus & ligamentis insidentia. Plures *doloribus* in artubus, nonnunquam acerbissimis, conflictantur; qui scilicet tam alte defiguntur, ut ipsamet ossa attingere videantur. Noctu exacerbantur prædicti dolores, qui hanc vel illam partem obnixe dilaniant, vel in varias disseminantur, ab arthriticis vagis plane dissimiles. Interea erumpunt in pluribus exostoses molles, vel renitentes; indolentes, vel molestæ, quibus labefactantur partes circumambientes: carie etiam crebro afficiuntur *ossa*; unde enascuntur ulcera fœtidissima & contumaciſſima. Hiant rhagades in vola manuum & planta pedum; extremi digiti paronychiis impediuntur: decidunt ungues, capilli, supercilia, &c. æger demum diversimode afficitur; ulceribus phagedæneis scilicet exeditur; diversiformibus maculis atro-purpureis, vel lividis signatur; atque scabie, herpete, aliisque pustulis siccis, humidis, squamosis, defœdatur. Notare demum expedit, quod hæc omnia signa, vel phænomena hancce luem affectari solita, nusquam in omnibus se prodant; sed singula in singulis, pro innumeris circumstantiis, summe varient.

De discrimine, quod occurrit inter scorbutum & luem veneream, e signorum syndrome, vel symptomatum congerie eruendo, jam supra actum fuit: sed prolatis addere juvat, partes per quas contagium syphiliticum propagatur; genitalia nempe utriusque sexus, post concubitum impurum; labia procorum & amasiarum ferventibus basiis inquinata; os lactentium, papillæ nutricum; ac demum cutis alumnorum qui

in

in utero materno hoc vitium contraxerunt, primo ulcuſculis, puſtulis, vel quovis alio modo affici. In hunc cenſum etiam veniunt gonorrhœa & teſtium intumeſcentia, non ſecus ac bubones, qui pudendorum vicinia occupant. Infantes a viru matris & nutricis ſæpiſſime inquinari, apud omnes in confeſſo manet: ſed de aliis luem contrahendi modis dubitare licet: etiamſi variæ circumferantur hiſtoriæ obſtetricantium, qui manu in uterum adacta, & aliquandiu in hiſce latebris verſante, luis ſeminia recepiſſe arbitrabantur. Notandum incumbit, ſigna hactenus prolata utrumque ſexum, habita ratione genitalium, reſpicere; ſed alia occurrunt ad mulieres duntaxat pertinentia; tumores nempe cancroſi mammarum; catemniorum ſuppreſſio, vel profluvium immodicum; uteri infarctus; ulcera, &c. pleræque inſuper fiunt ſteriles; crebro abortiunt utero gerentes; vel partum edunt rubore eryſipelaceo perfuſum; diverſiſque puſtulis aut ulcuſculis obſitum.

E præhabitis perſpicuum fit, luem veneream *periculi* fere *expertem* eſſe, ſi nullam moleſtiam creet, nec obſit functionibus; *ominoſam* e contra exiſtimari, ubi lædunturpartes internæ; ac numeroſa, gravioraque exſurgunt ſymptomata. Difficilem curam admittit, ſi cum ſcorbuto & ſcrophulis implicetur: ubi jam diuturnior altas egit radices, vix expugnari patitur: indomabilis demum cenſetur, ſi præcipua viſcera, vel organa vitalia certam labem contraxerint. Periculoſioris eſt res aleæ in infantibus & ſenibus. Leve incommodum parit lues venerea mulieribus menſtruatis; ſed ſtipato agmine ſe proferunt ſymptomata, ubi deſinit, ſtata ætate, lunare profluvium. Lues demum ſolis naturæ viribus commiſſa, & quaſi ſuis juris facta, in hydropem vel maraſmum plerumque abit.

Ab exarata *cadaverum hiſtoria* colligitur, muſculos uvidos quodam latice pituitoſo imbui; organorum involucra, non ſecus ac cæteras membranas, variis puſtulis vel tuberculis conſpergi; viſcera multigenis infarctibus, & quacumque collectione contaminari; cavitates & receſſus ſtagnationibus ſeroſis vel ſanioſis repleri. In *capite* reſerato, accuratiorique examini ſubjecto, detegitur caries in oſſibus cranii, faciei & aurium: conſpiciuntur exoſtoſes in facie interna pyxidis oſſeæ: obvii fiunt tumores duræ matri, ejuſque propaginibus adnati. Occurrunt vaſa concretionibus, ut inquiunt, polypoſis diſtenta: in apricum venit plexus choroides varicoſus, & hydatidibus refertus: paſſim demum obſervantur purulentiæ, putredines, &c. Varia etiam ſpectatu digna exhibet *pectus* cultro anatomico ſubjectum; pulmones nempe infarctos & ſcirrhoſos, tuberculis obſitos, abſceſſus recondentes, ulcere exeſos, putredine abſumptos & necroſi correptos; tracheam & bronchia quaſi carie eroſa; thymum ſcirrhoſum, purulentia defœdatum vel putridum, œſophagum ſæpius in conſenſum trahentem: cor tuberculis ſcatens, mole ingens: diaphragma puſtulis obſitum, &c. Haud minorem oſtendit labem *imus venter*: ſedulo enim perluſtratæ glandulæ, præſertim meſentericæ infarctæ, occalleſcentes vel putredine conſpurcatæ reperiuntur. Nodoſa vaſa lymphatica huc & illuc perreptantia nudis oculis ſubjiciuntur. Paſſim occurrunt hydatides, phlogoſes, abſceſſus, exulcerationes, tumores ſcirrhoſi, anomali, &c. Perinde peſſundantur in nonnullis hepar, lien & pancreas: ſed hiſce vitiis crebrius infeſtantur uterus, ovaria, veſiculæ ſeminales, proſtata, aliæque partes ad generationem comparatæ. Varia deprehenduntur oſſa, tum trunci, tum artuum, carie confecta, ipſammet medullam diverſimode contaminatam attingente. Nonnullæ comperiuntur exoſtoſes, vel aſperitates; quæ antea deliteſcebant. De oſſium mollitie mentionem ſubjecerunt varii Auctores; ſed num rariſſimum illud phænomenum luis venereæ, potius quam ſcorbuto, ſit referendum ſupra dubitavimus. Nec illæſa ſunt ligamenta & tendines, quæ oſſium inſtar, nunc tument, nunc carie tentantur. Se obtulit demum mercurius vivus, in his præſertim, qui inter hydrargyroſim anima exhalarunt; non ſolum in baſi concava cranii, ſed etiam in ligamentis artuum capſularibus, ac in ipſomet oſſium cavo; quod ſane bene notandum venit.

Neminem fugit, ut ad *curationem* deveniamus, mercurium ſecretiora corporis adyta penetrantem, ſpecificum eſſe luis

venereæ remedium, & usitatius; sive per cutis porulos ad sanguinem appellat, ope unguentorum, emplastrorum, vel suffumigiorum; sive intus sumatur per os sub forma ptisanæ, pulveris, pilularum, &c. Hinc innumeræ emergunt methodi; quæ suas laudes merentur, dummodo eo collimetur, ut mercurius sanguini confusus diu intra vasa retineatur, & ad intimiores corporis recessus blande feratur. Danda opera, ut absque impetu effectum suum exerat, ne ptyalismum aut alvi profluvium moveat: hæ enim evacuationes, accurato studio, declinari debent; cum non modo inutiles & supervacaneas esse, sed integræ virus eradicationi obstare, præcipuam hydrargyri quantitatem per os, vel alvum devolvendo, millenis observationibus constet.

E variis medendi methodis hactenus notis sibi parem non habere videtur ea, quæ ab admoto *unguento Neapolitano*, & frictus ope intra cutis porulos adacto, tempestate congrua peragitur: sed nil moliendum, donec, expeditis viis, humores inquinati mercurii viribus obtemperent. In hunc scopum præmissis venæ sectione & catharsi, præcipiuntur temperantia, lac, serum lactis, balnea, &c. nec posthaberi debent prædictæ cautelæ in aliis curandi ritibus; qui alias inertes vel noxii evaderent. Ab hacce norma nonnunquam tamen deflectere licet; si urgentissimus casus præparationis moras minime patiatur: sed diætæ semper habenda est ratio: lacteam, si nil obstet, magis congruam esse pluries experientia didici.

Mercurii unciæ circiter duæ, e quibus parantur unguenti unciæ quinque vel sex, adhiberi debent pro integra illitione, habita ratione virium: imo & nonnunquam refringitur hæc dosis; raroque augetur. Frictiones, tertio quoque die iterandas, haud ultra duodecim vel sexdecim per totum curationis stadium celebrari debent, quod intra quadraginta vel quinquaginta dies ut plurimum continetur. Dorso & artubus duntaxat admoveri debet unguentum Neapolitanum: primo scilicet obliniuntur pedes, postea crura, dein genua, &c. nec immutantur lintea per prædictam mercurii administrationem. Si mercurius irruat ad os, aliudve grave incommodum pariat; inunctionibus superfedere expedit: imo & mundum conceditur induſium; aliaque induuntur tibialia, &c. quibus inducis haud rite succedentibus, ad cathartica confugiendum; ut humores, qui caput impetunt, ad inferiora divertantur. Fluentibus catameniis, vel tempore graviditatis, a frictionibus abstinendum. Pro tenellis infantibus inquinatis, nutricum sanguis mercurio imprægnari solet, ut lac antivenereum ipsis præbeant; atque hoc solo præsidio plures sanantur. Verumtamen mercurius quocumque modo usurpetur, nonnunquam impar est eradicandæ lui venereæ: hinc fit, ut post administratam hydrargyrosim, ad sudorifica, quæ curationem complent, deveniant solertiores: ad guaiacum scilicet, chinam radicem & sarsamparillam; quibus posthabitis sæpius recrudescit morbus, alteri hydrargyrosi, raro feliciori, iterum submittendus: quod sane alta mente tenere debent, qui ægrorum saluti consulunt.

Ubi cutis læsiones impediunt, quominus peragantur frictiones mercuriales, explorare licet *suffumigiorum* vires; cum ea cautela, ut caput a fumo, oculis, dentibus, & pulmoni infenso, tueatur. In hunc finem adhibentur cinnabaris, æthiops mineralis, mercurius saccharo extinctus; alterave mercurii præparatio: nonnulli ipsis addunt olibanum, succinum, styracem, mastichen, terebinthinam, aliaque consimilia, quorum ope parantur tabellæ, trochisci, &c. Definitur suffumigationis spatium a tribus, quatuorve minutis, ad horæ quadrantem, pro ægri viribus; & recipitur pro quaque suffitione cinnabaris drachma una aut altera, interposito triduo vel quatriduo, adeo ut pro toto curationis stadio, quod intra quadraginta vel quinquaginta dies etiam continetur, haud ultra uncias circiter duas cinnabaris usurpentur. Hanc curandi methodum haud periculi expertem, nec illitionibus tutiorem esse, innumeris periclitationibus jamdiu constitit: haud tamen despicienda; cum nonnunquam respectu circumstantiarum, & accidentium, cæteros medendi ritus antecellat: defœdationibus præsertim cutaneis apprime medetur: & sub hisce casibus multis optime cessit; sed inanem sæpius operam ludere erga

erga labem viscerum, ratum apud expertos manet. Suffitiones ægre patiuntur debiles & macilenti: has absque noxa admittere minime valent phthisici, quacumque arte præcaveatur fumi accessus ad pectus: imo & nonnullos suffitos, quorum antea illæsi erant pulmones, in phthisim incidisse experientia constat.

Interea impar sæpius censetur utraque methodus subigendæ materiæ morbosæ; nec felicior fuit secunda, tertiave periclitatio; quare ad aliam se conferre expedit, quæ duplex innotescit, & versatur circa *mercurium* sub diversa forma *ore sumptum*, vel *sudorifica* e vegetabilibus petita. Ex alterutro fonte depromunt agyrtæ & empyrici, Medicis audaciores, liquores, ptisanas, pulveres, pilulas, aliaque arcana, quæ nonnunquam ægrotantium vota explent. Nec despiciunt circulatores remedia quædam obsoleta, quorum usus olim notissimus & probatissimus, nescio quo fato, eviluit. Præsto sunt panacea, arcanum corallinum, aquila alba, turphetum minerale, præcipitatum rubrum, & innumera alia præparata, a Chymicis excogitata, quæ intus sumpta ad sanguinem per vasa lactea appellunt, & suas vires exerunt in virus venereum; quod hydrargyro per cutem immisso sæpius obsurdescens, his plane subigi valet. Simplex est utendi modus: panacea scilicet, quæ erit instar omnium, singulis diebus, præmissis præmittendis, exhibetur, ad dosim primo minimam, a granis scilicet quatuor ad sex; sensim adaugetur hæc dosis, donec ad scrupulum unum accedat; & dein paulatim eadem ratione imminuitur: adeo ut ultima primam minime superet. Panaceæ drachmæ circiter sex adhiberi solent ad absolvendam curationem; qua procedente sedulo cavendum, respectu dosium, non secus ac in aliis methodis, ne ptyalismus moveatur; præsertim si nonnulli hujusce excretionis prodromi in ore percipiantur: hæc enim est pyxis nautica, quæ solertium sistit gressus. Insuper haud cæteris expeditior est hæc methodus; easdemque cautelas, & præparationes expostulat. Illud notare juvat, erga quamvis mercurii administrationem, quod ad amussim minime definire liceat necessariam mercurii quantitatem ad extirpandam luem; nec indicare numerum dierum, quibus coerceri, vel protelari debet curatio; cum virus venereum nunc facile evincatur, nunc contumacius evadat. Sed a bene perspectis ægri viribus, ætate, sexu & temperie; morbi diuturnitate & gradu, infortuniis & accidentibus; nec posthabita omnium symptomatum, successu temporis evanescentium, accurata observatione, curandi judicium dirigitur. Cave tamen, ne sopitum duntaxat deleterium citius ocyus recrudescat; quod pluries evenisse, omnibus uti videbatur rite succedentibus, iis etiam, qui novæ contrahendæ luis nullum periculum adierint, neminem practicum fugit.

Inter varia præparata mercurialia, *sublimatum corrosivum* magis reformidandum esse, nullus ferme ambigit; cum inter venena caustica primatum fere ducat. Hoc tamen hactenus invisum remedium in familiarem & auspicatissimum usum traxit celeberrimus Van-Swieten: atque numerosissimis observationibus jam constat, hanc materiam, alias summe noxiam, solerti manu tractatam exquisitissimum, & plane innocuum antivenereum præbere; adeo ut laudatus Auctor hoc cæteris anteponere minime dubitet. Nec difficilis est utendi modus: solvuntur nempe sublimati corrosivi grana duodecim in spiritus frumenti semel rectificati libris duabus: propinatur sero & mane illius solutionis cochlear unum vel alterum, superbibendo singulis vicibus decocti hordei cum lactis tertia parte libram unam; quod decoctum, potum ordinarium etiam præbet. Haud nisi præmissis præmittendis, & solitis servatis cautelis usurpari debet illud remedium; quod protelatur, donec evanuerint luis symptomata; & res ad alcyonium statum redigantur. Si morbus occurrat levis, nec altas egerit radices, haud ultra tres septimanas exhibetur, ad designatam parcissimam dosim, illud euporistum: sed ubi impugnanda occurrit lues ferina & vetustior, augetur dosis, & diutius protelatur curatio. In hacce demum methodo, non secus ac in aliis, invisus est ptyalismus; hinc concedendæ sunt induciæ, ubi imminet.

Jam diu exolevit, & immerito abdicatur *sudorificorum*, olim celebratissimorum, usus;

usus; guaiaci nempe, sassafras, chinæ radicis, & sarsæparillæ: verumtamen eorum efficacia ad extirpandam luem veneream innumeris propemodum, & accuratissimis observationibus constat: nec solertiores practicos latet, hoc solo præsidio, perperam hodie posthabito, pluries radicitus evulsum fuisse deleterium syphilideum; post incassum administratam & repetitam hydrargyrosim: imo & ab expertis, uti jam innuimus, sæpius in usum vocatur ad tutius absolvendam curationem a mercurio inchoatam, vel uti videtur peractam. Cæteris congeneribus præcellit guaiacum, & ideo illis præfertur a potiori clinicorum parte: nec difficilis est utendi modus; ejus nempe decoctum ad cyathos duos vel tres, singulis diebus, per quadraginta vel quinquaginta dies & ultra, pro re nata, propinatur: inter quem usum tenuissimus requiritur victus; & æger e lecto assurgere minime debet. Alterum ejusdem ligni decoctum, quod bochetum nuncupant, pro potu ordinario, ptisanæ instar paratur; ipsiusque usus ultra prædictum terminum, vel ad mensem integrum, post absolutam curationem, protenditur. Notare tamen juvat, macilentos & debiles ægre ferre sudorificorum vires; hinc necessum est, ut sub hoc casu cauta & refracta dosi adhibeantur. Narrat Boerhaavius se curasse juvenem lue aphrodisiaca, cum ossibus carios, plane confectum, post incassum adhibita mercurialia exquisitiora, solo decocto guaiaci pro potu ordinario præcepto; faventibus sudoribus, ex spiritus vini vapore promotis, nec posthabito victu tenuissimo.

Scire expedit, nonnulla symptomata, etiam post eradicatum a quavis methodo morbum, moras trahere & aliquandiu manere: sed nullum recidivæ metum incutiunt expertis; cum extincto morbi fomite, facillima arte fugentur; vel successu temporis sponte desinant. Gonorrhœa, inter alias *reliquias*, pertinacior audit: levi tamen marte eximitur ope lactis, aliorumve demulcentium, aquarum mineralium acidularum & martialium; ac demum balsamicorum & roborantium. Dolores etiam, nonnunquam antivenereorum vim eludunt; sed in posterum evanescunt; etiam conferentibus lacticiniis, temperantibus, & aquis mineralibus; quibus inanem operam ludentibus, proficue adhiberi solent diaphoretica: nec posthabenda topica emollientia, demulcentia & anodyna, quæ saltem inducias agunt, donec cætera præsidia curationem claudant. Si supersint scabies, herpetes, ulcera, caries ossium, &c. quod tamen raro accidit; nil præter tralatitiam medelam, nulla habita ratione primariæ causæ, efflagitant. Hæc sunt, plus æquo forte contracta, quæ de lue venerea nobis dicenda erant: qui plura ambiunt, adeant tractatum peritissimi, & disertissimi Astruc, qui nullis pepercit laboribus, ut hanc materiam penitus exhauriret.

SCROPHULÆ.

Virus scrophulosum, venerei instar, diu in corpore sæpius delitescit; vel cum aliis morbis complicatur; adeo ut atra caligine tum obvolvatur ejus *diagnosis*. Adde quod scrophulæ (*les Ecrouelles*) lui venereæ affines esse videantur; ni sint hujusce postremi affectus mera progenies; pluries enim observatum fuit, parentes syphiliticos, imo & scorbuticos genuisse prolem scrophulosam. Insuper remedia luis venereæ specifica, mercurialia nempe & sudorifica, apprime etiam congruunt scrophulis: eamdem postremo faciem nonnunquam præ se ferunt prædicti affectus, vel plane comparibus stipantur symptomatibus; adeo ut nil fere certi de eorum discrimine proferre liceat. Alia tamen se prodit scrophularum prosapia: ratum enim manet apud clinicos, has sæpius ortum mutuari a pravis eduliis, ab aquis lutosis & putridis; a lacte nutricis utero gerentis, &c. Præterea ultra omnem dubii aleam positum esse videtur, scrophulas ex traduce propagari, vel simplici contagio contrahi: unde colligitur, huncce affectum nunc esse congenitum, nunc adventitium: maximique momenti, ut sub hoc duplici conspectu innotescat.

Tumoribus foris erumpentibus] ut plurimum se produnt scrophulæ; quæ hinc audiunt apud vulgus *Humeurs ou Tumeurs froides*. Haud immunes tamen censeri debent partes internæ, & præsertim

tim glandulæ meſentericæ; uti ex infra tradendis de autopſia anatomica abunde patebit. Larvatus quandoque incedit morbus, priuſquam in propatulo ſe ſiſtat tumoribus, quæ glandulis lymphaticis, ſalivaribus, & tyroidi inſident: in artus etiam incumbunt hæ prominentiæ; craniumque impetunt, quod carie haud raro exeditur: ſpiſſoque agmine protuberant in cervice, prope aures, infra maxillam inferiorem, & ſupra tracheam, quæ etiam carie afficitur. Crebro invadunt axillas, inguina & mammas; nec parcunt oculis, naſo, labiis, cubitis, poplitibus, genubus, manibus, pedibus, utrorumque digitis. Adnaſcuntur prædicti tumores membranis, tendinibus, ligamentis & ipſiſmet oſſibus, quæ ideo intumeſcunt & carie læduntur; unde emergunt dolores acerbiſſimi; & hoc truculentum ſymptoma, ſub diatheſi ſcrophuloſa familiarius barbaro *ſpinæ ventoſæ* nomine venit.

Tumores ſcrophuloſi, qui ſua natura inter phlegmonem & ſcirrhum, medium quaſi locum tenent, firmiter ſubjectis partibus hærent; adeo ut immobiles plerumque obſerventur: nunc ad certam molem ſuperficie inæquali aſſurgunt, & quaſi conglomerati videntur: alias concatenatim diſpoſiti circa cervicem diſſeminantur. Cuti ut plurimum concolores, ægre phlogoſim concipiunt, & in ſuppuratum abeunt: ſed ut plurimum occalleſcentes, duritiem quaſi lapideam nonnunquam mentiuntur. Ulcera mali moris, quæ exinde oriuntur, e quorum diuturnitate in febrem hecticam & maraſmum delabuntur infantes, haud raro cancri naturam redolent; vel in fiſtulam fœdiſſimam faceſſunt: prominentia & inverſa horumce ulcerum labra dolent & occalleſcunt; atque ægre ad mutuum contactum ducuntur: ſi vero poſt longum & tædioſum opus ferruminentur, albicantes manent cicatrices, hinc ſumme conſpicuæ & nulla arte delebiles. Aliud occurrit horumce tumorum genus, cyſticorum nempe, qui materies diverſæ ſortis, vel meram aquam limpidam & inodoram recondunt: in hunc cenſum quandoque venit bronchocele, tyroidem glandulam occupans; quæ ſua mole haud raro tracheam, ipſumque œſophagum comprimit. Abſit tamen, ut omnes tumores anomalos, qui *Gouetres* vulgo audiunt, laryngi vel cæteris partibus incumbentes, pro ſymptomate ſcrophuloſo, uti nonnulli perperam cogitarunt, habeamus; cum hos ab innumeris aliis cauſis ſoboleſcere luce clarius pateat. Haud rectius collineant, qui rhachitidem, defluxiones in artus, vel eorum tumores œdematoſos, ulcera fiſtuloſa, achores, &c. nonnunquam, ut verum fatear, luis ſcrophuloſæ ſymptomata, ſemper & indiſcriminatim ex hocce fonte prodire autumant; quod ſane rationi & experientiæ adverſatur.

Nec hiſce cancellis, uti jam innuimus, continetur *lues ſcrophuloſa*, quin potius in pleriſque pariat tumores ſublinguales, tonſillarum infarctum, polypum & ozænam narium, ophthalmias, ægilopem, aliaſque oculorum læſiones. Sæpius etiam irruit ad pectus; hinc ſarcoſes in trachea & bronchiis, hæmoptyſis, phthiſis, aſthma, &c. Nec parcit abdomini, ut plurimum intumeſcenti, virus ſcrophuloſum; præter enim meſenterium, quod præcipua morbi ſedes jure cenſetur, hepar, lienem, omentum, &c. afficit. Sub hiſce anguſtiis contabeſcunt ægri, raro febris expertes; vel in hydropem, paralyſimve delabuntur; qui poſtremi morbi ad certum gradum devecti plures ad libitinæ rationem ducunt.

Infantes *invadere* ſolent ſcrophulæ a quarto ætatis anno ad pubertatem, ultra quam raro protelantur: ſi hos limites tranſgrediantur, cachexiam vel arthritidem, aliumve morbum chronicum, ſolitum eludere Medicorum artes, poſt ſe trahunt. Ubi ſcrophulæ ſcaturiginem ducunt ab aquis, alimentis & contagio, vel a quavis alia cauſa externa & evidenti, ſecundis avibus ut plurimum judicantur; ſecus vero evenit, ſi ſint congenitæ; cum labes hæreditaria, cujuſcumque ſit indolis, vix expugnari ſe patiatur. Huic affectui magis obnoxios eſſe infantes, qui ingenio pollent, plures autumarunt; nec reluctatur experientia. Rite ſuccedere poteſt curatio erga tumores molles & recentes, mobiles & doloris expertes: nec minor ſpes affulget, ſi ſint phlegmonodei, & a ſuppuratione minime alieni: ſed immobiles, ſcirrhoſi, dolentes, lividi & inveterati, pertinaciſſimi

au-

audiunt; trachææ & majoribus vasis incumbentes, non secus ac tendinibus, ligamentis & ossibus accreti gravius facessunt negotium: calamitosi demum censentur, qui cancri naturam redolent. Ulcera, quæ exhinc oriuntur, sordida & virulenta difficillime sanantur; vel si indefesso labore coeant, sufflaminatum virus in aliam partem irruit; inibique novum cuditur ulcus, priori plane suppar. Summam postremo molestiam creat caries ossium manuum, pedum, maxillæ, &c. Ut demum hæc omnia in unum contraham, a diuturnitate morbi, non secus ac a natura partium læsarum erui debet *prognosis*; alias semper ominosa, si virus visceribus impactum marasmum vel hydropem accersat.

In tumoribus externis *cultro anatomico* subjectis reperitur ichor fluidus, subcruentus, vel amurca quædam flava: concretiones tophaceæ, & hydatides. Circa horum vicinia conspicitur materia quasi adiposa, concreta & carnosa, larido quandoque simillima: qualis plerumque observatur in cancris, cum ossibus subjacentibus carie læsis. Deteguntur series minorum glandularum racematim congestarum, quæ totidem scrophularum semina, serius ocyus progerminassent, &c. Haud minorem labem contraxisse partes internas e lustratis visceribus liquet; aperto enim abdomine, deteguntur glandulæ mesentericæ mole majores; quæ nonnunquam nucis juglandis, imo & pugni virilis magnitudinem assequuntur: scirrhosæ, callosæ & fere lapideæ quandoque observantur; vel tumorum anomalorum instar, materiam quamdam sebaceam, caseosam, vel purulentam colligunt: in consensum trahuntur vasa lactea, receptaculum pequetianum, & ductus thoracicus; quæ multifariam lædi solent; sed in plerisque materia quasi gypsea infarciuntur. Occurrunt sarcomata polyposa ventriculo, tuboque intestinali, intus & extus, adnata; consimiliaque rarius exhibet vesica. In apricum venit hepar, nunc corrugatum, aridum & contractum; vel scirrhosum, tuberculis refertum & obsitum; imo & quasi lapideum; nunc mole ampliſſimum, & absessus amurcam albam & cruentam continentes recondens: in nonnullis demum deforme, & a naturali situ recedens, cum vesicula bile diversæ indolis & consistentiæ supra modum distenta, conspicitur. Simili modo labefactatur lien, qui etiam putredine confectus, adeo ut instar pultis diffluat, imo & plane absumptus deprehenditur. Easdem patiuntur defœdationes omentum, pancreas, uterus, ovaria, &c. hinc fit, ut vulgatissimæ sint in abdomine stagnationes serosæ, sanioſæ, purulentæ & fœtidæ. Nec parcit interno pectori virus scrophulosum: thymus enim in omnibus fere scirrhosus & stupendæ molis, vel calculos fovens, invenitur: obvium fit pulmonis involucrum crassum & callosum: patet substantia ejusdem visceris scirrhosa, tuberculis referta, pure conspurcata & putrida; imo & in quibusdam alteruter hujusce visceris lobus absumptus plane deficit; vacuum replente materia quadam albicante & quasi gypsea. Insuper ante oculos versantur pleuræ exulcerationes; tumores huic membranæ accreti cum costæ vicinioris carie. Idem vitium præ se fert pericardium; quod alias cordis peripheriæ annectitur, vel aqua turgidum se præbet. Nec desunt aliæ hærentiæ morbosæ, atque stagnationes diversæ sortis, serosæ scilicet, lixivioſæ, lutulentæ, ramentis sanguineis intermixtæ, &c. circa prædicta viscera fluctuantes. De *ossium* tumoribus, carie, aliisque vitiis ante obitum notissimis nil addimus.

Præcipuus *curationis* cardo circa incidentia & sudorifica versatur: sed inertia vel nociva deprehenduntur hæc medicamina, ni præmissa venæ sectione, si nihil obstet, & expeditis primis viis; emendandæ sanguinis diathesi ope seri lactis, aliorumque diluentium, temperantium, depurantium, antiscorbuticorum & blande aperientium, primum prospiciatur. Præclarum sub hoc conspectu effectum sæpius præstant lacticinia; sed haud omnibus congruunt: in eumdem scopum pluris habentur radices brusci, scrophulariæ & polypodii; non secus ac folia tussilaginis, rutæ murariæ, nasturtii, cochleariæ, &c. Laudatur in hoc curationis stadio ipecacuanha: sed egregiam opem conferunt per totum morbi curriculum pluries repetita cathartica; ne humores ab appellente pravo chylo ulterius inquinentur. Quibus præmissis ad efficacio-

ciora deveniendum medicamina ; nimirum ad millepedes , martialia , gummosa, & saponacea . Inter absorbentia & amara , nonnullis proficua , præstantiora censentur magnesia, & cortex peruvianus, a quibusdam plurimum decantatus. Ex incidentium serie , aquila alba , panacea, æthiops mineralis: aliaque præparata mercurialia probatissima audiunt; quæ ideo diu & refracta dosi usurpata multis optime cedunt . His addere licet aquam calcis, quæ caute exhibita in pretio jamdudum fuit. Inter sudorifica selectiora recensentur viperæ, sassafras, antihecticum Poterii ; aliaque ejusdem commatis. Nec posthabendæ aquæ minerales, Plumberianæ nempe, Baregienses, Bonenses, Vervonenses, Dinienses, &c. Spongia calcinata ad drachmam unam circiter, sero & mane, diuque sumpta inter specifica a quibusdam numeratur: iisdem viribus pollere videntur pumex, cæteraque absorbentia . Summis etiam laudibus deprædicatur remedium *Rotrou*; quod tamen paucis arridet ob difficiliorem encheiresim, qua fit ut in majori officinarum parte desideretur. Nec desunt, qui vulgatissimas illitiones mercuriales suadent; sed ulteriori experientia comprobari debet hoc remedii genus, quod haud feliciter successisse experientia novimus. Summis laudibus nuperrime extolluntur vires plantaginis extus admotæ ; & nil impedit quominus explorentur. Pluribus demum suppetiantur cauterium & setaceum ; præsertim sub ophthalmia scrophulosa, quæ alias solita præsidia expostulat ; venæ sectiones nempe , curcurbitulas , hirudines, vesicatoria, &c. de quibus suo loco.

Suam curam sibi vindicant *tumores externi* , quæ versatur circa resolventia & maturantia : a bene perspecto horum schemate, ad alterutram methodum se conferunt medentes ; attamen a resolventibus prima ut plurimum auspicantur tentamina. Inter innumera quæ pro singulorum arbitrio usurpantur , præstantiora censentur folia ebuli sub cineribus cocta ; cataplasmata e radicibus bryoniæ & cucumeris sylvestris ; fotus ex aqua calcis ; suffitus ex olibano , karabe & tacamahaca : emplastrum diachylum cum gummis, de Vigo, de cicuta, diabotanum , &c. Quibus incassum adhibitis, ob tumorem resolutionis nescium, maturantia explorari solent ; cataplasmata scilicet emollientia & digestiva vulgatiora, quorum beneficio tabum quandoque conficitur, & paratur abscessus ; cujus vel maturi & fluctuantis , sectio minime festinanda, ut puris mora integre exedantur glandulæ scrophulosæ. Simili ratione minime properandus est ulceris exhinc emergentis coalitus ; quin potius in usum trahenda sunt cathæretica ; inter quæ, solutio sublimati corrosivi in aqua plantaginis deprædicatur : digestivis & detergentibus sociata hæc postrema remedia eradicare valent scrophularum reliquias ; quæ alias post labrorum ferruminationem superstites, iterum procul dubio progerminantur : nec a solertioribus posthabentur ipsamet caustica, quæ si ad genuinum fomitem attingant, præclara obeunt munia. Si vero prædicti tumores integri vel aperti, venis circa ambitum tumentibus, cancri naturam induant ; omnibus vel exquisitioribus topicis obsurdescunt : ideo nil tum præter demulcentia & anodyna admovere licet ; ni illos ferro abscindere fas sit ; quæ operatio Chirurgi solertiam & dexteritatem expetit ; nec periculo vacat , si glandulæ affectæ, etiamsi mobiles, vicinioribus nervis , & majoribus vasis hæreant . Tutius sane simplici ligatura illas prominentes aggredi licet ; sed ubi alte defiguntur, plane abdicatur utraque curandi methodus. Addere lubet , priusquam manum e tabula amoveamus, molestissimam scrophularum curationem, ut plurimum, ad annos protelari , cum hicce morbus raro domari patiatur , nisi accedente pubertate , ultra quam per totum vitæ curriculum, sub diverso conspectu, sæpius protrahitur. Pluribus optime cessisse connubium experientia constat. Nil postremo omittendum eorum, quæ profutura videntur.

ARTHRITIS.

OMnibus sane patet hic morbus, (*la Goute*) si in pedes, vel manus cum tumore, dolore & calore irruat. Sed aliter se res habet sub levioribus insultibus, qui vix nisi ab expertis ægrotantibus innotescunt, Intricatior evadit hæcce *diagnosis*,

fis, ſi materia arthritica alias partes, & præſertim viſcera, nullo alio prævio paroxyſmo, impetat, ſub alterius morbi facie, quem incauti, ne minima genuinæ indolis ſuborta ſuſpicione, intempeſtiva medela ſæpius aggrediuntur. Arthritis raro *invadit* infantes ante pubertatem, & caſtratos; parcit ſequiori ſexui, priuſquam menſtrua erumpant, ſi excipias cloroticas ad hanc procliviores: ſed increbreſcit apud ſenes, præſertim corpulentos & magnates, mature caneſcentes; ſæpiuſque adoritur hypochondriacos & hyſtericas; præſertim ſi ſufflaminentur hæmorrhoides & catamenia. Hanc poſt ſe trahunt, præter labem hæreditariam, vita deſes & umbratilis, lautiſſimus victus & cupediæ, diuturnæ comeſſationes, & liberalior vini & aquarum ardentium potus; ac demum caſtra veneris. Nemo neſcit calculum ab iiſdem cauſis progerminari; & binos hoſce morbos ex eodem fonte prodire: unde fit, ut plures ab arthritide & nephritide alternatim excrucientur; ſenes utroque morbo ut plurimum conflictentur; hinc patet cur nonnulli arthritici lotium mingant intenſe rubrum, cum ſedimento craſſo & copioſo. Ad dolores arthriticos proxime accedunt rheumatici & iſchiadici, qui ab iiſdem cauſis ſuboriri videntur: ſed alterius ſunt commatis dolores ſcorbutici & venerei, qui ſæpius arthriticos & rheumaticos æmulantur; atque horum typum ita mentiuntur, ut vel ſolertiores decipere queant.

Arthritis tendinibus & ligamentis defixa ſævitiem ſuam exercet in pedes, manus, genua & cubitos: haud tamen continuo ægros dilaniat; ſed per paroxyſmos raro febris expertes recurrit. *Pars affecta* dolens & tumida, nunc levi phlogoſi corripitur cum calore, rubore & quadam pulſatione; nunc œdematoſa & quaſi flatulenta, cum torpore & quieſcentibus doloribus videtur; hinc arthritidis diviſio in calidam & frigidam. Dolor ideo ſub variis gradibus ſe profert; nunc mitis & obſcurus, de quo vix conqueruntur ægri; nunc acerbiſſimus tantam tyrannidem exercet, ut a tactu levioris ſtraguli mirum in modum exacerbentur. Sub diluculo ut plurimum compeſcitur & plane deſinit; dummodo ab intempeſtivo motu haud acrius recrudeſcat. Partem primo affectam ſæpius deſerit materia arthritica; ut in aliam partem irruat, genua nempe, manus, &c. ſic protrahuntur ægrotantium ærumnæ, donec accedente pruritu, paroxyſmi ad finem properantis ſpes affulgeat.

Inſultus arthritici pedes obſidentes, haud ultra quatuordecim circiter dies protelantur in juvenibus & vegetis; ſed diuturniores fiunt, ad plures ſcilicet menſes producuntur, in ſenibus & debilibus: victus tamen ratione, aliiſque innumeris circumſtantiis varios modos, reſpectu durationis & intenſitatis, patiuntur. Quo vehementior eſt dolor, eo citius præterlabitur paroxyſmus, hinc longior eſt intermiſſio; & vice verſa; adeo ut dolor ſæviſſimus ſub hoc ſtatu amariſſimum hujuſce morbi remedium audiat. De acceſſionum interſtitiis, vel diebus intercalaribus nequaquam conſtat; ſed ut plurimum ſtatis temporibus redeunt, plerumque vere & autumno; ni animi pathematibus, vel ſoluta vivendi norma turbentur ſolitæ periodi: parum abeſt, quin plane obliterentur in arthritide chronica; cum dolores, mitiores quidem, fiunt continui; ni inducias quaſdam impertiantur dies caniculares. Morbo ſeneſcente utrorumque artuum digiti impediuntur, incurvantur, diverſimode torquentur; ac ſuis exequendis muniis impares evadunt. Protuberant e phalangibus occalleſcentiæ, a materia quadam cretacea ligamentis, tendinumque involucris impacta, ſubortæ; quarum ratione *arthritis* dicitur *nodoſa*: quæ tubercula nonnunquam hiulca prædictis concretionibus exitum largiuntur. Arthritis tamen prima vice invadens ſenes haud acerbos dolores infert; nec ordinatis periodis ſubjicitur. Addere juvat, quod, ubi hic affectus in ſingulis ætatibus, cognato rheumatiſmo ſociatur, uti crebro evenit, poſtremus hicce morbus prædominium obtinere videtur.

Ructibus & flatulentiæ, alvi *adſtrictioni* & hæmorrhoidibus, ſtranguriæ, iſchuriæ, &c. obnoxios eſſe arthriticos, ratum apud omnes manet: ſed majora incurrunt infortunia a metaſtaſi materiæ arthriticæ, quæ ab artubus ſecedens viſceribus minatur: itaque ſi ad cerebrum tranſmittatur, ſuboriuntur cephalalgiæ, delirium, vertigines,

gines, lethargus, apoplexia, paralysis & tremor: si capitis partes externas impetat, soboleſcunt ophthalmiæ, otalgia, dolor dentium, angina, &c. Si irruat ad pectus, concitat catarrho & inflammationes; phthisim & hæmoptysim, asthma, anxietates, lipothymias, &c. Si incidat in viscera abdominalia, emergunt nauseæ, vomitus, inappetentia, alvi fluxus, dysenteria, ardor stomachi, vel cardialgia sæviſſima; dolor colicus, nephriticus, ischuria, &c. quibus sic re habentibus lotium quieti traditum sedimentum quoddam gypseum elabi sinit. Præterea plures podagrici quamdam in ore ventriculi moleſtiam ante paroxysmum experiuntur, quam ventositatem vocant: nonnulli de quadam adstrictione circa ilia & hypochondria; vel moleſto interaneorum sensu conqueruntur. Ubi arthritis sub hisce faciebus occultatur; post prægreſſum insultum vulgatiſſimum facile expiscatur morbi indoles; sed in obscuris latet, ni prævia in pedibus, manibusve acceſſio illam prodiderit, quod sæpius evenire, ætate ingraveſcente, neminem clinicum ferme fugit.

Arthritis congenita, vel a pueritia contracta, *immedicabilis* censetur: adventitia recens nonnunquam domari patitur; sed chronica & altiſſimis radicibus defixa a quavis causa proceſſerit, ægre in fugam vertitur. Exemplo sit Sydenhamus, coætaneorum Practicorum sane Princeps, qui huncce morbum, quo laborabat, graphice depinxit: asserit enim vir candidæ fidei, omnibus per triginta annos incaſſum exploratis, se non secus ac illos qui remedia detrectantes, vel sumptibus parcentes nullum Medicum acciunt; arthritide pertinaciſſima affectum fuiſſe. Ubique insuper occurrunt, qui per totum vitæ curriculum cum podagra luctantur. Quod ad paroxysmum spectat; dolores acutiſſimi spondent breviorem, dilucidiusque intervallum; adeo ut pro salutari naturæ molimine, nonnullis delicatulis tamen inviso, habeantur. Urina craſſa, ineunte insultu arthritico, hunc breviorem fore indicat. Bene etiam *ominandum* de partis dolentis intumeſcentia, ad inflammationem proxime accedente; quæ defluxionis criticæ instar, proximas inducias pollicetur. Imminentem paroxysmi exitum etiam prænuntiant urinæ craſſæ, turbidæ & lutulentæ; quarum examen minime deſpiciebant Veteres in singulis connexionum affectibus. Arthritis seneſcens debilior evadit; sed diutius protrahuntur paroxysmi; adeo ut sensim ægri & præsertim podagrici solitis intermiſſionibus plane defraudentur. Multiplici experientia compertum manet, ingruentem arthritidem emolumento fuiſſe febre quartana, asthmate vel hydrope laborantibus; & senes arthriticos longæviores fuiſſe: sed caveant sub hac conditione ne evaneſcat prædictus morbus: conſuetudo enim, ut vulgo fertur, est altera natura, cujus mutatio, etsi a pravis ad salutaria vergere videtur, periculoſiſſima censeri debet. Periculo vacat hoc ægritudinis genus; si solis artubus insideat materia morbosa: sed res in ancipiti versatur, ubi præpostera medicatione, diætæ vitio, aliave causa, ab exterioribus ad interiora vergens materia arthritica, viscera, cerebrum nempe cum nervis, cor & pulmones adoritur. Minorem terrorem incutere debet, si primas vias laceſſens, vomitum, alvi fluxum, vel ipsammet dysenteriam promoveat; cum hasce evacuationes sæpius proficuas fuiſſe teſtetur obſervatorum chorus.

Autopsia anatomica exhibet, in ossium connexionibus nodosis, materiam quamdam cretaceam vel tophaceam, qua non modo obducuntur tendinum involucra & ligamenta, sed etiam ipsamet ossa, a propria sede nonnunquam dimota, obvestiuntur; notare tamen expedit, quod nulla reperiantur in capsulis artuum ligamentosis. Reperitur sanguis effusus in ventriculos cerebri. Pulmones se sistunt humore viscido infarcti, inflammati, putridi & exesi. Obviæ fiunt lapideſcentiæ in cerebro, corde, pulmonibus, &c.: deprehenduntur arenulæ & calculi in omnibus urinæ receptaculis. Oculis subjiciuntur renes contracti & corrugati: lien occalleſcens; hepar granuloſum, inflammatum & putridum; lien obstructus & putris; pylorus occalleſcens; prostata tumida, &c. ut de cæteris silеamus, quæ ad omnes fere morbos spectant.

Haud deſunt *remedia* prophylactica & palliativa ad arthritidem; quæ alias, uti

jam innuimus, ægre eradicatur; præsertim in senibus quorum contracta cutis spiracula solitis respirationis effluviis egressum denegant. Ab omni curatione abstinere præstat, *vigente paroxysmo*; & totum negotium naturæ, vel victui tenuissimo committendum; ni dolorum acerbitas lenientium & emollientium usum suadeat. Haud citra periculum adhiberi posse venæ sectionem, ineunte insultu, facile crediderim: hanc enim, raro profuturam etiam in plethoricis, morbi stadium sæpius protraxisse; ægrosque haud raro ad ultimam rerum lineam duxisse sexcentis constat historiis. Haud me fugit sanguinis missionem, vigente paroxysmo, e pede affecto dolorem incantamenti instar, nonnunquam profligasse: sed num temera hæc methodus, cum naturæ viribus colluctans, periculi expers sit; iis quos non latet plures diversi generis ægros hæc intempestiva levamina capite in posterum luisse, examinandum relinquimus. Cathartica haud nisi urgente necessitate præscribi debent; sed nil vetat quominus enematum præsidio alvus servetur libera. Anarcoticorum usu, cui forte ægrorum querelis & ejulatibus auscultans, plus æquo inhærebat Sydenhamus, arthritidem pertinaciorem evadere testatur quotidiana praxis: quæ docet insuper dolorem esse amarissimum naturæ remedium, non sine periculo deflectendum; cum sæpius eveniat, ut cicuratis doloribus ingruant nodi, tophi, tumores œdematosi, & ipsamet paralysis. Absit tamen ut illos insimulemus, qui laudati auctoris vestigia premendo, urgentiori inter furentes dolores obtemperant. Tutius sub hoc rerum statu adhibetur theriaca, quæ notante *Riverio* cæteris hypnoticis præstat; dummodo certo judicio usurpetur; nec diutius ejus proteletur usus.

Topica, quæ adversus arthritidem proponuntur, indiscriminatim usurpare nefas: ab intempestive enim admotis repercutientibus & narcoticis sæpius ab artubus secessit materia morbosa: hinc subortæ sunt metastases, e quibus mortis auguria desumebantur. Sed haud vetantur emollientia & resolventia; inter quæ probatissimum est cataplasma utriusque vis particeps, e lacte, mica panis & floribus sambuci vel cham æmeli paratum. A nonnullis deprædicantur folia bardanæ, penes quos sit fides. Suppetiantur cineres calide admoti. Nec despiciendus est fotus ex ipsamet aqua tepida simplicissima, quæ forte cæteris topicis præstat; cujus ope resolvi potest ipsamet materia podagricorum calcaria. Præsentaneam opem haud raro ferunt vesicatoria. Cæteris demum præcellere videtur cauterium actuale a *Moxa Sinensium* paratum; quod pluribus optime successisse experientia novi. Linum carptum, aliamve materiam vegetabilem tomentosam in eumdem finem usurpabant Veteres; qui nemine discrepante hoc ambustionis genus debitis præconiis celebrarunt.

Sublato paroxysmo, nil urgentius clinico esse debet quam ejus reditum præcavere: hanc peroptatam metam attingere queunt, qui congruæ victus rationi indulgent; & a carnibus & vinis abstinent. Diætam mere lacteam cæteris prophylacticis palmam præripere multiplici constat experientia. Vir quidam nobilis sexaginta annorum, omni deliciarum genere perditus, jamdudum arthritide divexatus, adeo ut nec pedibus insistere, nec manibus apprehendere posset; divino sidere afflatus, pravos mores exuere, & e libidinum cœno emergere decrevit; virtutisque viam insequi necessarium duxit, ut iratum placaret numen, & flagitia sera pœnitentia redimeret: ideo abjectis voluptatibus & cupediis, nil aliud præter phaseolos nullo condimento coctos, panem & aquam ad omnem alimoniam sibi concessit, qua vivendi ratione non modo saluti æternæ, annuente qui intimos mentis humanæ recessus perscrutatur, prospexit; sed sensim jam inveteratam & nodosam arthritidem plane fugavit, radicitusque incogitans evulsit. Variis etiam historiis constat, nonnullos arthriticos laute prius victitantes, ad summam inopiam adversa fortuna redactos, adeo ut nil præter panem & aquam ipsis offerretur, arthritidem cum paupertate commutasse. Tantum valet tenuis & parcus victus ad profligandos diuturniores affectus, præsertim sub arthritide, cujus fomitem & mineram latere in primis viis apud omnes in confesso manet.

Sapo, ut in orbitam redeamus, inter præstantiora remedia recenseri debet; &

pro

pro adeundis altioribus corporis penetralibus, vasisque obstructis blande referandis sibi par forte non habet; dummodo congruo regimine ejus vis nociva infringatur. Opportune exhibentur amara & stomachica; in quorum censum veniunt cortex peruvianus, gentiana, aristolochia rotunda, centaurium minus, tanacetum, chamædrys, chamepitys, epithymum & theriaca. Nec posthaberi debent sudorifica vel antimonialia, quæ solerti manu exhibita nonnullos fausto bearunt eventu. Haud in minori pretio jamdudum fuit aquarum thermalium usus internus vel externus. Porro plurimum ducit quævis corporis exercitatio: nec inutilem opem conferunt fructus; non quidem tempore vigentis vel imminentis paroxysmi; sed plane silente morbo. Pluris habentur indusia e panno tenuissimo, (*flanelle*) conflata. Nonnullos voti compotes vidi, dum utebantur noctu diuque, udonibus laneis vel calceaminibus e pellibus villosis coagmentatis. Aliquid fert auxilii balneum e vinaceis paratum: pluribus podagricis proficuus fuit præceps aquæ uberrimæ lapsus moletrinarum. Nonnullis demum arridet linimentum ex oleo terebenthinæ & spiritu salis confectum vel balsamum sulphuris antimoniacum Hoffmanni, quod ex sale scorriacum reguli antimonii simplicis, superinfuso oleo terebenthinæ & juniperi paratur; & præsertim valet ad tophos præcavendos & discutiendos in senili podagra: ut de generalibus quamvis methodum respicientibus nihil addam.

Alia incunda medendi via *ad materiæ morbosæ metastasim*, quam vocant arthritidem anomalam, *goute remontée* vulgo dictam. Huic infortunio ansam præbere topica narcotica & repercutientia, helluationes, iracundiam, aliaque graviora animi pathemata, &c. jam supra declaravimus. Nulla est viventis corporis pars interna, vel externa, cui hæc devia materia haud infigi queat; unde emergit morborum ilias: sed crebrius impetit cerebrum, pulmones, stomachum, tubumque intestinalem, renes, &c. quibus primarii morbi consortibus ægrotantium res in ancipiti versatur: quare nil non movendum, ut latex arthriticus sanguini remixtus ad artus revocetur. In hunc scopum illico tunditur vena, & præsertim pedis; saphenæ enim sectione hanc deviam materiam pristinam sedem petiisse haud semel experientia novimus: quod sane arguit infidum esse illud præsidium sæviente podagra. Præsentaneam opem ferunt cathartica, quorum ope materia morbosa ad sentinam intestinalem amandatur; quapropter, his rite succedentibus de reditu arthritidis ad artus parum curant clinici; quos præterea non latet alvi fluxum tam sub paroxysmo, quam in diebus intercalaribus, potiori arthriticorum parti proficuum fuisse.

Purgantium vires supplere valent diaphoretica e triplici regno deprompta. Eundem effectum præstant roborantia, tum aromatica, tum amara, nux nempe moscata, zedoaria & cortex peruvianus, quæ congeneribus præcellere videntur. A nonnullis etiam deprædicatur moschus, ubi materia arthritica stomacho insidet. Nonnunquam tamen opportune exhibentur alkool martiale, aliaque innumera medicamina, quæ pro re nata & diversis symptomatibus suam symbolam conferre valent: quibus recensitis nonnunquam egregie obsecundant hypnotica, quæ tamen exulare debent, si mens obnubiletur, & impediatur respirationis organum. Prioribus minime cedunt topica stimulantia, vesicatoria nempe si res urgeat; sinapismi, aliaque id genus vellicantia. Sunt qui solam admovent picem Burgundiam, quæ sæpius blande & sine molestia vesicantium vices explet. Alii pedes in aquam tepidam demergunt vel hos pelle ovis, alteriusve pecudis recens mactatæ, accurate obvolvunt. Haud exiguam laudem merentur frictiones cum pannis asperis celebratæ. Nec posthaberi debent hirudines vasis hæmorrhoidalibus admotæ; quas sæpius mira præstasse memini. Quibus tamen minime proficientibus, nil tutius novi, quam repetitis catharticis inhærere. Pluribus demum prodest decubitus in lecto, bene tecto corpore; ut blanda foveatur diaphoresis, juvante quovis potu calido; nec posthabita diæta tenuissima.

RHEU-

RHEUMATISMUS.

Licet rheumatiſmum ab arthritrde minime disjungant veteres ante Ballonium; & ab una eademque cauſa pendere videantur cognati, vel finitimi hice morbi, ut inquiunt, articulares; rite tamen diſtingui debent, tam ratione partis affectæ, quam reſpectu eventus & curationis. *Rheumatiſmus* in membranas & involucra incumbens facilius evincitur; *arthritis* vero ligamentis inſidens contumacior evadit; ſed unus facillime in alium faceſſit; vel ambo ſimul ſuam in eodem ſubjecto tyrannidem exercent; unde emergit quædam arthritis anomala, quam noſtrates vocant *rheumatiſme gouteux*. Morbus, de quo in præſentiarum, & cujus vehementia raro ultra quatuordecim dies protelatur, adoritur artus, cervicem, dorſum, maxillam, ſcapulas, pectus & abdomen: nunc totam muſculoſam compagem corripit, vel repente peragrat; nunc peculiari parti infigitur, qua relicta, in aliam ſubrepit. *Torticolis*, vulgatiſſimo vel barbaro idiomate, audit hic poſtremus; ſi cervicis muſculos impediat; adeo ut caput velut obſtipum maneat. *Pleuritis ſpuria, fauſſe pleuréſie*, dicitur; ſi pectoris muſculis incumbat. Lumborum muſculis implantatus *lumbago* vocitatur: atque *iſchiadis* titulo innoteſcit; ſi partem cognominem, vel coxam vicinioreſque partes occupet; de quibus ſuo loco. Suſceptum frigus, corpore æſtuante, ædes humidæ vel recens conſtructæ, vita iners & otioſa; helluationes & caſtra veneris; menſes & hæmorrhoides, aliave conſueta ſanguinis profluvia ſufflaminata; eruptiones repulſæ, &c. ſunt totidem *cauſæ* rheumatiſmi. Uſui corticis peruviani diutius protracto indulgentes ad hunc morbum procliviores eſſe autumavit SYDENHAMUS; ſed refragatur experientia.

Dolores rheumatici, arthriticorum inſtar, variis gradibus ſubjiciuntur. Si intenſiores evadant, muſculi ſuis obeundis muniis fiunt impares, vel ægri ab omni motu temperant, ne cruciatus exaſperentur. Frigidus a nonnullis dicitur hic morbus; ſi nullam febrem comitem habeat. Calidus vero audit, ſi febre ſtipetur; quod per tranſennam notare expedit. Ut plurimum tamen *exordium* capit ab *horrore & febre*; nec ante biduum, triduumve dolores emergunt, qui nonnunquam repente in omnes partes irrunt; vel unam duntaxat partem impetunt; ac ſæpius mobiles ex hac in aliam propagantur; adeo ut in eodem paroxyſmo per plures partes divagentur; quod crebro evenire ſub juvenili ætate nemo non novit. Hunc typum etiam præ ſe fert rheumatiſmus arthritidis particeps, qui hinc *arthritis vaga* apud nonnullos audit; in qua pars affecta ſubtumida, rubore, veluti in genuina arthritide, perfunditur. *Febris rheumatica*, qua carent inſultus leviores, nunc mitis, nunc vehemens; continua vel intermittens intra breve tempus coercetur: ſed dolores diutius protrahuntur, ac ſæpius ſublata febre exacerbantur, & non niſi poſt triginta vel quadraginta dies fugantur; imo & ad annos, vel per totum vitæ curriculum protelantur.

Dolores rheumatici, venereorum & ſcorbuticorum inſtar, noctu ingraveſcunt: ut plurimum arthriticis perſtant remiſſiores; ſi excipias lumbaginem forte ferociorem, quæ ideo ab incautis nonnunquam pro nephritide habentur; præſertim ſi quavis alia cauſa, vel fortuito, vomituriant ægri. Notandum tamen haud raro ſociari prædictos affectus; quod ſane minime mirum, ob notam affinitatem inter arthritidem, rheumatiſmum & calculum. Porro ſcire expedit, vetuſtiſſimos dolores rheumaticos ut plurimum foveri a viru venereo vel ſcorbutico; imo & dolores hujuſce commatis ſæpius ſub facie rheumatiſmi pertinaciſſimi deliteſcere, quod alta mente tenere debent inexperti. Poſtremo ad accuratiorem rheumatiſmi *diagnoſim* addere juvat, ſanguinem venæ ſectione eductum cruſta ſubviridi obduci, ceu in pleuritide: ex hac ſimilitudine craſſiſſimus emerſit error, cujus pœnas luerunt innumeri ægrotantes: ſibi enim perſuaſerunt complures, rheumatiſmum morbum eſſe inflammatorium, ſola hinc multiplici venæ ſectione domandum: ac tandiu huicce præpoſteræ methodo inhæſerunt clinici, quandiu invaluit hæc, jam obſoleta, hypotheſis.

Pe-

Periculo plerumque *vacat* rheumatiſmus, ni ab incongrua victus ratione, vel præpoſtera medela, latex morboſus ad cerebrum, pulmones, aliaque viſcera, relicta genuina ſede, irruat; unde ſuboriuntur ſymptomata, quæ veluti in arthritide anomala, haud levem terrorem incutiunt. Univerſali ſudore ſæpius, & nonnunquam eruptionibus cutaneis judicatur: vel lotii, menſium, hæmorrhoidumve profluvium, evacuationem criticam mentitur. *Pertinacior* cenſetur, ſi peculiari cuidam parti deſigatur; ſed raro quid mali portendit. Utriuſque induciæ, vel intermiſſiones morbum curatu faciliorem indicant: ſecus vero evenit, ſi deficiant. Inveteraſcente morbo non ſecus ac arthritide; aridis & decurtatis muſculis flectuntur digiti, & protuberantibus nodis torquentur: imo & oſſa e propria ſede nonnunquam dimoventur, vel ferruminantur: hinc patet, cur artus ſuis exequendis muniis impares evadant; imo & motu plane orbentur; ac nonnulli ægri ad lectum ſe conferre cogantur. Rheumatiſmus demum facilius, ut ſupra inculcavimus, quam arthritis eximitur; etſi enim rheumatiſmus familiarior eſt; frequentius tamen occurrere veteres arthriticos neminem fugit.

Cadavera cultro anatomico ſubjecta exhibent muſculos ita contractos & exſiccatos, ut tendinum ſpeciem referant. Obvia fit materia quædam, nunc gelatinoſa, nunc tophacea, membranis & aponeuroſibus accreta. In conſpectum veniunt oſſa invicem coaleſcentia, vel ferruminata, necnon ex acetabulis repulſa. Cæteras læſiones, de quibus ſupra dum de arthritide, conſulto miſſas facimus. Sedulo tamen animadvertendum, quod tradita, de ſeniori duntaxat rheumatiſmo intelligi debeant: in recenti vero nulla patet læſio; vel labes contracta oculorum aciem fugit; hinc fit, ut nil notatu dignum præbeant artus, etiam accuratiori examini ſubjecti.

Curatio vigente febre a ſanguinis miſſione eſt auſpicanda; præſertim ubi partes affectæ tenſione & rubore afficiuntur; imo & iteranda quandoque venit, inter tres quatuorve dies a prima invaſione; ultra quos ab illa abſtinere expedit, ne morbus diutius proteletur: nec ultra modum fundatur ſanguis intra conſtitutos limites; ter, quaterve ad ſummum venam tundere ſufficiat; quidquid obganniant, qui tandiu cruorem eſſe mittendum, quandiu perſtat febris, & ſæviunt dolores, perperam volunt; hiſce rationibus ducti, quod ſanguis eductus morbum inflammatorium prodat: quod merum eſſe commentum jam ſupra declaravimus. Narrat MARQUETUS Auctor candidæ fidei, ſe diu, inſtar aliorum, creberrimas venæ ſectiones adverſus rheumatiſmum adhibuiſſe: ſed experientia noviſſe huncce morbum hac methodo pertractatum ad menſes & annos prorogari: ideo melius conſultum ad cathartica & ſudorifica ſe contuliſſe; quorum ſubſidio, miſſis numeroſis venæ ſectionibus, morbum antehac contumaciſſimum intra paucos dies profligabat; quod ſane obſervatu dignum occurrit.

Nonnunquam expedit a prima celebrata venæ ſectione, *vomitum* ciere; ut ſaburra nidulans in ſtomacho brevi per viam regiam foras eliminetur. Cathartica, haud urgente neceſſitate, ad finem morbi ſunt ableganda: ſi excipias blandiora laxantia, quæ, non ſecus ac enemata, lubricam alvum ſervant, quod maximi in hocce morbo eſſe momenti, multiplici obſervatione ſatis ſuperque conſtitit. Fauſte uſurpantur, perſiſtente paroxyſmo, diluentia, refrigerantia & temperantia; ſerum nempe lactis; ptiſanæ vel apozemata nitroſa; pulvis temperans, cremor tartari, &c. nec minus proſunt diuretica, depurantia, & diaphoretica mitiora: nec niſi ſumma cautela, vigente præſertim febre, validiora in uſum trahi debent, ne irritentur crabrones; vel febris rheumatica in inflammatoriam faceſſat; quod ſæpius eveniſſe incondito terebenthinæ, antimonii diaphoretici, ſpiritus cornu cervi & viperarum, aliorumque ejuſdem commatis ſtimulantium uſu, meminerunt Auctores; quibus experientia edocti lubenter aſſentimur.

Quod ad *hypnotica* attinet; haud magis congrua videntur in rheumatiſmo, quam in arthritide; etſi dolores compeſcere & ægros ſolari queunt: naturæ enim vires excretionem criticam nonnunquam molientis infringere, & hinc morbum protrahere valent; imo & quandoque materiæ morboſæ

boſæ ad cerebrum, vel ad pulmones, impetui, haud citra maximum ægrorum periculum, favent. Nihilominus camphora, inter ſedantia locum ſibi vindicans, tuto exhiberi poteſt; nec immerito multis laudibus effertur apud prioris notæ clinicos; cum præter vim anodynam, diaphoreſim movere, vireſque organorum refocillare queat. Poſtremo proficue nonnunquam adhibentur lapilli cancrorum, cornu cervi præparatum, aliaque abſorbentia, quæ pro nonnullis ſymptomatibus, quibus ſtipantur paroxyſmi, in aliorum medicaminum ſubſidium veniunt. Sed alia expoſtulat præſidia *rheumatiſmus chronicus*, continuus vel intermittens, inter quæ primatum ducunt demulcentia, roborantia, aperientia, incidentia & ſudorifica; lacticinia nempe, rheum, cortex peruvianus, baccæ juniperi & aqua picea; aquæ minerales, ſapo & mercurius dulcis: ac demum decoctum guajaci lacte temperatum, juſcula viperina, &c. quæ totidem etiam prophylactica audiunt. De radice bardanæ, quam nonnulli tanquam ſpecificam deprædicant, ulterius inquirendum. Plura demum remedia in arthritide uſurpari ſolita, proficua etiam eſſe in curatione rheumatiſmi nemo ambigit.

Suam etiam opem præſtant medicamina externa, in quorum cenſum veniunt balnea frigida, quæ ad fugandum recentem rheumatiſmum tanquam efficaciſſima a nonnullis deprædicantur: haud omnibus tamen profuiſſe experientia freti aſſerere minime dubitamus: nec deſunt qui haud citra periculum illa adhiberi poſſe crediderint. Balnea vero tepida, rite depletis vaſis, egregiam, nemine ferme diſcrepante, opem conferunt. Inter topica uſitatiora recenſeri debent axungia humana & urſina; medulla cervina; unguentum de althæa; oleum laurinum, lumbricorum & chamæmeli; cataplaſma e mica panis, &c. nec improbantur animalia viventia ſecta, parti dolenti admota; veſicæ lacte tepido ſemi-turgidæ; lagenæ ſtanneæ fervida aqua repletæ, aquæ ferventis vapor quavis arte ad partem læſam ductus; furfur calidum, &c. ubi vero furunt dolores, ad balſamum tranquillans, cæteraque narcotica externa confugere licet; ſed caute cum illis mercari expedit. Si demum partis intumeſcentia & rubor venæ ſectionibus minime obtemperent; hirudines admove; riſolent parti affectæ, quæ materiam forte morboſam una cum ſanguine ſugunt. Hanc etiam allicere valent veſicatoria, quibus nil efficacius & expeditius experiri creditur.

Quod attinet ad *rheumatiſmi chronici* medicationem externam; geſtantur induſia e panno molliuſculo (*flanelle*) conflata: ſummis laudibus extolluntur, nec immerito, ſudatoria: fauſte adhibentur balnea aquarum thermalium, Plumberianarum nempe, Vicienſium, Borbonenſium, Arcimbaldicarum, Bellilucanarum, Dinienſium, Aquiſgranenſium, &c. immerguntur ægri in vinacea: admovetur lutum aquarum mineralium: celebrantur fricta cum linteis & pannis calidis. Nec ſilentio ſunt prætermittenda cauteria & ſetacea, quæ præclaros ſæpius effectus edunt. Si demum morbus parti quidam infigatur, *nullum* forte præſentius remedium novi quam motum voluntarium partis affectæ; quo ſane quidem exaſperantur dolores; ſed contractione muſculari attritus latex morboſus brevi ut plurimum difflatur; dummodo non adoleverit morbus. Cervicis muſculis hærens, ſolo calore ab admota lana ſuccida, aliiſque modis impetrato; aut ſuffitu ex olibano, karabe, &c. excitato, facillime miteſcit & fugatur. Coronidis loco addere lubet quod, ubi dolores rheumatici a cohibito quocumque profluvio, vel a repulſa quavis eruptione originem ducunt; omni ope moliendum ut revocentur ſolitæ evacuationes, priſtinæque efflo-reſcentiæ; quæ recurrentes omnem curam abſolvere queunt: quod alta mente tenere debent, qui perfunctorie evidentes morborum cauſas perſcrutantur; & intempeſtivis remediis commentitium morbi fomitem impugnando laterem plerumque lavant.

HYPOCHONDRIASIS.

SAtis ſuperque notum eſt, huncce affectum ſpaſmodico-flatulentum nomen mutuari ab hypochondriis, quæ pro genuina *morbi ſede* habentur; & præſertim incuſari venarum propagines, quæ reducem

cem ſanguinem ex omnibus viſceribus chylificationi dicatis excipientes, in venam portæ hepati proſpicientem coeunt; ut de melancholia humorali, vel cacochymia atrabilaria, de qua apud veteres, ſileamus; quorum opiniones de humore melancholico & atrabilario, jam obſoletas nuperrime reſtauravit clar. Lorry, theoriæ & praxeos diligentiſſimus excultor. Quidquid ſit de hiſce dubiis; apud omnes in confeſſo manet in ſpaſmodicorum agmine recipi huncce morbum, qui non ſolum, ſtupenda nervorum mobilitate, vel irritabilitate, totum corpus ſubagitat; ſed etiam menti minime parcit: unde fit, ut clinici qui auram popularem captant, & fatuos ludificare minime renuunt, a proprio nomine indecoro & probroſo temperent, ac latiſſimo, inſulſoque vaporum (*les vapeurs*) titulo hypochondriaſim, ceu cognatum morbum hyſtericum, deſignent. Frequens ingruit *hypochondriaſis* a vigeſimo ætatis anno ad quinquageſimum, ultra quem in ſcorbutum vel arthritidem faceſſere videtur. Hypochondriaci ingenio ut plurimum præditi & meditabundi, vix a rebus ſeriis dimoveri patiuntur, mœrore ſuffuſi, a ſiniſtro nuntio toti contremiſcunt, atque hominum, vel familiarium, congreſſum fugiunt: ſui anxii, metu imminentis gravioris mali torquentur, vel perenni mortis formidine premuntur. A parentibus in prolem nonnunquam propagatur hoc ægritudinis genus: ſed *natales* plerumque ducit a rei familiaris anguſtia, a gravibus curis, variiſque infortuniis; a ſtudio intenſiori, vel labore improbo; adeo ut pro miſeris litteratorum ſtipendiis habeatur: ab exhauſtis tum mentis, tum corporis viribus. Nec parcit illis, qui vitam trahunt curarum expertem, cum hunc morbum etiam accerſant vita deſes & otioſa, ingluvies, ſolutaque vivendi norma. Contrahitur ab emeticorum, catharticorum & hypnoticorum uſu immodico: in nonnullis fovetur a materia devia arthritica: progerminatur demum a coercito ſemine, a ſuppreſſa gonorrhœa, a cohibito alvi fluxu; ab intempeſtiva febrium intermittentium ſufflamination, &c.

Flatulentia qua præſertim afficitur ventriculus, cum œſophago; qua tument hypochondria, totumque inflatur abdomen cum inteſtinorum rugitu; atque erumpentes ructus & crepitus, cum alvo adſtricta, primam affectionis hypochondriacæ ſuſpicionem movent. Exſurgit in nonnullis, crebro ſpuentibus, vomitus materiarum mucoſarum, fuſcarum & fœtidarum, acrium & acidarum; quibus poſtremis, non ſecus ac ructibus ejuſdem indolis, læduntur dentes. Plures ab hac colluvie acida, æſtu viſcerum abdominalium, vel fame quadam ſpuria laborant, quam horis inſolitis noctu diuque compeſcere coguntur: alii anorexia vel cibi faſtidio conflictantur. Pulſatio in abdomine, quæ ad cæliacam referri ſolet, tactu in quibuſdam percipitur. De doloribus circa limbum coſtarum ſpuriarum omnes fere conqueruntur; imo quandoque de interaneorum cruciatibus, paroxyſmorum more recurrentibus; qui colicam inteſtinalem, hepaticam, vel nephriticam, ſitu & ſævitie æmulantur. Complures ægros angunt anxietates cum lipothymiæ metu. Urinæ ſubalbidæ crebrius quam par eſt minguntur, nec raro cum ſtranguria, etſi copioſiores excerni ſolitæ: alias fuſcæ colorem cerviſiæ referunt; imo & nigræ inſtar atramenti quandoque obſervantur in lienoſis, qui melius ab hac excretione ſe habent: plerique demum de ventre ſegniori conqueruntur. Pectus conſtrictione quadam ſpaſmodica arctatur; nec raro urget tuſſis ſicca. Cor palpitatione & tremore tenetur. Pulſus parvus & tardus, intermittens & tremulus obſervatur; nonnunquam ſuccedentibus animi deliquiis. Caput dolore & torpore gravatur; ac cum vertigine luctatur: faciei & capitis muſculi nonnunquam convelluntur: ſæpius accedente aurium tinnitu. Somnus eſt moleſtiſſimus; vel plane deficit: nec deſunt, qui ad diluculum plerumque inſomnes, lecto ſe committere renuant; vel ægre haud exutis veſtibus illum petant. Mens ſæpius obnubilatur; imo & perturbatur; adeo ut ægri nunc triſtitia obruti illacryment; querelas ingeminent, & ſe mori perpetuo exclament: alias ad hilaritatem compoſiti riſu illa diſſolvant. Nunc dolorum impatientes, & impavidi mortem aucupant; nunc meticuloſi, & de obnubilato ſenſorio communi queruli, ab im-

imminente, ut ipsis videtur, ultimo fato, perperam torquentur.

Traditis signis accedunt torpor variarum partium, convulsiones, tremores, musculorum palpitationes & subsultus, artuum strepitus; singultus, oscitationes & pandiculationes. Auditus ab aurium tinnitu, vel ab strepitu quasi cujusdam rivuli, obtunditur. Defœdantur nitidus faciei color, & oculorum splendor; præsertim in lienosis: pluresque ptyalismo laborant. Pharynx & œsophagus ita spasmodice quandoque afficiuntur, ut difficilior evadat deglutitio, vel plane impediatur. Mordacis acidi sensus in stomacho famem sæpius importunam, & insolitam, concitat. Alia annotantur symptomata ab hepate læso; cum mirus sit hujusce visceris consensus cum sensorio communi; & vice versa. Hinc intelligitur cur melancholia hepar sensim labefactet; & hypochondriasis cerebrum afficiat. Nonnulli in febrem erraticam incidunt; atque de frigore, æstuque alternatim exsurgentibus conqueruntur; non secus ac de variis doloribus, qui in diversas partes musculosas propagantur; & audiunt vernacule *points de cote*, si ad pectus externum pertingant. Plures etiam torquet lumbago rheumatica, quæ ad femora protenditur. Signorum vel symptomatum agmen claudunt hæmorrhoides, nunc siccæ, nunc fluentes; quæ haud raro largum cruoris proventum, quo ægri sensim emaciantur, elabi sinunt. Præfatis addere juvat, huncce morbum quandoque recrudescere; vel sub accessionum procellosarum conspectu caput exerere. Proinde ratione variorum morborum quibus sociatur, numerosissima emergunt symptomata, quæ perperam ab Auctoribus hypochondriasi adscribuntur; adeo ut morborum ilias videatur hic status. Hinc intelligitur, quam arduum sit, sub læsione totius nervorum syntaxeos, propria hujusce ægritudinis signa & phænomena ab spuriis extricare.

Hypochondriasis, non secus ac hysteris, cum inter utrumque morbum sit arcta affinitas, intra certos limites subsistens, tædio potius, quam dolore molesta, *falsum* ægrotantibus *terrorem* incutere solet. Difficile, etsi recens, curatur; ubi vero altas egit radices, vel materiæ arthriticæ sociatur, nulla fere arte evinci potest: adeo ut ejus diuturnitati æquo animo ferendæ impares sint, tum ægrotantes, tum clinici. Nec tamen periculo vacat, cum sæpe sæpius judicium perturbet; vel in scorbutum, cachexiam, hydropem, asthma, febrem lentam & marasmum abeat; vel tumores cancrosos, gangrænam, aliamve stragem post se trahat; præsertim si prædominium obtineat atrabilis: dum scilicet ejicitur materia quædam atra & picea; fœtens, & atramento quasi simillima, quæ diluta viresci; dum urinæ simili colore tinctæ excernuntur. Quibusdam profuisse fluxum hæmorrhoidalem sponte erumpentem, vel insultum arthriticum, variis constat observationibus: nec minori emolumento quandoque fuisse vomitum sanguinis, alias calamitosum, apud omnes prioris subsellii Medicos ratum manet. Liquet porro hypochondriacos a morbis epidemicis, vel ipsamet peste immunes fuisse: sed ipsis minime bene vertit hæc fortuna; cum ex animi acerbitate & perpetua mortis formidine miseram trahant vitam, qua tandiu auguntur, quandiu mente constant.

In *evisceratis* hoc morbo *extinctis* reperiuntur vasa in venam portæ abeuntia, infarcta & turgida; illam me vidisse memini in hunc modum dilatatam & ampliatam, ut genuini intestini molem, faciemque assequeretur. Annotantur præterea obstructiones, scirrhi, purulentia, putredo & sphacelus, in hepate, liene, pancreate, omento, mesenterio, & renibus succenturiatis. Nonnunquam occurrunt pseudo-lapides in vesicula fellea. Lien nunc turgidus mole amplissimus, adnatisque appendicibus deformis observatur: nunc durus & lapidescens vel ita contractus deprehenditur, ut vix ad unciam unam pondere accedat; imo & traditur illum plane defecisse. Circa prædictum viscus notare expedit nullum esse ambigendi locum, quin in plerisque hypochondriacis labefactetur; sed ratum manet, apud omnes naturæ scrutatores, haud raro illæsum & inculpatum reperiri; licet alia organa diversimode contaminata se præbeant; quod sane quidem arguit hoc viscus immerito pro morbi fomite, vel sentina, ut inquiunt veteres, humoris melancholici haberi. Py-

lo-

lorus, ut eo redeamus unde digreſſi ſumus, obſtructus, ſcirrhoſus & cartilagineus apparet. Stomachus, plerumque inflatus, ſaburra ſubnigricante & fœtida ſcatet. Colon in quibuſdam ultra modum dilatatur; ſimilem extenſionem rarius patiuntur cætera inteſtina. Pancreas infarctum, purulentum, vel calculoſum occurrit. Paſſim demum ſe offerunt in abdomine tumores anomali, præcipuam in meſenterio ſedem habentes. Pectus apertum exhibet pulmones corrugatos, infarctos, vix a vicinioribus citra lacerationem avellendos. Cor contractum, aridum, pericardio accretum; ejus ventriculos nunc atro & concreto cruore turgidos; nunc ſeroſo & fœtido latice ſcatentes; ut de valvulis oſſeis & commentitiis polypis ſileamus. Deteguntur abſceſſus in auriculis: oculis ſubjiciuntur aneuriſmata in aorta, ejuſque propaginibus, quæ nonnunquam oſſeæ deprehenduntur: pericardium aqua turgens, &c. Reſerato capite, patent vaſa cerebrum perreptantia, atro & craſſo ſanguine repleta, gelatina obducta; variæ defœdationes purulentæ & putridæ; ſtagnationes ſeroſæ, ſanioſæ, mucoſæ. Tumores ſcirrhoſi plexui choroideo adnati; meninges oſſeæ; venæ varicoſæ, &c. Colluviem inſuper ſeroſam in varios corporis receſſus effuſam; hydatides acervatim aggeſtas; aliaque vitia ad morbos quos poſt ſe trahit hypochondriaſis pertinentia conſulto prætermittimus.

In immenſum creſceret pagina, & nauſeoſum emergeret opus, ſi omnia remedia ab Scriptorum choro tradita huc attexerem; qui ſcilicet nil ferme ex inexhauſtis materiæ fontibus intactum reliquerunt: quare miſſis futilibus, ſelectiora duntaxat & magis comprobata recenſebimus. Scire expedit in primo limine præcipuum *curationis* momentum in eo verſari, ut diluatur ſanguis craſſior, ægreque circuitum ſuum peragens; ut rigidioribus vaſis, ac plus æquo vibratilibus nervis flexilitas concilietur; ut demum lymphata mens ad hilaritatem componatur. Venæ ſectio, ni illam urgentiora ſuadeant, fruſtranea vel nociva cenſeri debet; præter quam quod plures hypochondriaci quamvis ſanguinis detractionem horrent. Vomitoria & cathartica ſæpius conferunt; ſed caute & opportune exhiberi debent; præſertim rheum & polypodium, quæ alvum antea ſiccam ulterius reſtringere ſolent; quod ſane neminem clinicum latet; præterea ventriculum nonnunquam laceſſunt, flatuſque mordaces gignunt cathartica: unde fit, ut plurium ægrorum hæc ambientium votis obtemperare minime liceat. Haud vetantur tamen nonnulla laxantia, pruna ſcilicet Damaſcena, ſal Epſonienſe vel Sedlicenſe in largo aquæ potu ſolutum; dilutum caſſiæ, aliaque conſimilia. Nec poſthabenda ſunt enemata lubricantia & emollientia, tam ſub paroxyſmo quam in diebus intercalaribus, quorum auxilio alvus blande ſolvitur. Plurimum deprædicantur, nec immerito, diluentia & temperantia, quorum uſitatiora depromuntur e ſero lactis, & cichoraceis; capillaribus herbis, fumaria, naſturtio aquatico; e cancris fluviatilibus, &c. Omne porro fert punctum lac aquis Sedlicenſibus dilutum, vel pro omni alimonia exhibitum.

Juvant martialia, dummodo refracta doſi præcipiantur, atque largo potu & obambulatione obſecundentur. Suas laudes merentur *aperientia* mitiora; uti radices graminis, aſparagi, &c. quæ ſcilicet blande & ſine moleſtia vaſa obſtructa reſerare valent; unde abdicanda veniunt baccæ alkekengi, millepedes, antimonialia & mercurialia. Nonnullis proſunt amara: nec raro proficue adhibetur cortex peruvianus: ſed aloe, etſi uſu recepta, paucis congruit. Juvamen præſtant magneſia, cæteraque abſorbentia; præcipue ſi catharticis miſceantur. Suppetias ferunt ſtomachica; radix nempe helenii, caſcarilla, catechu, extractum juniperi, aqua florum aurantiorum, &c. Inducias impertiuntur antiſpaſmodica, radices ſcilicet valerianæ & pæoniæ, folia meliſſæ & menthæ, flores tiliæ & gallii lutei; pulvis de gutteta, & id genus alia, quæ vi quadam ſedativa, debiliori ſane, ſed innocua pollent. Aliter ſe res habet circa uſum narcoticorum, a nonnullis ægrotantibus obnixe efflagitatorum, quæ capiti infeſta haud raro obſervantur, vel alvum ſegniorem reddunt: ſed horum vires, nullo diſcrimine, ſupplere valet camphora, quam pluribus optime ceſſiſſe multiplici experientia novi. Poſtremo

mo inter exquisitiora præsidia recenseri debent aquæ minerales, Vallenses nempe, Montferinenses, Passienses, Forgienses, Cranenses, Spadanæ, Sedlicenses, Merienses, Baregienses, Amandinæ, &c. Plures fausto beavit eventu usus diuturnus balneorum frigidorum, præsertim in fluminibus: nec inutilia censeri debent balnea domestica tepida; imo & irrigationes capitis cum aquis thermalibus, vigentibus faciei & cervicis motibus spasmodicis. De commentitiis hellebori viribus nil addimus, cum de his satis superque in materia medica.

Alia ineunda est medendi via dum urget *paroxysmus*: danda scilicet est opera, ut primo compescatur efferus spirituum animalium motus. Varia externa in hunc scopum præscribi solent, acetum puta acerrimum, ruta, castoreum, assa fœtida, aqua melissæ composita, spiritus salis ammoniaci, oleum succini, sal anglicanum, aliaque volatilia, quæ naribus admota plurimum conferunt. Simili modo adhibetur fumus chartarum, plumarum, veterum coriorum, &c. Insultum nonnunquam fugat crurum immersio in aquam tepidam: horum fructus eumdem effectum edere valet. Quibus nil proficientibus ad efficaciora deveniendum; ad interna scilicet medicamina: probatiora sunt camphora, aqua florum aurantiorum, tinctura castorei, guttæ anglicanæ, spiritus volatilis salis ammoniaci, vel aqua dicta *de Luce*, quæ temperatior proxime ad illum accedit; salia volatilia, aliaque bene multa in affectu hysterico, hypochondriasi cognato, usurpari solent.

Hæc sunt remedia, quæ a celebrioribus Practicis in usum quotidianum vocantur; inter alia innumera quibus turgent libri; & de quorum selectu anxii hærent clinici, vel solertiores: sed hic non est subticendum illa raro profutura, ut plurimum vitio verti; nec latet qui extra vulgus sapiunt, quod hicce morbus, quem haud insulse vocant flagellum Medicorum, in plerisque haud expugnari se patiatur; imo ab incondita remediorum farragine sæpius exasperari. Tradunt enim candidæ fidei scriptores, ac experientia triginta annorum nobis innotuit, innumeros hypochondriacos tandiu cum morte colluctasse, quandiu, consiliis medicis religiose parentes, medicaminibus cujuscumque sortis indulserant; ac melius se habuisse, imo & nonnullos sanitati restitutos fuisse, ubi pertæsi longioris curæ, omnibus vale dixerunt; vel simplicissimum extremis labris admovere detrectarunt: quæ, pace secus sentientium, silentio premere nequivimus. Quapropter nil forte efficacius reperitur adversus hunc morbum, tædio potius, quam dolore molestum, congruo regimine, potu aqueo larga manu exhibito, jucundis exercitationibus, tum animi, tum corporis. Danda præsertim est opera, ut ad meliorem spem erecti ægrotantes omnem mœrorem excutiant, sollicitudines angue pejus fugiant: omnem uno verbo curationem naturæ committant; vel Medicos, juxta Montani consilium, & medicamina fugiant: sed nescio quo fato, (num sit morbi symptoma?) omnem spem in umbra medicinæ reponunt; adeo ut non solum cuivis obvio medico se credant; sed etiam Barbitonsoribus, & Circulatoribus confidunt; e quorum præceptis ne lato ungue discedunt, quod haud citra cordolium millies mihi notasse contigit.

HYDROPS.

PAlam se prodit *colluvies serosa* per totum corporis habitum diffusa. In propatulum venit ascites: tactu percipitur tumor aqueus & cysticus peritonæo, ovariis, &c. insidens, & ad certam molem evectus: sed ægre *innotescit* hydrops pectoris & pericardii; atque in obscuris latet aquæ collectio in cerebro & medulla spinali. De hydrope duntaxat generali, vel leucophlegmatia hic agendum nobis incumbit, quippe de aliis speciebus, pro instituti ratione alibi differemus. Colluviei serosæ obnoxii censentur, qui vitam umbratilem ducunt; & qui loca paludosa habitant: ad hanc proclives existimantur helluones & potatores: familiaris est sequiori sexui; nec parcit infantibus, uti dicemus suo loco. Hanc post se trahunt febris ardens & maligna, variolæ & morbilli, aliique morbi acuti: illam comitem habent obstructiones, cachexia, icterus, scorbutus, arthritis, febris quartana, cæterique affectus chronici. Insuper presso pede

pede sequitur colluvies serosa, larga sanguinis profluvia, tum spontanea, tum arte parata: huc coincidit menstruatio ultra solitum periodi naturalis terminum producta. Eumdem effectum exerunt diuturniores alvi fluxus, aliæve evacuationes immodicæ: imo & harum jam consuetarum intempestiva sufflaminatio idem infortunium minatur. Ortum demum trahit hydrops a præmatura febrium intermittentium curatione; a repulsis efflorescentiis vel eruptionibus cutaneis; ab arefactis ulceribus & fistulis; ab ischuria & dysuria; ut nil addam de tumoribus, scirrhis, abscessibus, exulceratione & putredine internis, quæ vulgatissimum hujusce morbi fomitem præbent.

Anasarca vel *leucophlegmatia* a prava humorum indole orta, cachexiam, uti solemne est in singulis ferme colluviei serosæ speciebus, excipit. Ineunte morbo & serotinis horis malleolas circumambit œdema, quod mane obliteratur. Respiratio haud libere perficitur, præsertim inter ascendendum. Nonnulli sub hisce primis temporibus de siti & tussicula conqueruntur. *Procedente morbo* tumor œdematosus totos pedes obvolvit & sensim ad crura diffunditur; dein ad coxas, cæteraque partes, quasi ex traduce propagatur. Nec pro certo hydropis signo haberi debet *œdema crurum*, hoc enim incurrunt longioribus equitationibus fracti; nec non diutius quam par est pedibus stantes. Familiaris est hæc intumescentia in ætate provecta: sæpius obtingit chloroticis & utero gerentibus; atque in hisce casibus nil mali portendit. Nec tamen semper ab artuum inferiorum œdemate exordium capit anasarca: si enim ab ascite vel quavis labe viscerum scaturiginem mutuetur; abdomen externum, lumbos, pectoris ambitum, faciem & brachia nonnunquam invadit œdema; priusquam crura & pedes adoriatur. Scrotum in utroque casu in immensam molem sæpius assurgit; similique modo afficitur penis, cujus præputium in hunc modum sæpius tumet, ut liber mictus præpediatur. *Consistente morbo* urinæ minori copia fluunt; sedimentum lateritium deponunt, præsertim ubi afficitur hepar; vel quævis stagnatio in abdomine delitescit. Sudor tunc temporis vel plane deficit, vel parciori proventu erumpit.

Facile evincitur leucophlegmatia a nimio sanguinis profluvio, aliave causa fugaci, natales habens; sed contumacior censetur ubi a suppressa quacumque solita evacuatione, vel regressis eruptionibus cutaneis ortum ducit. Curatu facilis evadit, si asthmatis, febris acutæ vel intermittentis sit soboles: sed periculosæ res est aleæ, si ab affectu chronico & præsertim a labefactatis visceribus oriatur; etsi solitis præsidiis obtemperare videtur; quandoquidem serius ocyus recurrere solet. Haud levis curationis spes eluceſcit in juventute, vel ætate vegeta: secus evenit in senio. Insuper exitium portendit hydrops, si lingua sit arida, tussis crebra; & respiratio ita impedita ut urgeat suffocationis periculum; si pulsus sit debilis & vires deficiant; si demum lotium & sudores a naturali norma plus æquo recedant. Nil metuendum de alvi fluxu circa prima morbi tempora: sed aliter se res habet, morbo jam senescente; præsertim si nullas inducias concedat; cum non impediat quominus serosa colluvies circa abdominis, pectorisve labefactata viscera effundatur. Postremo periculi, uti jam innuimus, expers censetur crurum tumor œdematosus, casu obtingens: haud ominosus audit in convalescentibus, cum a resarcitis viribus sponte evanescat. Nec quidpiam mali portendit facies subtumida in morbis acutis, quæ sæpius inexpertis inanem metum incutit.

Præter varias diluvies internas quæ passim occurrunt abscrutatione *hoc morbo denatorum;* in apricum veniunt viscera colore nativo orbata, obstructa, scirrhosa, arida, pus recondentia, putrida, &c. Deteguntur tumores cystici & vesiculares, multiformes, diversæque molis; variis partibus accreti. Reperiuntur in *abdomine* tubercula scirrosa, vasis hepaticis & splenicis adnata; venæ atro & quasi adusto cruore turgidæ, in quibus quandoque delitescunt concretiones tophaceæ. Annotatur hepar nunc contractum, nunc mole amplissimum; decolor, albicans vel axangue; nigrum, plumbeum, quasi torrefactum, variis maculis signatum; superficie inæquali, granulosa, tuberculis, hydatidibusque exasperata; scirrho-

rhoſum, aridum, lapidis inſtar durum, putridum; abſceſſus, ſteatomata, hydatidesque acervatim aggeſtas recondens, &c. Veſicula fellea nonnunquam inanis obſervatur: in pleriſque bile atro-viridi turget; vel repletur in nonnullis latice limpido, lacteo, ſaporiſque experte; concretionibus biliosis, &c. Ante oculos verſatur lien, nunc exiliſſimus, nunc mole portentoſus; putredine ita confectus, ut inſtar pultis contectatus diffluat; ſcirrhoſus, turberculiſque nonnihil lapideſcentibus refertus. Obvium fit epiploon nunc craſſiſſimum & ſcirrhoſum, tuberculoſum, vel colluviem colligens, nunc emaciatum vel putredine abſumptum. Conſpiciuntur inteſtina phlegmonodea, ſcirrhoſa, ulceroſa & ſiderata, invicemque coeuntia. Eadem infortunia ſubeunt meſenterium, renes, uterus & ovaria. Alia demum memorabilia exhibet imus venter; tumores nempe anomalos, purulentia vel putredine tactos; vertebris carie exeſis accretos; hydatides diverſæ molis; ſarcoſes ex hepate, pancreate, alterove viſcere aſſurgentes, &c.

Reſerato pectore, patent pulmones œdematoſi vel inſufflati, infarcti & inflammati, cruſta obducti, lapillis ſcatentes, tubercula vel abſceſſus recondentes, pleuræ agglutinati, tabo vel putredine peſſumdati, &c. Cor nonnunquam exiguum; alias mole ſtupendum deprehenditur; in pleriſque vacuum reperitur; in aliis cruore ſcatet, concretiones, ut inquiunt, polypoſas continet. Valvulæ utriuſque thalami arteriales cartilaginis, oſſis, lapidiſve duritiem, in quibuſdam, aſſequuntur. Cor nonnunquam ulcere eroſum conſpicitur; ſed rarius notatur abſceſſus in cordis & auricularum ambitu: pericardium vero ingentem aquæ copiam, ſerumque fœtidum coercens, vel plane ſiccum, imo & cordi auriculiſque agglutinatum obſervatur. Se demum vidiſſe, tam in leucophlegmatia, quam in pectoris & abdominis hydrope diſruptum ductum thoraticum, nonnulli tradunt Auctores; quod nuſquam notaſſe memini: De capite, quod nil ultra productum morboſum exhibet, parum curarunt Anatomico-Practici: in hoc tamen, vel perfunctorie luſtrato ſæpius reperiuntur purulentiæ & putredines, tam in ipſo cerebro, quam in ejus involucris; tumentia plexus choroidis vaſcula, varicoſa & hydatidibus intermixta: cæterum deteguntur ſtagnationes ſeroſæ, ſanioſæ & fœtidæ in ſingulis cerebri receſſibus; concretiones lapideæ; meningum coalitus, &c.

A venæ ſectione auſpicari licet *curationem*, ſi hæmorrhoides, aliave conſueta ſanguinis profluvia ſufflaminentur: nec ineſficax cenſetur, ineunte morbo, ſub ætate juvenili & vegeta: alias haud citra periculum celebrari poſſe crediderim. Inducias ſane fert phlebotomia, urgente ſpirandi difficultate; ſed morbus, annuentibus primi ſubſelii clinicis, dein exaſperatur, contumaciorque evadit. Subticendum tamen non eſt haud deeſſe nonnulla exempla curationum a repetitis venæ ſectionibus, vel ſpontaneis hæmorrhagiis peractarum; ſed ab hoc inopportuno præſidio fatum in pluribus accelerari, ſatis ſuperque etiam notum eſt. *Vomitorium* ſub primis morbi incunabulis fauſte uſurpatur; nonnullam opem etiam præſtare valet, illo jam adoleſcente, dummodo vires ferant: imo & liquet ex accurate obſervatis, multos repetitis emeticis, vel ſpontaneis vomitionibus ſanitati reſtitutos fuiſſe. Alias ſummam noxam inferre poteſt; conſtat enim variis hiſtoriis nonnullos hydropicos animam inter vomendum exhalaſſe. Inter haſce anguſtias ab omnibus rite perſpectis & trutinatis, curandi judicium dirigitur. Pluris habentur in foro medico *cathartica* & præcipue *hydragoga* per totum morbi curriculum exhibita; quibus nidulantes latices e parietibus inteſtinorum elici queunt: inter uſitatiora recenſentur rheum, jalapium, radix ireos & cortex ſambuci; ſuccus foliorum ejuſdem arboris cum lacte; gummi gutta, elaterium, diacrydium, ſal polychreſtum, aquila alba, ſyrupus de rhamno cathartico; aqua vitæ germanica, &c. nec dubitare licet, quin plures horumce medicaminum præſidio ex orci faucibus erepti fuerint; raro tamen proficiunt, ſi morbus jam altas egerit radices, & adſint ſtagnationes in pectore vel abdomine. Sub hiſce dubiis, multiplici experientia de hac re inſtructi aſſerere minime dubitamus, periculoſa fore hæc remedia, ubi inter horum uſum nullæ impetrantur inducæ: tum his

ſuper-

supersedere consultius visum fuit, ne hoc intempestivo stimulo intestina phlogosi vel gangræna corripiantur; quod pluries evenisse sexcentis constat historiis.

Suas laudes merentur *hepatica* vel *aperientia*, quæ sanguinis dyscrasiam emendare, vasa obstructa reserare, & renes emungere queunt. Sed si morbus certum gradum assequatur; inertia ut plurimum deprehenduntur hæc medicamina; quorum probatiora sunt lingua cervina & herbæ capillares, plantæ cichoraceæ, fumaria, agrimonia & pimpinella; radices apii & asparagi sylvestrium, fœniculi, rubiæ tinctorum, eryngii, bruscі, anonidis, &c. *Diuretica* vero, nemine ferme discrepante, cæteris palmam præripiunt: in hunc censum veniunt radices raphani, bryoniæ & scillæ, fructus alkekengi, nitrum, salia lixivialia, vel ipsummet lixivium e cineribus genistæ, absinthii, juniperi & sarmentorum paratum; arcanum duplicatum, terra foliata tartari; vinum vel oxymel scilliticum, aselli, terebinthina, &c. Nonnullis optime cessit pulvis bufonum ad scrupulum unum & ultra in vino albo exhibitus. Nec reformidandus, sub casu urgentiori, pulvis ipsarummet cantharidum a grani quarta parte ad granum unum vel alterum; quo, si nil obstet, copiosa urina prolicitur: constat enim plures ab orco revocasse hoc remedium, a circumforaneo quodam venditatum; ideo neminem esse reor, qui imminente interitu, omnibusque frustra tentatis, illud experiri recusset. Plures, penes quos sit fides, narrant se observasse feliciores successus ab usu sudorificorum. Postremo traditur spontaneum ptyalismum nonnullis proficuum fuisse; sed num hæc evacuatio arte promota eamdem præstitisset opem, dubitare licet.

E præhabitis colligere juvat cum grano salis admittendas esse hasce diversas *curandi methodos*. Variis quidem periclitationibus de hac re edocti, candide declaramus nullos vidisse ægros hydropicos sudorificorum internorum ope curatos; paucos vero catharticorum præsidio; sed bene multos opportuno diureticorum usu: postremorum vires æquant & forte superant *roborantia*, amara nempe, stomachica, & martialia; quorum selectiora audiunt folia absinthii & centaurii minoris; radices helenii & angelicæ; cassia lignea, baccæ juniperi, catechu, alkool martiale, aliaque chalybeata, elixirium proprietatis, &c. A quibusdam summe deprædicatur allium, nec forte immerito, cum tonicorum vires æmuletur. Præterea minime posthabendæ aquæ minerales, tum frigidæ, tum thermales; inter quas eminent Plumberianæ & Borbonienses anselmienses: quæ tamen, etsi aliorum plurium affectuum chronicorum curam absolvunt, huicce morbo jam consenescente inutilem operam sæpius ludunt. Licet hypnotica morbi causam minime aggrediantur, nonnunquam tamen in usum vocantur ad coercendum aliorum remediorum impetum; vel ad promovendum sudorem, si natura illuc vergere videatur; nec desunt exempla variorum hydropicorum, qui inter horum usum incolumes evaserunt. De antiscorbuticis nil addimus, cum hydropem duntaxat scorbuti sobolem respiciant.

Omnibus remediis, de quibus hactenus, aliisque id genus sexcentis, si omnia persequi luberet, incassum tentatis, pluribus optime cessit cujusvis *potus abstinentia*; & illud regimen ad plures menses, vel ad annum, protractum fuit; sub quo si urgeat sitis, illam fallere solent cum pane tosto aqua vitæ irrorato, & linguæ admoto; vel quavis alia arte; dummodo nil liquidi deglutiatur. Hanc victus rationem non solum conferre in anasarca; sed etiam in ascite, aliisque hydropis speciebus variæ testantur historiæ. Parum profuisse sudores a medicaminibus internis excitatos, jam supra notavimus: sed aliter se res habet, ubi a rebus externis promoventur; ab aere scilicet tepido sudatoriorum; a balneo aquarum thermalium; ab admotis sale, arena, furfure, &c. solis radiis vel furno excalefactis; a fricto cum pannis molliusculis, benzoini, thuris, mastiches, succini, &c. fumo impregnatis; ab arduis demum corporis exercitationibus, quibus stagnantes latices subigi, & per cutis spiracula foras amandari queunt: sed hæc omnia prorsus inutilia fore, si labefactentur viscera, rationi & experientiæ consectarium videtur.

Silentio prætermittere minime debemus crurum, ultra modum tumentium, cutem sæ-

ſæpius dilacerari, & per haſce fiſſuras fieri quoddam aquæ, intra partium contextum ſtagnantis, ſtillicidium, quo non ſolum ſublevantur nonnulli ægri; ſed priſtinæ ſanitati plane reſtituuntur. Eumdem effectum edere valent vulnera ab ambuſtione, vel quovis alio modo inflicta; quod ſemel vidiſſe memini in muliercula, quæ omnibus fruſtra adhibitis ad ineluctabile fatum properabat; dum lectum excalefacientis incuria uſtis cruribus emerſerunt vulnera, quorum beneficio ſerum per totum corporis ambitum diffuſum exitum ſibi paravit; quo ſcilicet profluvio brevi præter omnium expectationem ad vivorum numerum fuit revocata. Hiſce obſervationibus inſtructi Medici conſimilem fluxum moliri tentarunt, tam ſimpliciſſimis *ſcarificationibus*, quam *veſicatoriis*, vel ipſomet cauterio: ſed neſcio quo fato ſecus evenit; pars enim vulnerata gangræna ſæpius correptafuit; hinc fit, ut hæc curandi via omnibus fere fuerit inviſa; quam tamen haud omnino abjiciendam cenſemus; ubi morbus ad cætera præſidia ſurdus domari recuſat; & ægrotantes in extremum vitæ periculum adducuntur; cum in hiſce anguſtiis melius ſit (inquit Celsus) anceps experiri remedium, quam nullum. Præterea hæc vulnera minus pertimeſci debent, ſi cuti laxiori & flexiliori, nempe coxarum vel ſcroti infligantur; & imminens gangrenæ periculum notiſſimis præſidiis avertatur.

Parergi loco, præhabitis addere licet quod omnia cujuſvis ſortis remedia, hactenus tradita, & ad hydropis curationem proſpere uſurpata, hujus *morbi reditum* etiam præcavere queunt. Neminem enim practicum latet, plures convaleſcentes, morbo uti videbatur ſublato, recidivam ut plurimum exitialem, ſerius ocyus paſſos fuiſſe. Hinc ſolertiores clinici, & ægrorum ſaluti conſulentes, omnem curam impendere ſolent, ut cauta medicaminum ſupra traditorum adminiſtratione, hoc infortunium declinetur. Cathartica identidem uſurpata; aperientia, diuretica, &c. in hunc ſcopum præſcribuntur: ſed multiplici experientia edoctus, nil ſub hac rerum conditione præſentius novi, quam tonica vel roborantia, quæ ſolidorum contextum firmando novam aquæ ſtagnationem tutius præpedire valent. Hæc de colluvie ſeroſa dicta ſufficiant; circa quam ſelectiora veterum & recentiorum monumenta inexhauſto labore collegit, & contraxit clar. Monro.

STAGNATIO SANGINIS ET PURIS.

Uterque morbus, ut plurimum immedicabilis, raro in apricum venit; niſi a ſectione cadaverum: imo de illo quidpiam tradere inane & ſupervacaneum foret, ni quandoque innoteſceret, & opportunis auxiliis obſecundaret. Neminem fugit, ſanguinem illico extra vaſa emiſſum in cerebri receſſus, brevi necem inferre; nec ab alia cauſa e medio tolli apoplexia ſanguinea perculſos; uti abunde patet ab exarata hiſtoria anatomico-practica: nec minus ominoſum eſſe ſanguinem in cavum pectoris vel pericardii pleno gurgite irruentem, tum a diſruptione vaſorum conſpicuorum, tum a dilaceratione aneuriſmatis: ſed nonnulla ſpes affulget ab ſtaſi ſanguinis in abdomine, quæ imi ventris tumore ante oculos verſatur; vel fluctuans digitis contrectatur. Prædictæ *ſtagnationum ſpecies* minus *exitiales* cenſentur, ſi a vaſorum tranſudatione, vel exiguiſſimorum capillarium eroſione pendeant; cum ſub hiſce circumſtantiis morbus tardigradus diutius protrahatur; & hinc opportuna adhiberi queunt præſidia; dummodo abditæ colluviei quædam emergat ſuſpicio; & morbi ſedes haud omnem curationis ſpem amoveat. Inſuper reperitur *cruor ſtagnans* in oſſeis capitis ſinubus, in aure interna, in ventriculo & tubo inteſtinali; in veſica & utero; in tumoribus cyſticis & præſertim in hydrocele. Nonnunquam diffunditur intra contextum corporis *cellularis*: hunc majori copia, vel ad libras circiter tres, intra laminas muſculorum abdominalium detexiſſe memini in cadavere cujuſdam ab alio morbo extincti; qui dum viveret vix de dolore obſcuro in parte affecta conquerebatur. Nulla eſt demum corporis viventis pars poſt vulnera, contuſiones, ictus vel caſum ab alto, in qua cruor haud ſerius ocyus effundi queat.

Omni-

Omnibus praxi edoctis innotescere queunt *stagnationes purulentæ*, vel sanioſæ, præmora lutulentæ vel fœtidæ; ortum ducentes a diſrupto abſceſſu in capitis, pectoris, abdominiſve cavo; vel in peculiaribus viſcerum, aliarumque partium latebris; cum horum ſuſpicionem moveant prævia phlogoſeos & ſuppurationis indicia. Sed in obſcuris latent quædam tabi ſtaſes, quæ aliam originem mutuantur, nimirum a peculiari viſcerum exudatione, doloris experte, nulla prægreſſa phlogoſi conſpicua; nullo præexiſtente abſceſſu; vel abſque quavis exulceratione quam ſæpius inter rimanda cadavera me obſervaſſe contingit in ambitu cerebri, pulmonum, cordis, inteſtinorum, &c. Certis terminis conſiſtens hæc colluvies purulenta raro diſtinguitur ab aliis ſtagnationum ſpeciebus; & ſola cadaverum ſectione e tenebris ut plurimum eruitur.

Serum in quavis corporis parte nidulans vaſorum porulis ſæpius reſorberi apud omnes practicos inconcuſſum manet: ſed hunc felicem exitum hariolari minime licet ſub ſanguinis vel puris ſtagnatione; adeo ut nulla alia occurrat *curationis via* præter morantis liquidi evacuationem, cui promovendæ impares ſunt naturæ vires, & ideo ſola arte impetrari poteſt. Hæc tamen ſpontaneo œconomiæ animalis molimine ſæpius abſolvitur in partibus perviis; auribus puta, ſinubus frontalibus, pulmonibus, ſtomacho & inteſtinis, veſica & utero, &c. Sed ubi nidulant prædicti latices in capitis pyxide oſſea, in pectoris & abdominis cavo, aliiſque partibus imperviis, ad *præſidia* mere *chirurgica*, ſi nil obſtet, confugiendum. De hiſce variis ſtagnationum ſpeciebus, & de curandi methodo ſuo loco acturi, nil hiſce generalibus adjicere, ne crambem repetitam aponamus, conſultius nobis viſum fuit.

INFRACTUS ET SCIRRHUS.

VISCERUM *obſtructio*, etſi vulgatiſſima, in obſcuris plerumque latet, ni ad certum gradum provecta in propatulum veniat. Nec dilucidius patet hujuſce morbi indoles; ni in ſubſidium vocetur exacta *cadaverum hiſtoria*; e qua, non ſecus ac e noſtris propriis obſervationibus, tradenda depromere haud incogruum fore putavimus. Ex his itaque bene perſpectis, didicimus *infarctus* paſſim occurrentes, tam in pectore, quam in abdomine, diverſam naturam redolere: alii enim mere *ſanguinei* videntur; alii vero *lymphatici* audiunt: primi ſcilicet, miſſa omni hypotheſi, ab impeditis vaſis ſanguineis ſoboleſcere, jure conjicitur; alii vero ab obſtructis utriuſque ſortis tubulis lymphaticis ortum mutuari, vulgo exiſtimatur. *Infarctus ſanguinei*, ad quos proclives ſunt juvenes & plethorici, a ſuppreſſis quibuslibet profluviis ſanguineis originem ſæpius ducentes, pulmonibus & hepati plerumque inſident, ſubito aggrediuntur, ac dolore & calore ſtipantur: nunc vigente *apyrexia* adoriuntur; nunc febrem comitem habent; atque nonnunquam faceſſunt in genuinam phlogoſim; cujus forte primum gradum exhibent. *Infarctus lymphatici*, a lympha, aliove latice orti, familiares ſunt melancholicis, phlegmaticis, cachecticis, ſcrophuloſis & ſcorbuticis: crebro invadunt febre quartana, aliove morbo chronico detentos: imo & nonnunquam infarctui ſanguineo, vel ipſimet phlogoſi, natales debent. Infarctus, qui *obſtructionum* titulo inſigniuntur, ſub primis temporibus doloris expertes, vel dolore obſcuro ſtipati, lento greſſu procedunt; & leve plerumque incommodum pariunt: ſed ſi ulterius progrediantur & certum incremenrum capeſſant, in ſcirrum abeunt: cujus prodromi jure cenſentur: viſcera & glandulas ad hancce infarctus ſpeciem proniora eſſe, nemo novit. Hæc ſunt generalia infarctuum diſcrimina quæ non ſolum ex autopſia cadaverum, ſed etiam a variis effectibus quos exerere ſolent, ſat dilucide ſe produnt. Cæterum nonnulli occurrunt impliciti, utriuſque naturæ participes, qui ratione ægri temperiei, & præpoſteræ meditationis, nunc phlogoſeos, cui ſunt finitimi, characterem induunt; nunc in merum ſcirrum faceſſunt, e noſtris obſervationibus tum anatomicis, tum clinicis colligimus.

Sanguis intra vaſa redundans, vel plus æquo excandeſcens, labor corporis improbus, ciborum calidiorum eſus, diuturnæ commeſſationes, vinum liberalius ſumptum, &c. ſunt totidem *cauſæ evidentes*

infarctus sanguinei. Ex alio fonte prodeunt lymphatici, a congenita scilicet humorum dyscrasia, vel a parentibus transmissa; a vita deside; gravibus curis, attentisve cogitationibus, & ab incongrua vivendi norma: quibus addere licet chocolati usum diuturniorem, vel immodicum, quo plerumque hepar læditur. Hos demum accersere queunt consuetorum tum naturalium, tum morbosorum fluxuum sufflaminatio, eruptionum cutanearum retrogressus, &c. De infarctibus duntaxat internis in præsentiarum acturi, quidquid attinet ad phlogoses, vel scirrhos oris, glandularum salivarium, cervicis, mammarum, inguinum, axillarum, aliarumque partium externarum, consulto prætermittimus; cum de his singulis, juxta instituti rationem, alibi differemus.

Obscura est *diagnosis* infarctuum sanguineorum, quorum signa parum discrepant ab inflammationum indiciis; præsertim si mitior phlogosis nulla gravia post se trahat symptomata: sed diversus horumce affectuum incessus: infarctus enim sanguineus intra biduum, citiusve resolvi potest; quod nusquam evenit in genuina phlogosi. Hæc præterea ante septimum diem resolutione vel suppuratione judicari solet; ille etsi plerumque brevior, haud raro tamen contumacior evadit. Atra caligine sæpissime immerguntur obstructiones recentes; nec dilucidius quandoque patent vetustiores: licet enim viscera obstructa ampliora & duriora in plerisque evadant; haud semper tamen explorantibus digitis se præbent; præsertim in corpulentis & obesis; delitescit etiam, vel obscure persentitur illud vitium, si alte immergatur viscus affectum, & a naturali mole parum recedat. Quidquid demum inter hæc indaganda, a medicorum plebe in medium adducitur, mendacium sæpius sapit. Tactu tamen facile percipiuntur in macilentis hepar & lien; sed obscurius deteguntur pancreas, mesenterium, &c. Insuper haud semper, adaucta mole, prominent viscera obstructa vel scirrhosa; quin potius nonnunquam contrahuntur & marcescunt; quod sæpissime evenire erga ipsummet hepar neminem anatomicum fugit. Hinc colligitur parum sæpius conducere solitam tactus ope explorationem; unde fit ut ad alia signa e variis læsionibus, infra enarrandis, deprompta confugere necesse sit. Nec magis constat de genuina *morbi sede*, etiamsi tactu se prodat, ob varias partes, plus minusve immersas; quæ prementi digito respondere queunt. Subest præterea dubitare, utrum corpus renitens sit organum affectum? an tumor quidam huic accretus, vel in corpore cellulari progerminatus? quæ omnia meris duntaxat conjecturis sæpius assequi licet.

E præhabitis colligere datur in ancipiti sæpius versari *indicia*, quæ ab explorantibus digitis desumuntur; hinc sedulo inquirendæ sunt aliæ notæ, quibus se produnt obstructiones & scirrhi; ut ex illorum syndrome quid certi statui queat. Itaque, præter molestam & obscuram sensationem, quæ tactu exacerbatur, & a corpore gravi vel premente in plerisque excitari videtur; prominet imus venter: pallida tumet facies: pedes obliteratis malleolis œdemate obvolvuntur: respiratio nonnunquam offenditur; tussisque movetur, non solum ab obstructis pulmonibus, sed etiam ab affectis hepate & liene. Quibus addere licet anxietates, cordis palpitationes; cibi fastidium, oris siccitatem, pravas digestiones, flatulentiam ructibus & inflatione stomachi sat conspicuam; alvum ut plurimum solutam; ac demum urinas albicantes. Interea *procedente morbo*, vires prosternuntur, somnus deficit, exsurgit febricula, quæ a pastu exacerbatur. Hæc sunt indicia generalia, quibus utplurimum se prodit infarctus tum pectoris, tum abdominis: sed alia peculiaria occurunt quæ morbi sedem patefaciunt; deglutitio nempe impedita tumoris scirrhosi, pharyngi, vel œsophago insidentis, suspicionem movet: urgens suffocatio pulmonis infarctum prodit: icterus læsionem hepatis in propatulo sistit: scorbuti signa cum hypochondrii sinistri renitentia, lienem respiciunt: ex alvi fluxu & atrophia incusatur mesenterium, præsertim in infantibus: vomitus diuturnus & indomabilis, ut plurimum, soboleſcit a læsis ventriculo, pyloro vel pancreate: sævientibus ileo & dysenteria tubum intestinalem labefactari proclive est cogitare, &c. Circa morbi

morbi indolem disquirendum incumbit : num quoddam virus in sanguine lateat, venereum nempe, scorbuticum, scrophulosum, cancrosum, &c. quanti enim sit momenti hasce vulgatiores chronicorum causas evolvere, quantum licet, nemini haud obvium.

Licet infarctus sanguinei curatu sint faciles; imo & sæpius sponte desinant; haud semper tamen *periculo* vacant; si perfunctorie, vel præpostera medicatione impugnentur : ex illis enim, ut supra inculcavimus, non modo prodeunt conterminæ phlogoses; sed etiam obstructiones & scirrhi; quod sane quidem arguit affines esse singulos hosce morbos : etsi progressu temporis multum ab invicem di screpare videntur. Neminem latet senescentes obstructiones & præsertim scirrhos, in plerisque indomabilia esse; vel præter expectationem averruncata sæpius recurrere : sed facile debellantur obstructiones recentes; dummodo sat cito curantibus innotescant; quod raro evenire candide fatemur. Haud mirum, si aliter se res habeat, ubi jam altas egerint radices, vel tantam duritiem contraxerint, ut remediis vel exquisitioribus plane sint imperviæ : haud fugit enim, qui numerosis sectionibus interfuerunt, viscera intus & extus tuberculosa, cartilaginea, tophacea, imo & friabilia sæpius deprehendi; quæ sane, sic labefactata, omnibus præsidiis obsurdescere evidens est.

Obstructiones & scirrhi ad certam molem provecta, viciniora premendo, inflammationi, purulentiæ, putredini & sideration ansam præbent; quibus accedentibus omnia in pejus ruere consectarium manet. Notare tamen expedit plures quorum obstructa & scirrosa sunt viscera, cæteris bene se habentibus, congrua victus ratione longiorem vitam protrahere. Ubique enim occurrunt ægrotantes utriusque sexus obstructionibus conflictati, qui per quindecim vel vigenti annos & ultra vitali aura fruuntur. Haud tamen institui debet *prognosis*, nisi bene perspecta morbi sede : constat enim levem metum incutere infarctum lienis; longe periculosius esse hebar hac labe affectum; summe pertimescendam censeri obstructionem mesenterii, plerumque virus scrophulosi sobolem. Infarctus scirrhosi, quibus partis moles accrevit facilius eradicantur, illis qui contrarium effectum, emaciationem nempe exeruerunt. Quædam curationis spes elucescit, dum dolent; immedicabiles vero censentur, si nullius sensationis sint participes. Nihilominus scirrhi qui utero, aliisque visceribus perviis, exquisitiori sensu donatis, insident; brevi cancri, ut fertur, naturam induere solent. Infarctus demum scirrosi, quamcumque partem impetant, atrophiam & hydropem sæpius post se trahunt. De *autopsia cadaverum*, e qua jam tradita depromuntur, nil addimus.

Infarctuum sanguineorum *medela* inchoari solet venæ sectione, quam etiam iterare licet, si nil obstet, & vires ferant : sed diluentia, demulcentia & temperantia præcipuam opem conferunt : nec omittenda sunt laxantia. Plerique tamen ægrotantes solo victu tenui, vel largo aquæ potu, interposita quiete, hunc affectum superare queunt : nec forte tutior & magis naturalis proponitur medendi methodus. Aliter vero se res habet erga obstructiones & scirrhos, quibus domandis impares forent naturæ vires : ni opportunis remediis, habita semper ratione partis affectæ, obsecundarentur. Licet hæc infarctuum chronicorum genera pro morbi prægressi vel subsistentis producto sæpius haberi debeant; nil tamen urgentius esse debet clinico, quam illud evincere; & præcipuum curandi scopum in hunc finem dirigere. Itaque mittendus est sanguis, si catamenia, hæmorrhoides, aliave consueta sanguinis profluvia, sufflaminentur : nonnunquam etiam sub aliis circumstantiis conducit venæ sectio, ineunte morbo : sed inutilis vel noxia censetur ubi inveterascit obstructio, vel in merum scirrhum facessit. Ne minimum quidem levamen afferunt cathartica; imo & morbum exasperare solent : urgentiori tamen succurrere licet; si sordes in primis viis nidulentur; sed mitiora tunc temporis in usum vocari debent.

Diluentia, temperantia, *hepatica* & *aperientia* proficua per totum morbi curriculum usurpantur; inter quæ selectiora audiunt serum lactis; radices lapathi, he-

lenii, aſparagi, apii, bruſci, eryngii & chelidonii, herbæ cichoraceæ, lingua cervina, capilli veneris & naſturtium; quibus addi debent rheum & aloe; borax, ſal ammoniacum, ſal vegetabile, tartarum vitriolatum vel chalybeatum, ſal de duobus, aſelli, &c. quorum ope dilui & ſubigi craſſiores ſuccos; ut fluidiores facti ſolitum alveum petant; & ſic reſerari obſtructa organa, credere par eſt: num actionem ſuam exerant in ipſummet viſcerum contextum vaſculoſum? dubitare licet. Hæc per tranſennam dicta ſufficiant circa horum agendi modum, qui ut verum fateamur, atra caligine obruitur; quidquid obganniant ſcioli, qui hiſce quiſquiliis ſcholadicis plus æquo indulgent. *Incidentia*, ut in orbitam revertamur, quæ cuncta permeare videntur, haud immerito ab exercitatiſſimis deprædicantur: probatiora ſunt nonnulla gummata, ſapones, antihecticum Poterii; ac demum panacea, vel aquila alba: hæc ſunt quæ in vulgatiſſimum uſum cedunt & intimiora corporis penetralia adeundo, præclara munia obire valent; dummodo ſumma cum cautela uſurpentur; viſceriſque læſi recta habeatur ratio: diverſa enim congruunt pulmonibus, hepati, utero, &c.

Inſuper mos involuit, nec inconſulto, erga incidentium uſum, ut ipſis intermiſcerentur *diluentia*, demulcentia & temperantia; ſub hoc ſcilicet ſcopo, ut impediant quominus viſcera illæſa laceſſantur. Imo & identidem concedendæ ſunt inducíæ, ne ſanguis jam præfervidus, accelerato impetu haud plus æquo incaleſcat: ſed aquæ minerales, cuncta etiam permeando, utrorumque munia egregie obire valent; cum primatum ducant inter diluentia, temperantia, hepatica, aperientia, & ipſamet incidentia. Decantantur, inter frigidas, Vallenſes, Paſſienſes, Forigenſes, Cranenſes & Sedlicenſes: cæteris thermalibus antecellunt Plumberianæ, Vicienſes, Vervonenſes, Baregienſes & Montis aurei: horum præſidio id genus morbos, aliis cujuſvis ſortis, vel exquiſitioribus medicaminibus obſurdeſcentes, ſæpius eradicari, apud omnes in confeſſo manet. Pluris habentur declinante morbo tonica & martialia; que alias imparia ſuperando morboſo obici, inanem operam ludunt, vel noxia evadunt: quod alta mente tenere debent, qui vulgi præjudiciis obcæcat ferrum pro polychreſto remedio habent. Solertioribus demum inviſa ſunt ſedentia, & præſertim narcotica, quæ dolores compeſcendo, ſomnumque conciliando, in facie ſalutem, intergo vero funus gerunt.

Ex illa *ingenti remediorum ſupellectili* minime inferendum numeroſa fore adhibenda; quin potius pro re nata, & ægri temperie ſelectu opus ſit. Nec diutius etiam exquiſitioribus inhærendum; cum horum vires longiori uſu infrigantur. Proinde nova ſæpius ſunt excogitanda; & aſſuetis ſuperſedendum; plura enim remedia quæ jampridem emolumento fuerunt, ineficacia in dies, imo & nociva deprehenduntur; unde ad aliam methodum ſe conferre expedit; quæ e ſuperius adductis depromi poteſt. Quæcumque igitur adhibeantur præſidia; horum ſæpius mutuo ſe oppugnantium incondita vitanda eſt farrago. Congruæ inſuper victus rationi inhærendum, e cujus ſane quidem errore, moleſtiſſima ſæpius emergere ſymptomata, neminem practicum fugit. Addere licet, priuſquam manum e tabula amoveamus, in hoc verſari præcipuum curandi ritum, ut accurate proſpiciatur ſæpius deliteſcenti cuicumque deleterio; venereo nempe, ſcorbutico, ſcrophuloſo, alteriuſve indolis; intermiſcendo ſcilicet remediis ſupra exaratis, horumce ægritudinum ſpecifica; e quorum connubio morbus, ni ſit plane immedicabilis, non ſolum domatur; ſed etiam radicitus evellitur. Poſtremo minime poſthaberi debent balnea & ſemicupia; non ſecus ac fotus emollientes, quorum ope nonnullæ impetrantur ſuppetiæ: ſed topica reſolventia vel exquiſitiora plane inertia a pluribus haud infimi ſubſellii exiſtimantur; ac quidquid de eorum præclaris viribus in medium adducitur pro meris commentis, vel anilibus fabellis habentur; quod tamen cum grano ſalis accipiendum eſſe cenſemus. Cum nonnunquam variorum topicorum ſimplicium & conpoſitorum, inter mulierculas celebratiſſimorum, haud improſperum effectum nobis, vel reluctantibus, obſervaſſe contigit:

tigit : hinc nil impedit quominus explorentur vires quorumdam remediorum, e quibus nil mali pertimescendum.

TUMORES INTERNI.

FORIS nonnunquam prominentes *tumores interni*, visu & tactu percipiuntur : alias in intimis corporis recessibus reconditi haud nisi *cadaverum extispiciis* in propatulum veniunt : situm sæpissime habent in abdomine : quandoque intra pectus latitant, sed rarius in capitis pyxide ossea, vel medullæ spinalis theca occluduntur. Diversam naturam obtinent ; sunt enim scirrhosi, vel sarcomatosi ; cystici vel anomali : ac demum aneurismata ; ut de inflammatione & abscessu, de quibus infra, sileamus. *Tumores scirrhosi*, rite distinguendi a visceribus hac labe tactis, diversi coloris & variæ duritiei, sunt quædam sarcoses visceribus, membranis, vasis, &c. accretæ, vel corpori celluloso adnatæ ; nullo dolore stipatæ ; nisi ratione partium quibus incumbunt, aut quas comprimunt. Explorantes digitos minime fugiunt prædicti tumores in abdomine ; ni tamen altius immergantur : sed ægre sæpius distinguuntur ab infarctis visceribus. Haud desunt tamen nonnulla *indicia*, e nostris propriis observationibus, tum clinicis, tum anatomicis deprompta, quæ utrumque affectum prodere queunt ; & sic se habent. Infarctus viscerum, qui non secus ac tumor solitarius, tactu percipitur : nusquam huncce gradum assequitur, nisi prægressis diuturnioribus ægritudinibus ; pro quorum producto jure habetur ; celerius vero incrementum sumunt, & adolescunt tumores, & præter omnium expectationem, haud adversa, uti videbatur, valetudine, sæpius palam prosiliunt. Insuper obstructio viscerum comitem utplurimum habet faciem pallidam & subtumidam ; vel cachecticos invadit : tumores vero scirrhosi hos plerumque adoriuntur, qui faciem floridam præ se ferunt, & vegetiori sanitate frui videbantur : quod paucis ab hinc annis vidisse memini in quodam Helvetio staturæ proceræ & formæ, ut nil supra, viginti annos nato ; cujus tumor attrocissimis doloribus, ob mesenterii cui accrevérat-distractionem, stipatus, in tantam molem intra breve tempus surrexit ; ut ipsismet oculis perciperetur ; quem sectione cadaveris purulentia & putredine tactum deprehendimus.

Haud dilucidius innotescunt *tumores cystici*, lentius increscentes, variis partibus annexi ; & ab externis vulgatissimis vix discrepantes ; nunc doloris expertes, nunc acerbissimis cruciatibus, paroxysmorum instar nonnunquam recurrentibus, sævientes ; ob phlogosim quam concipiunt ; & vicinioribus partibus impertiuntur ; quæ scilicet progressu temporis cancri naturam induere solet. Per viginti annos & ultra sæpius gestari obstructiones viscerum scirrosas, jam supra inculcavimus : sed aliter se res habet, de tumoribus solitariis, tum scirrosis, tum anomalis ; quorum incrementum celerius perficitur ; unde fit ut inflammationem, purulentiam, putredinem, gangrænam, stagnationes, &c. post se trahant. Utriusque sortis tumores interni a peculiari, & deliteſcente viru ut plurimum prodeunt ; sed nonnunquam a prægresso morbo notissimo soboleſcunt. Quæcumque postremo sit alterutrorum prosapia ; pro *calamitosis* & *immedicabilibus* habentur.

Hinc obvium sit *futilia* & supervacanea fore omnia *aperientia* & *incidentia*, vel selectiora, quæ experientia teste, ne minimum quidem auxilium præstant. Haud efficiora sunt ipsamet latentis virus specifica ; quæ non solum ad partem affectam minime appellunt, sed etiam huicce labi evincendæ plane imparia existimantur. Hinc, ubi constat de morbi genere, ad *curam* mere *palliativam* se conferunt peritiores Medici, recta tum diætæ, tum remediorum generalium administratione. Nec major fere spes affulget ab arte Chirurgica ; cujus solo præsidio averruncari posset hic luctuosus affectus ; si candide sui obliviscerentur, ii quibus hoc grave incumbit onus : per transennam enim notare expedit sæpius in morbis exitialibus fauste succesisse novas & inauditas, vel *temeras periclitationes* ; ubi nullus alius patet curationis aditus : quandoquidem temeritas nonnunquam efficit, inquit Celsus, quod prudentia nequiverit. In hisce angu-

anguſtiis, nonnullas inducias impetrare queunt cauteria vicinioribus partibus inuſta; quorum ope nonnihil materiæ morboſæ demitur; qua ſane ſublata tumor tardius incrementum ſumit; ni faventibus œconomiæ animalis viribus plane exhauriatur; quod tamen nuſquam me vidiſſe, vel legiſſe memini.

Haud facilius expugnari ſe patiuntur *aneuriſmata*, ut plurimum, conſpicua, quæ, uti neminem later, curam tantummodo palliativam admittunt. Satis ſuperque notum eſt ab arteriarum dilatatione oriri has tumorum ſpecies, quaſi tunicatas; quæ ſcilicet variis ſicci & compacti ſanguinis tunicis ſibi invicem incumbentibus, vel cepæ inſtar lamellatim diſpoſitis turgent; remanente in medio, vel axi tumoris, canale utrimque pervio, ſanguinem, poſt obitum, nigricantem & grumoſum recondente, quo antehac liberum circuitum edebat prædictus latex. Mirari profecto ſubit arteriarum hoc morbo correptarum involucra, etſi ultra modum expanſa, majorem firmitatem, cratiſſitiemque adipiſci; imo & nonnunquam cartilaginum, ipſorumque oſſium duritiem, contrahere. In ſtupendam quandoque molem attolluntur aneuriſmata: occurrunt enim quæ mediam fere pectoris partem replent, vel qui a ſuperna ſterni parte ad maxillam protenduntur. Aneuriſmatis acceptiſſima eſt diviſio in verum & ſpurium; externa duntaxat, de quibus ſuo loco, reſpicit. Aneuriſmata interna, de quibus in præſentiarum, originem vulgo trahunt a quodam violento conatu, inter maſſam ponderoſiorem movendam; vel inter clamandum, tuſſiendum, egerendum, parturiendum, &c. Saltus & concuſſio ferocientis equi; tubæ inflatio, caſus ab alto, aliæve contuſiones hunc dirum affectum etiam accerſere valent. De *cordis aneuriſmate* mentionem perperam ſubjecerunt nonnulli Auctores, quibus hoc titulo inſignire lubuit vulgatiſſimam thalamorum dilatationem, quæ toto cælo diſtat a genuino aneuriſmate; cum plane deficiant cruſtaceæ ſanguinis concreti lamellæ, aliæ aliis incumbentes, quæ hujuſce tumoris ſpeciei indolem produnt. Præterea ſymptomatibus plane diſſimilibus ſtipatur hæc cordis dilatatio, quæ etiam alio modo procedit; aliumque habet exitum. Arteriæ duntaxat hujuſce viſceris coronariæ, hoc morbo, ſed rariſſime, tentantur; quo ſane quidem immune prædictum circulationis organum, multiplici autopſia anatomica edocti, aſſerere minime dubitamus.

Sedem ut plurimum habent aneuriſmata in pectore, e quo ad ſuperiora in nonnullis propagantur; atque intumeſcentia foris conſpicua ſæpiſſime produnt, tum in antica pectoris parte, imo & poſtica: eo quod viciniora oſſa & cartilagines fracta & comminuta, vel carie confecta ipſis egreſſum quaſi largiantur. Hinc in pleriſque prominet tumor diverſæ molis, & cuti concolor, mollis & tactui cedens cum ſenſu doloris urentis; atque pulſationem, cordis ictibus ſynchronam, comitem habens; & cujus ambitus circumſcribitur. Hoſce *notis* ſe produnt aneuriſmata carotidibus, ſubclaviis, intercoſtalibus & aortæ ſuperiori inſidentia. Sed aneuriſmata in aortam inferiorem & iliacas incumbentia ut plurimum occultantur; quibus poſtremis, vertebræ etiam carie læduntur. Qui hoc morbo in pectore, vel circa pulmonum vicinia ſito conflictantur, de indeſinenti ſpirandi difficultate, vel gravi pectoris repletione, conqueruntur; decubitum pavent ob ſuffocationis metum; plures ægre deglutiunt; ac demum nonnulli, a levi corporis motione, lipothymia corripiuntur; quibus alias pulſus rarus & vibratus exploratur.

Aneuriſma internum, raro duplex, dolores acutiſſimos concitat, qui nonnunquam paroxyſmorum more exacerbati miſellos ægros, haud ſine adſtantium terrore, in vitæ diſcrimen trahunt: plerique ingentis tumoris pulſationem intus perſentiunt. Pulſus interea contractus, renitens, convulſivus, & intermittens obſervatur, præſertim in brachio viciniori: quandoque ſaliunt arteriæ in jugulo; urget tuſſis; & cutis citrinum colorem induit, vel ſubtumida annotatur, ut in cachexia. Ingruunt, *procedente morbo*, palpitationes, lipothymiis crebro recurrentibus; dolor lumborum, &c. Sin vero venæ reducem ſanguinem e capite excipientes comprimantur; emergunt cephalalgiæ, vertigines,

gines, convulsiones, delirium, &c. Melancholici, nulla sæpius prævia causa evidente, in huncce dirum morbum sunt proclives; quem exitialem esse nemo nescit; cum marasmum, gangrænam, cachexiam & hydropem, præsertim pectoris, accersat; ni ægri præmatura morte rapiantur; a scilicet disruptione, vel dilaceratione aneurismatis in pectore siti; qua sanguis pleno gurgite irruit in cavum pectoris, vel pericardii; uti pluries inter *rimanda cadavera* nobis observasse contigit. Ad annos tamen ut plurimum protelatur hic morbus; sed nulla arte evinci potest, & plane *incurabilis* ab omnibus habetur. Hinc nulla alia cura, præter *palliativam*, adhiberi solet: hæc versatur circa venæ sectiones, identidem repetitas; & accuratissimam vivendi normam; quibus bene perspectis præcaventur graviora symptomata & imminens lethum tantisper repellitur.

PHLOGOSIS INTERNA.

DE inflammationibus internis sigillatim, vel totidem capitibus acturi, nonnulla generalia præmittere haud inconsultum fore judicavimus, quæ non solum affectibus inflammatoriis suo loco exarandis; sed etiam quibuscumque aliis extra viscera insidentibus congruere queunt. Præter nobiliora corporis & notissima organa; glandulæ, membranæ, & præcipue corpus cellulosum ad phlogosim prona esse nemo ambigit: nec immunes sunt musculi abdominales; uti nonnunquam me observasse contigit. Exercitationes immodicæ, labores ardui, erysipelatis retrocessus, arthritis anomala, devia rheumatismi materia & sanguini remixta, consuetorum sanguinis profluviorum suppressio, calidiorum ciborum & cupediarum esus, vinum liberalius sumptum, aquarum ardentium usus, &c. *hunc affectum parere solent*. Eundem nonnunquam adducunt emetica, cathartica, drastica & venena: concitatur ab intestini strangulatu in hernia; a quamvis compressione, contusione, &c. Hoc ægritudinis genus familiare est plethoricis; sæpius attingit juvenes, & temperie sanguinea præditos: nec parcit biliosis.

Phlogosis interna, ni intra angustissimos limites coerceatur, comitem semper habet *febrem*: dolore plerumque stipatur, nunc miti, nunc acuto, nonnunquam pungente: alias lancinante & pulsatorio; ratione scilicet partis fabricæ, morbi incrementi & propagationis; ac demum propensione ad puris confectionem. *Dolor inflammatorius* quandoque quiescit; sed fallaces sunt induciæ, cum serius ocyus recrudescat. De æstu & dolore circa morbi sedem conqueruntur ægri, leviissimos rigores sæpius patiuntur, præsertim si lecti impatientes situm commutent. Sanguis venæ sectione eductus sub primis temporibus a nativa fluiditate vix recedit; sed *procedente morbo*, crassitiem contrahere videtur; ac concretus & fæculentus, crusta flavescente vel subviridi in patellis cooperitur. Haud tamen pro certo inflammationis *indicio* haberi debet hæc morbosa sanguinis constitutio; cum in quibusdam per totum inflammationis evidentioris curriculum plane deficiat: nec morbus tum, uti nonnulli perperam sibi persuaserunt, calamitosior evadit: præterea sanguis ejusdem indolis, vel prædicta crusta obductus, sæpius mittitur, absque phlogoseos, vel levioris, suspicione; quod notare debent qui vulgi opinionibus inconsultam fidem adhibent. *Febris inflammatoria*, ut e diverticulo in viam redeamus, sæpius ab ardente vix discrepat, & etiam ab horrore & rigore exordium capit: pulsus validus, durus, sæpiusque inæqualis deprehenditur; dolet caput, urgetque sitis cum lingua arida, nonnihil nigricante. Quibus addere licet æstum ad viciniora partis affectæ pertingentem, anxietates in præcordiis, insomnium, delirium, aliaque graviora febrium symptomata, quæ truculentiora fiunt; si membranæ, pleura nempe, mediastinum, diaphragma, stomachus, intestina, mesenterium, &c. phlogosi corripiantur. *Inflammationes internæ*, uti jam inculcavimus ægre sæpius *innotescunt*; si excipias peripneumoniam, quæ sputo cruento in propatulum venit: sed nonnunquam clanculum subrepit partium abdominalium, cæterarumque phlogosis, quam meris duntaxat conjecturis assequi licet. Nonnullis tamen *signis* mox enumerandis internosci-

tur

tur quorumdam viscerum inflammatio; sed dubiis indiciis se proferunt aliæ imi ventris phlogoses. Ex *abdominis* sane quidem renitentia dolore & febre stipata, *phlogosim* adesse vel imminere arbitrari fas est: sed arduum sæpius est inquirere quænam pars afficiatur. Phlogosis ventriculi dolore atrocissimo in epigastrio, deglutiendi difficultate, vomitu & singultu, anxietatibus molestissimis & extremorum frigore sat dilucide se prodit. A dolore acuto circa umbilicum, a genuina colica vix discrepante, abdominis tumentis renitentia; vomitu, ac alvo occlusa; intestina phlogosi tentari conjicere datur. Dolor gravativus, circa lumbos, accedentibus cæteris signis, lesionis mesenterii suspicionem movent: si dolor eamdem partem occupans sit acutior, in mentem veniunt renes. Tactus ope deprehenditur hepar inflammatum; simili exploratione dignosci potest lien affectus: sed aliter se res habet, si pancreas, aliæque abdominis partes phlogosi teneantur; imo & obscure sæpius distinguitur inflammatio viscerum vel corporis cellulosi, ab illa musculorum abdominalium; sub qua tamen postrema acerbioribus cruciatibus torquentur ægri; præsertim inter tussim, aliaque munia quibus exequendis inserviunt hæc motus organa. Peripneumoniæ & pleuritidis signa alibi trademus. Meningum & cerebri phlogosim concomitantur cephalalgia, tam vehemens ut vix effari possit; delirium, quo in furorem adiguntur ægri; aliaque truculentiora symptomata. Sed turpiter allucinantur qui, mera hypothesi ducti, quodvis delirium febrile ad inflammationem cerebri vel ejus involucrorum referunt; quod falsum inter *rimanda cadavera* quotidie deprehenditur.

Nusquam *periculo* vacant phlogoses internæ, ni angustioribus terminis coerceantur; sed plus minusve *ominosæ* censeri debent ratione partis affectæ & symptomatum sævitiei: citoque sua percurrunt tempora, ni in morbum chronicum, genuinum scilicet scirrhum, e quo prodeunt febris lenta, marasmus & hydrops, facessant. Nulla fere extra resolutionem curationis spes affulget, si viscus impervium phlogosi impediatur: aliter se res habet de pulmonibus, ventriculo & tubo intestinali; renibus & aliis quæ, propriis ductibus, foris hiant. Hæmorrhagiæ & sudores circa septimum diem erumpentes nonnullis emolumento sunt: sed in plerisque mera audiunt symptomata, quæ nil boni spondent. Urinæ circa quartum vel septimum diem subsidentes salutarem quandoque exitum denuntiant; alias ex horum examine nil certi de eventu statui potest. Quibusdam prodest alvi fluxus; sed si saburra, nigricans egeratur, vel vomitu foras deturbetur; cogitandum de exequiis. In phlogosi resolutionis nescia, pus ut plurimum conficitur, & hinc emergit abscessus vel ulcus: alias gangrænam post se trahit, quæ ægros ad ultimam rerum lineam brevi ducit. Suppuratio a quarto ad septimum diem accedit: si pus, tam in abscessu quam in ulcere, ratione fabricæ & situs partis affectæ exitum sibi parare possit, nonnulla salutis spes affulget; alias lethum imminet. Levis horror, crebro & inordinate recurrens, dolor pulsatorius, haud deficientibus cæteris signis, sunt vulgatissimæ *abscessus notæ*. Dolor lancinans ad ulcus vel erosionem spectat. Imminentem gangrænam indicat dolor urens & acutus: hunc lethalem exitum declarat doloris subitanea cessatio; sævientibus febre, aliisque gravioribus symptomatibus. Si demum jam præterito suppurationis tempore, nulloque prævio purulentiæ indicio; de dolore obscuro, gravativo & quasi distrahente conquerantur ægri, infarctum inflammatorium in merum scirrum abiisse, pronum est credere: hæc omnia docet *autopsia anatomica*.

Pro deterrima habetur pleuræ, hepatis & uteri inflammatio: sed ferocior forte est *ventriculi phlogosis*, frequentior sane quam vulgo existimatur; quæ tertio plerumque quartove die gangrænam accersit, funestum sane præsagientem eventum variis cladibus confirmatum: vel scirrhi naturam induit; e quo suboritur vomitus pertinacissimus, ac plane immedicabilis; etsi medicamina ad partem affectam proxime appellunt. Raro inibi conficitur pus, per vomitum vel secessum, abscessus diruptione, foras eliminandum; relicto ulcere quod ægre domari patitur. E *mesen-*

terii

tertii inflammatione haud infrequens emergit abſceſſus, cujus materia per tubum inteſtinalem quandoque foras elutriatur; alias intra abdominis cavum effunditur; & circum viſcera fluctuans, ipſis exitialem labem impertitur. Minus pertimeſcendam eſſe pulmonum, renum, aliorumque viſcerum foris patulorum inflammationem, ob liberum puris egreſſum, jam ſupra innuimus: ſed de cæteris partibus felicem *eventum* a ſola reſolutione hariolari licet; quod dubium intra paucos dies ſolvitur.

Quandoquidem omnis *ſalutis ſpes*, pro partibus quibus nullus eſt aditus, circa reſolutionem verſatur, in aliis caſibus etiam auſpicatiſſimam; nil non movendum, ut opportunis remediis impetretur. In hunc ſcopum nulla cunctatione tunditur vena, & pluries iteratur *ſanguinis miſſio*: ſed circa illud præſentiſſimum præſidium notare juvat, quod certis cancellis contineri debeat, ne majori, quam par eſt, copia ſanguine educto, accerſatur gangræna; præſertim ſi partes membranoſæ afficiantur; quod non raro in praxi obſervavi. Ideo venæ ſectionem haud ultra ter, quaterve, aut ad ſummum ſexies repetendam eſſe, multiplici experientia edocti, aſſerere minime dubitamus. Nec indiſcriminatim, uti peſſimus mos invaluit, in omnibus morbi temporibus celebrari debet; cum tertio, quartove die elapſo, plane inutilis vel nociva, ni urgentiori ſit ſuccurrendum, a peritioribus cenſeatur. Præterea nullum eſt dubium, quin confectioni puris officiat; cum ad opus requiratur quædam arteriarum renitentia, qua ſane defraudantur prædicta vaſa, ſi ultra modum depleantur. Quare minime mirum, ſi a nimia illius laticis detractione hoc depurationis genus ægre abſolvatur, vel plane deficiat; & infarctus ſanguineus in merum ſcirrhum faceſſat; quod docet exarata *cadaverum hiſtoria*. His addere lubet, quod parciori manu fundendus ſit ſanguis in inflammatione, febrium putridarum & malignarum adoleſcentium ſymptomate; imo & ſæpius ſub hoc caſu venam ſecare minime licet; quidquid clamitent inconſulti, qui ab uſu pertinaciter recepto nuſquam dimoveri patiuntur.

Emeticum ineunte morbo poſt unam vel alteram venæ ſectionem, egregiam ſæpius opem præſtat: ſed angue pejus fugiendum, ſi venter tumeat & doleat; ne irritentur crabrones. Nec tutiora ſunt cathartica: *laxantia* duntaxat, caſſiam nimirum, mannam, tamarindos, oleum amygdalarum dulcium, &c. caute uſurpare fas eſt. Alvus interea per totum morbi ſtadium ſervetur libera, enematum præſidio, quæ laxantibus, haud tuto ſemper adhibendis, ſupplere valent. Multum conferunt, uti neminem latet, diluentia, *demulcentia* & temperantia: in quorum cenſum veniunt aqua pulli, ſerum lactis, emulſiones vulgatiſſimæ, herbæ cichoraceæ, flores malvæ & altheæ, ſemina lini, &c. Haud tamen plus æquo refrigerantibus inhærendum; ne calor, tum ad reſolutionem, tum ad ſuppurationem, apprime neceſſarius reſtinguatur. Plurimum deprædicantur diaphoretica mitiora, quæ nonnihil materiæ morboſæ demere valent, veluti borrago & bugloſſum, ſcorſonera, ſcabioſa, carduus benedictus, &c. Hujuſce commatis eſſe videtur ſanguis hirci præparatus, qui non modo in peripneumonia, ſed etiam in phlogoſi cæterarum partium, proficue adhiberi poteſt. Inter reſolventia interna, cerefolium aliis antecellere videtur, ſi ſcriptoribus ſit fides. A nonnullis commendantur abſorbentia: ſed num hypotheſis hæc ſuadeat, ſolertioribus examinandum relinquimus. Sanioribus clinicis inviſa ſunt narcotica, cum organis vitalibus ad morbi ſolutionem conferentibus torporem impertiri, & morbum quodam velamine obtegere ſoleant. Inſuper haud citra periculum hæc adhiberi queunt, ubi vel levis ſubeſt gangrænæ metus: ſed paregorica, nitroſa ſcilicet, ſal ſedativum, camphora, liquor anodynus mineralis, &c. ſæpius fauſte uſurpantur.

Quod ad *remedia externa* attinet, nonnullam opem præſtare valent fotus & cataplaſmata emollientia; veſica lacte tepido ſemi-turgida; animalia viventia ſecta, eorumque pelles nativo calore præditæ, &c. quæ præter vim rigidiora laxandi, & hinc dolores compeſcendi, reſolventium & maturantium munere, pro re nata, fungi videntur. Quandoque proſunt hirudines va-

vasis podicis admotæ; præsertim si solitum hæmorrhoidale profluvium coerceatur. Haud exiguam laudem merentur vesicatoria circa viciniam partis affectæ imposita, quorum ope quædam materiæ morbosæ pars eximitur. Hæc munia præsertim obire prædicta topica, in pleuritide & peripneumonia, neminem practicum latet. Haud minus demum prohibentur narcotica extus admota, quam intus exhibenda; nec nisi in urgentissimis casibus ad illa solatia confugere licet.

PURULENTIA INTERNA.

PHlogosim excipere solet *puris confectio*; tanta est inter utrumque morbum affinitas, ut vix unus ingruat, quin alter presso pede sequatur. Familiarissimam esse purulentiam internam, de qua in præsentiarum, haud fugit sane illos, qui *cadavera* perscrutari haud gravantur; & hic est fons e quo depromimus, quæ de hac re dicenda habemus: missis scilicet omnibus de hoc naturæ conamine commentis, quibus scatent libri; quæ pace illustrium virorum, qui in hacce palæstra desudarunt, superfluam & inanem potius quam genuinam doctrinam sapiunt. *Quatuor* occurrere *suppurationis internæ species* e propriis nostris observationibus, tum clinicis, tum anatomicis colligimus: *primam* exhibet abscessus, vel apostema, sub quo pus peculiari quodam folliculo coercetur: *secundam* præbet ulcus: *tertia* patet a crusta quadam albicante, & quasi gelatinosa, qua intactum, uti videtur, viscus obducitur: *quarta* vero nihil aliud est, quam purulentus viscerum infarctus.

Ut a *prima* & notissima purulentiæ specie exordium capiamus: a quarto ad septimum morbi inflammatorii diem pus confici jam supra declaravimus; sed addere juvat, præmaturum illud naturæ munus nonnunquam inchoari, circa tertium imo & secundum phlogoseos diem; quod sedulo animadvertendum; ne intempestivis turbetur remediis. Nemo nescit, quod vigentibus febribus putridis & malignis, variolis & morbillis, affluxus purulentus sæpius intra brevissimum tempus in pulmones, hepar, mesenterium, &c. nullo prævio phlogoseos indicio illabatur. Vulgatissimum præterea esse hoc infortunium a metastasi; ubi scilicet ab exhaustis ulceribus externis, materia purulenta sanguini remixta in hanc vel illam partem irruit, nullo alio accedente prænuntio, satis superque notum manet. *Apostasis*, gallis *dépot*, audit hæc puris collectio in quamvis partem, nulla prævia inflammatione; qua hinc ægre innotescit. In suppuratum quandoque abeunt tumores anomali vel cystici, qui non solum pus inibi collectum, sed diversas alias materies, lapides puta, ossa, cartilagines, squamas, &c. recondunt. Diversam esse ratione partis fabricæ, vel morbi causæ, *abscessuum internorum* molem nemo non intelligit. Quemdam olim me vidisse memini in hepate stupendæ magnitudinis, qui puris haud pravæ notæ libras octo continebat: hoc morbo detenta mulierecula staturæ humilis, maxima spirandi difficultate, dum viveret, premebatur, ob repulsum diaphragma ad tertiam costam, a claviculis numero ducto; adeo ut mirari subierit quomodo cor & pulmones in hoc angustissimo spatio, vita superstite, coercerentur. Alium abscessum forte ingentiorem observavi in eodem viscere, cujus pus fæculentum & fœtidissimum exitum sibi paravit trans diaphragma & pulmones, per bronchia, & tanto proventu ad os irruit hæc diluvies, ut plane suffocatus æger, alias habitus athletici, diem extremum clauserit.

Secunda suppurationis *species* infrequentior, si excipias vulnera, ad quæ etiam pertinet, sede duntaxat morbi a prima discrepare videtur: si enim pus in superficie, limbove viscerum, vel in eorum cavo conficiatur, proprium visceris involucrum, vel membranam cavum obvestientem erodit; hinc superato hoc obice, pus colligi nescium extra funditur; unde emergit *ulcus*, quod nonnunquam late diffunditur; vel quamdam visceris partem depascitur; imo & integrum, horrendo sane, spectaculo, absumit: quod de alterutro pulmone, sæpius accidisse norunt sane, quipluribus dissectionibus interfuerunt. Cor totum ulcerosum sæpius deprehenditur: sed in sola su-

ſuperficie prorepens eroſio haud inferiorem viſceris contextum attingit. Simili ferme modo læditur facies interna laryngis, & bronchiorum, renum & veſicæ, ſtomachi & tubi inteſtinalis, uteri, &c. quæ viſcera, ratione ductuum foras hiantium, materiæ purulentæ egreſſum largiuntur.

Tertia occurrit ſuppurationis *ſpecies*, quæ ſola tranſudatione peragitur, abſque abſceſſu, nulloque exiſtente ulcere. Pus ſcilicet blandum, & acredinis, uti videtur, expers, e viſcere quaſi expreſſum; nunc fluidum ſtagnationi purulentæ anſam præbet; non ſecus ac in aliis purulentiæ ſpeciebus: nunc viſcidum & glutinoſum ambitui partis læſæ hæret, inſtar *cruſtæ gelatinoſæ*; qua ſublata, integrum conſpicitur viſcus, cum tamen evidentibus inflammationis notis. Hæc phlogoſeos & ſuppurationis ſpecies non ſolum reſpicit morbos acutos; ſed ſæpius etiam poſt chronicos obſervatur in pulmonibus, corde, inteſtinis, &c. hinc fit, ut nonnulli de vera illius materiæ indole dubitaverint. Nec, ut verum fatear, liquido conſtaret de hoc inflammationis affectu; ni ſæpius reperiretur prædicta ſubſtantia concreta puri fluido & optimæ notæ intermixta; tum in ſtagnationibus, tum in ipſiſmet abſceſſibus; quod, ni fallor, ejus naturam ſat aperte prodit.

Quarta demum vulgatior purulentiæ *ſpecies* obſervatur; cum totus viſcerum contextus tabo imprægnatur, vel imbuitur, ſine ulla conſpicua eroſione, nulloque ut plurimum exiſtente abſceſſu; ni hoc nomine veniant innumera conceptacula paſſim occurrentia, quæ tantillum puris recondunt. Hic eſt primus putredinis gradus, cui proclivia ſunt pulmones, hepar, lien & pancreas: ipſumque omentum hac labe ſæpiſſime conſumptum deprehenditur. Viſcera compacta hoc vitio correpta, primo examini ſæpius inculpata videntur: ſed ubi cultrum in hæc adigitur, pus intra eorum ſubſtantiam coacervatum protinus erumpit, & undique diffluit. Hæc ſunt quæ in apricum veniunt *inter rimanda cadavera* hiſce affectibus denatorum, & atra ſæpius caligine obruta, dum in vivis agerent.

Præter jam tradita phlogoſeos *ſigna*, puris collectio innoteſcit dolore pulſatili, lancinante & gravativo; atque algore quodam febrili inordinate recurrente; pulſu duro, intermittente vel obliterato; lipothymia, extremorum frigore, &c. Si abſceſſus pectus occupet, recrudeſcit ſpirandi difficultas, & proritatur tuſſis: ſi in capite latitet poſt caſum ab alto, vel quamlibet contuſionem, concitantur cephalalgiæ atrociſſimæ, mentis torpor, inſultus apoplectici, convulſiones, &c. difficilius internoſcitur abſceſſus in abdomine reconditus, ni in ſubſidium veniat tactus exploratio; alias ita ſæpius occultatur, ut ne quidem in ſuſpicionem veniat. *Procedente abſceſſu*, vel ad maturitatem, ut inquiunt, accedente, mitiora fieri ſolent ſymptomata; pulſuſque exilior evadit, ni dolores exaſperentur a tumoris mole, proximiores partes comprimente; vel a pure erodente, quod foveas intra partes exquiſitiori ſenſu donatas ſibi cudit. Abſceſſus a materiæ purulentæ *metaſtaſi* ſoboleſcentes, ut plurimum putridi & ſanioſi; raro doloris ſunt participes, febremque concitant: hinc minime mirari ſubit, ſi ſolis cadaverum extiſpiciis in apricum veniant. Aliter ſe res habet erga illos, qui circa ultima febrium bilioſarum vel mali moris tempora conficiuntur; qui ſcilicet dolorem & renitentiam poſt ſe trahunt, ſi in hepar, meſenterium aliaque abdominis viſcera ingruant; tuſſimque & ſuffocationem movent, ſi pulmonibus inſideant. E diſruptis abſceſſibus prodire ulcera vulgatiſſima nemo neſcit: ſed alia, uti jam innuimus, naſcuntur nulla prævia puris collectione. *Ulcera* ſitum habentia in viſceribus cavis, puris evacuatione facile dignoſcuntur; cætera meris conjecturis aſſequi licet: etſi haud ſuis ſignis defraudantur; in quorum numerum veniunt dolor lancinans, cum ardore in parte affecta, febris lenta, ſudores chronici, tabes, &c. Quod attinet ad alias purulentiæ ſpecies, de quibus altum apud Auctores ſilentium, nullis indiciis hactenus notis ſe produnt; nec quid certi de hac re ſtatuere licet a propriis noſtris obſervationibus e ſola *cadaverum* inſpectione depromptis: unde fit, ut niſi a bene perſpectis antecedentibus in ſuſpicionem venire queant.

Supereſt ut de *febre* lenta, quadrageſimum ſcilicet diem excedente, quæ licet ab omnibus ferme morbis chronicis foveatur, præcipuum tamen purulentiæ internæ ſymptoma audit, breviter agamus. Hanc primo clancularie invadentem, comitem habet quævis ſuppuratio interna, tardo gradu incedens. Pulſus in primis temporibus vix a ſolito, & naturali rhythmo recedit; ſed increſcente labe, & contabeſcente ægro palam proſilit *febris*, quæ ſæpius ita excandeſcit, ut pro febre acuta ab incautis habeatur; quam maximo ægrotantium damno venæ ſectionibus debellandam exiſtimant. Ubi in propatulum venit *febris* hectica, exacerbationem poſt paſtum, horiſque ſerotinis patitur: tum æſtus jam perennis intenditur; acriſque & mordax ad volam manuum propagatur: rubent genæ; areſcit lingua & muco ſubalbicante obducitur. Interea ingruunt horrores inordinate recurrentes; vel de ſimplici & fugaci extremorum refrigeratione conqueruntur ægri. Poſternitur appetitus, vel proritatur fames: ſomnus deficit vel turbatur; languent vires; ſenſim emaciantur ægri & collabuntur tempora, contrahitur imus venter, quaſi inanis eſſet: urina ſæpius pinguis & craſſa, vel putrida obſervatur. Sudores demum, præſertim inter dormiendum, uberiori proventu erumpentes; alvi fluxus, ut inquiunt, colliquativus, & ad quævis remedia ſurdus; cutis ficca & ſqualida; nares acutæ; oculi concavi; capillorum defluvium, &c. pro mortis præconibus habentur.

Nonnunquam evenit, ut *abſceſſus* pectoris, vel abdominis extus promineat; quod pluries in affecto pectore vidiſſe memini; e quo felici & inexpectato exitu futuram, vulgatiſſima arte, ſanationem hariolari fas eſſe, cuivis obvium. *Pus* præterea, in quamvis partem colligatur, haud raro foras amandatur *per ſputa*, *vomitum*, *ſedes* & *urinas*: nec hic fauſtus eventus ſolam pulmonum, ſtomachi, tubi inteſtinalis & renum purulentiam reſpicit; ſed etiam ad abſceſſus viſcerum plane imperviorum ſpectat; quorum materia purulenta viciniora erodendo aditum ſibi parat in cavum prædictorum emunctoriorum; vel ſanguini ſpontaneo naturæ motu remixta aut reſorpta ad hæc incernicula circuitus lege appellit: nec plane deſpondendum ab abſceſſu intra cranii pyxidem recondito; cum, exeſis cerebri involucris, & ipſiſmet oſſibus, nares vel aures materiæ purulentæ egreſſum ſæpe largiantur. Poſtremo notare expedit, laticem purulentum in quamvis partem, intra febrium curriculum, clancularie collectum, vel ab exſiccato ulcere huc metaſtaſi adductum, ut plurimum ad putredinem, brevi in proximiores partes tranſmittendam, vergere, unde ad tibicines mittere licet. Minus portendit periculum abſceſſus internus a genuina phlogoſi ortus, cum præter indicatas evacuationis vias, pus optimæ notæ & minori copia aggeſtum ſuam fluiditatem quandoque amittat, & in corpus durum faceſſat, quod in poſterum leve incommodum parit, inibique hoſpitatus circa vitæ diſcrimen: hoc docet *ſectio cadaverum*.

Ægre ſane *medentur*, etiam exercitatiſſimi, ulceribus internis bronchia, ventriculum, inteſtina, renes, veſicam & uterum obſidentibus; ſed plane *inſanabilia* cenſentur, quibus nullus patet aditus. Utraque *febre hectica* ſtipantur, quæ ſudores & diarrhæam, quibus corpus quaſi diffluit, poſt ſe trahit; hinc maraſmus, quem haud raro excipit hydrops. Cancri naturam ſæpius induere videntur prædicta ulcera, præſertim viſcerum concavorum: ſed mos invaluit, ut hoc nomine duntaxat *inſignirentur* uterum obſidentia. Ulcera pulmonum, renum, uteri aliorumque viſcerum perviorum non impediunt, quominus vita per plures annos protrahatur, ob liberum puris effluxum: ſed ubi nullus patet aditus, fatum acceleratur. Suppurationis ſpecies, quæ fit per exſudationem haud forte omnem præcludit *ſanationis ſpem*: ſed de hac re nil certi in medium adducere licet; cum hoc ægritudinis genus nuſquam niſi poſt obitum innoteſcat. Haud diſſimili ratione dubius cenſeri debet eventus abſtaſi puris intra viſcerum contextum; longe tamen periculoſior cenſeri debet hæc labes, quæ uti ſupra inculcavimus, primum putredinis, ſemper exitialis, gradum exhibet. Addere lubet, quod hæc poſtremæ purulentiæ ſpecies partes viciniores in conſortium trahat; ni præmatura morte rapian-

piantur egri: quæ omnia viſenda præbent *diſſectiones anatomicæ*.

E præhabitis colligere datur, quod raro pateat quidam ad purulentiæ internæ *curationem* aditus; non ſolum quia remedia huicce domando affectui imparia ſunt: ſed etiam quod plerumque occúltetur, & ne quidem in curantium mentem veniat. Apud omnes tum Medicos, tum Chirurgos in confeſſo manet venæ, ſectiones inchoatæ ſuppurationi officere: nec hinc ſequitur illas magis congruere, ubi pus in parte quadam haud pervia conficitur, denegata ſpe futuri egreſſus; cum in hocce caſu gangrænam accerſere, vel ſcirrhi generationi favere valeant; qui morbi majorem *funeris metum* incutiunt, quam pus in parte etiam impervia coacervatum; quod uti jam innuimus, viam ſibi parare valet verſus tubum inteſtinalem, aliaque corporis receptacula, vel reſorberi, circulationiſque beneficio ad excretionum organa appellere: qui duplex exitus prioribus morbis plane denegatur. *Laxantia* mitiora, ſi nidulent ſordes in primis viis, tuto exhiberi queunt; ſed præcipuum morbum nullo modo reſpiciunt. Opportune uſurpantur *diluentia* & *demulcentia*; inter quæ ſelectiora audiunt ſerum lactis vel ipſummet lac; oriza, hordeum, ſagutium, aliaque ejuſdem commatis, quæ acriora obvolvendo, vel obtundendo, naturæ viribus obſecundare queunt. Haud minorem opem præſtant *vulneraria*, detergentia & balſamica; in quorum cenſum veniunt pervinca, veronica, hedera terreſtris, ſanicula, hypericum & alchymilla; mel Narbonenſe, balſamum Peruvianum, vel Canadenſe, terebinthina Chia, aqua picea, balſamum Lucatelli & id genus alia, quæ pluribus emolumento fuere. Nec poſthabendæ aquæ minerales materiebus balſamicis imprægnatæ; Bonenſes nempe, Bagnerienſes, Baregienſes, Montis aurei, &c. de acidularum viribus, quæ a nonnullis proponuntur, dubitare licet.

Quoad *remedia externa*; nullus ambigendi locus, quin plurimum conferant emollientia & maturantia; ſi abſceſſus foris promineat; vel fluctuatio prementibus digitis deprehendatur. Nec minus patet injectionum detergentium efficacia, ſi ad locum ulcere affectum impelli queant. Sed cauteria cæteris auxiliis longe antecellere apud prioris ſubſellii practicos ratum manet: notis enim haud infrequentibus materiæ purulentæ metaſtaſibus, facile intelligitur, quomodo puris devii & ſanguinem conſpurcantis motus verſus hanc ſentinam dirigatur, vel ſalutari naturæ molimine faveatur; quod experientia quotidiana teſtatur. Nil præſtant cauteria adverſus ſtagnationes purulentas abdominis, pectoris & capitis, ob craſſitiem a mora contractam, reſorberi neſcias: unde ad aliam methodum ſe conferre expedit, quæ verſatur circa evacuationem arte chirurgica, ſi nihil vetet, promovendam: exitialem enim nonnullis fuiſſe, haud latet clinicos; præſertim reſpectu pectoris; ubi ſcilicet plane abſumpto alterutro pulmone, pus hujuſce viſceris priſtinam ſedem replet: quo in caſu neminem eſſe reor, qui illam audeat experiri.

GANGRÆNA INTERNA.

AB exarata cadaverum hiſtoria abunde patet, partes internas, non ſecus ac corporis ambitum, ad gangrænam procliviores eſſe: nec minus obvium, huncce dirum morbum alterutras partes impetentem, excipere *ſphacelum*, vel *ſiderationem*, qua pars, innato calore plane extincto, nigra, arida vel mollis, grave olens, putriſque evadit. Nemo neſcit, *gangrænam* extus conſpicuam, aliam eſſe *ſiccam*, aliam *humidam*: idem ferme diſcrimen notare licet in intimioribus corporis receſſibus; quod, etſi anceps, admittere conſultum duximus; ne quæ dicenda veniunt, nova nomenclatura, obſcuriora evadant. Prima vel *ſicca*, inter rimanda *cadavera*, ſe prodit maculis lividis & nigricantibus, quæ pleuram, peritonæum, meſenterium, ſtomachum & inteſtina, aliaſve partes membranaceas, involucri vices replentes, vel cavitatum latera ſuccingentes, haud infrequenter impetunt. Secunda vel *humida*, putridæ diſſolutionis exordium, in ipſo viſcerum contextu cernitur: pulmones, hepar, lien, pancreas, omentum, &c. hac labe tacta ſæpiſſime deprehenduntur. Utramque gangrænæ ſpeciem, in ſphace-

lum

lum abituram, ab una eademque causa prodire, quæ ratione partis fabricæ, alterutrum effectum edit, credere par est. *Alia gangrænæ*, ni fallor, *species* haud infrequens, *sectione cadaverum* in conspectum venit, & a cæteris multum discrepare videtur: sub pelliculæ albicantis schemate se profert, quæ escharæ instar facile avellenda, viscerum superficiei hæret. *Cor*, supra alia viscera, huic labis generi obnoxium deprehenditur: haud raro tamen occurrit in stomacho & intestinis; nec parcit hepati, aliisque visceribus. Macularum instar, vix ultra visceris superficiem prominentium, primo intuitu se præbent prædicta stigmata; quæ nunc exigua, nunc longe lateque diffusa observantur: in nonnullis solitaria conspiciuntur: in aliis numerosa reperiuntur; quæ postrema stipato agmine sæpius cor obsident, adeo ut pro hujusce visceris exfoliatione, vel desquamatione, haberi queant: circa quam obiter notandum, haud ex alio fonte forte prodire hæc ramenta membranacea, quæ tussi ejiciuntur; vel cum fæcibus alvinis, lotiove foras elutriantur; quæ nil aliud esse, quam membranæ interioris tracheæ, bronchiorum, tubi intestinalis & vesicæ segmina eodem deleterio detracta, haud falso conjicitur.

Prima gangrænæ species, vel sicca, a phlogosi, pressione, nimia partium dilatatione, vel distractione ut plurimum suboritur. Alias est morbus quasi sui generis, licet haud primario vel per se existat; cum scilicet a vitiata humorum, vel sanguinis, crasi progignatur. Hanc gangrænæ speciem comitem sæpius habent variolæ, febres malignæ, aliive morbi acuti. Eadem etiam animadvertitur in cadaveribus scorbuticorum, phthisicorum, hydropicorum, aliove affectu chronico denatorum. Nec absimilem postremo pariunt animi pathemata graviora; aer halitibus virulentis inquinatus; venena intus sumpta, vel morsu animalium sanguini indita, &c. *Secunda gangrænæ species*, vel humida, ab infarctu purulento, uti jam innuimus, sæpissime producitur: sed ab aliis causis etiam promovetur, quæ hactenus nostræ indagini subtrahuntur. *Tertiæ speciei* a cæteris plane discrepantis causa & indoles in cimmeriis latet tenebris; nec præsciri potest eventus; licet viscera, hac labe affecta, tum in acutis, tum in chronicis, suis obeundis muniis haud imparia videantur: quapropter ulterius de hac re inquirendum esse censemus.

Gangrænam imminentem indicat dolor urens & acutus; cujus subitanea cessatio hujusce infortunii, vel sphaceli præsentiam arguit. Natales plerumque sumit a phlogosi; sed minime dubitare licet, quin etiam a variis aliis causis procedat; quæ vel atra caligine obruuntur, vel meris duntaxat conjecturis attingi queunt. Gangræna interna partes extus conspicuas haud raro in consensum trahit; & hacce nota, cæteris consentientibus, jure suspicatur, quod sæpius evenire in senili ætate haud fugit sane clinicos. Sed ubi hæc conspicua *indicia* desunt, a bene perspectis antecedentibus extricari valet hujusce morbi diagnosis. Nil certi inferre licet de pulsu debili & intermittente, de anxietatibus, virium prostratione, sudoribus frigidis, &c. quibus stipatur; cum hæc symptomata omnes fere morbos respiciant. E dejectionibus nigris, ichorosis & fœtidissimis, si cætera præcesserint signa, facile colligitur, tubum intestinalem gangræna & sideratione, silentibus doloribus, infestari. Hac labe tacta prædicta viscera membranacea *dilacerationis* periculum incurrere sat abunde patet: nonnunquam enim ileum observasse memini ex hacce causa prodeuntem; a disrupto scilicet intestino foras prorumpebant alimentorum reliquiæ, quæ sensim in abdominis cavum aggestæ, inferiora intestina obruebant; hinc vomitus nulla arte sedandus, qui vitam ægris eripuit. Alium casum rariorem, nec minus horrendum nostris adversariis commisimus: versatur circa stomachi & proximioris diaphragmatis dilacerationem, qua ingesta, in pectus irruentia tantam intulerunt suffocationem, ut illico ad superos migraverit decumbens.

Gangræna interna cognitu difficillima, haud *curatu* facilior occurrit. Nemo nescit, roborantia, cardiaca, alexiteria & diaphoretica pluris haberi in foro medico adversus gangrænam externam: iisdem præsidiis impugnandam esse gangrænam intus re-

con-

conditam; rationi & experientiæ consonum videtur. Sed cæteris palmam præripiunt antiseptica, quibus, licet diversæ indolis, haud denegantur vires specificæ; etsi genuinum horum agendi modum haud in promptu est exponere. Selectiora & usitatiora audiunt camphora, cortex peruvianus, spirituque salis dulcis; quæ opportune exhibita, vel solerti manu tractata plures, ni ad ultimum gradum provectus morbus domari plane recuset, ab orco revocarunt. Sed raro, ut verum fateamur, proficue adhiberi queunt prædicta medicamina adversus labem, quæ clanculum insidiatur; nec priusquam altas egerit radices innotescit; quæ demum in plerisque, haud nisi post obitum, vel a *sectione cadaverum*, in apricum venit.

INSECTA ET CORPORA EXTRANEA.

De lumbricis, aliisque notissimis vermium speciebus in primis viis hospitantibus alibi seorsim agemus; non secus ac de vermibus cutaneis, qui præsertim infantes respiciunt, de quibus suo loco. Ideo de hisce *insectis multiformibus*, quæ passim occurrere queunt in corpore humano, nonnulla in præsentiarum tradere operæ pretium judicavimus; missis tamen forte innumeris, quæ oculorum aciem fugiunt. Cum grano salis accipiendas esse censemus innumeras propemodum, quæ de hocce argumento prostant observationes; cum pleræque a meris nebulonibus turpi lucro inhiantibus in medium adductæ fuerint, ut celebrarentur, & fatuorum admirationem sibi conciliarent: nec desunt mulierculæ, quæ subtili sane quidem artificio, portentosa fingunt, vel machinantur; ut mira de se narrentur. Hinc fit, ut difficile sit verum a falso extricare. Haud dubitare tamen licet quin progignantur *vermes*, vel *quædam animalcula* ipsis cognata in omnibus corporis viventis partibus. Delitescunt enim in cerebro, qui cephalalgiam atrociissimam, delirium, convulsiones, &c. accersunt. Summam sævitiem exercent aurium, sinuumque nasalium incolæ. Molestissimi evadunt, qui in bronchiis & pulmonibus progerminantur; ni cum sputo foras projiciantur. Inter rariores & nocentissimos recensentur reperti in ipsismet cordis ventriculis, auriculis & pericardio. Pro vulgatioribus habentur & minus reformidandis, nidulantes in hepate, liene, pancreate, mesenterio, renibus & vesica; non secus ac in variis tumoribus, folliculis, &c. Quod ad horumce insectorum formam & molem attinet, a tradita eorum historia constat, alia esse glabra, alia pilosa: nonnulla pedibus insident, qui cæteris negantur: ratione magnitudinis, ut plurimum exilia; alias ingentia deprehenduntur. Juxta demum varios Auctores, penes quos sit fides, nonnulla occurrunt, quæ millepedum, hirudinum, grylorum, scarabæorum, scorpionum, ranarum, lacertarum, anguium, &c. faciem sat accurate referunt. Notare expedit, miratu, inter hæc, digniora per vomitum aut sedes, uti ferebatur, foras prosiliisse; quod sane haud levem fraudis suspicionem movet. Insuper tenuiora alterius sortis animalcula deteguntur, non solum ope microscopii, sed etiam oculis nudis in sanguine, saliva, urina, &c. haud tamen reperiuntur hæc corpuscula viventia, si excipiantur vermiculi spermatici, in hisce laticibus recens eductis; sed post aliquam duntaxat moram, vel quamdam putrefactionem, observanda se præbent: hinc sequitur, haud talia extitisse, uti plures autumarunt, in vasis sanguineis, aliisque corporis viventis conceptaculis. Haud minus allucinantur, qui vermes crassiusculos per vulnus phlebotomo inflictum foras prorupisse testantur: sed incautis, vel circulatoriarum artium nesciis, arrident hæ fabulæ stupendæ: nec desunt, qui nænias venditare, & fidem præbere mendacio minime erubescunt.

Haud magis liquet de nonnullis historiis circa *lapides* & *corpora extranea* traditis: licet nullus sit ambigendi locus, quin hæc concreta passim occurrere queant in corpore humano; ut de calculo renum & vesicæ, de quibus suo loco, fileamus. Crebro deteguntur lapides in variis cerebri recessibus: sabulosa ut plurimum deprehenditur glandula pinealis; imo & totum cerebrum arenulis refertum nobis sæpius inter *rimanda cadavera* observasse contigit: quam vi-

vitiosam cerebri constitutionem haud exitium intulisse, pro certo habuimus. Sed calamitosi censeri debent lapides certæ molis in quavis cerebri parte reconditi; cum hinc emergant cephalalgiæ acerbissimæ, delirium, lethargus, vertigines, convulsiones, cæcitas, &c. Frequentiores sunt concretiones tophaceæ pulmonibus, bronchiisve impactæ, quæ tussis ope foras sæpius detruduntur, nec minus ominosæ censeri debent, cum concitent raucedinem & tussim indomabilem; spirandi difficultatem; hæmoptysim; aliaque symptomata, quæ tabem pulmonarem vel marasmum post se trahunt. Ipsummet cor etiam concretionibus lapideis circa valvulas sitis impeditur; e quibus emergunt, præcipue in senili ætate, cordis palpitationes & syncope.

Haud rarius obvii fiunt *lapides* in imo ventre: procreantur enim in contextu hepatis, præcipue in ejus ambitu; unde prodeunt dolores, aliaque phænomena variis morbis communia; adeo ut sæpius plane occultetur hoc ægritudinis genus: vel ne quidem in curantium mentem veniat. Pari ferme caligine obruitur concretionum biliosarum diagnosis; ni e vesicula fellea delapsæ ductum choledocum obturent, & liberum bilis fluxum præpediendo, colicam, ut inquiunt, hepaticam infligant. Nec in sola cystide fellea concrescunt prædicti pseudolapides; sed sæpius in tubo intestinali progerminantur, qui ad ovi columbini imo & gallinacei molem accedunt, & per podicem egeruntur. Alterius indolis nonnunquam deteguntur lapides in liene & pancreate: rarius comperiuntur in mensenterio; ni hoc nomine perperam insigniantur infarctus scirrhosi, qui lapidis duritiem quandoque æmulantur.

Numerosissimæ, ut propositum persequamur, prostant observationes circa *lithiasim* primarum viarum; quæ ut plurimum innotescit a lapidibus foras per os vel podicem prorumpentibus; sed cave fraudulentorum artes. De lapidibus genitis in testibus, vesiculis seminalibus, utero & placenta nullum subest dubium: haud minus constat, hos nonnunquam recondi intra corpus cellulosum, & ipsosmet musculos, nec vasa sanguinea immunia censeri debent. Porro concrescunt lapides in margine palpebrarum: in naribus, earumque cavernulis coacervantur; radici linguæ implantantur; cæteraque oris partes obsident. Erumpunt in nonnullis phthisicis sudores fabulosi: materia arthritica & rheumatica artubus impacta mere tophacea videtur. Postremo reperiuntur in tumoribus anomalis & quibusdam abscessibus corpora lapidea multiformia; non secus ac substantiæ osseæ & cartilagineæ; ibidem obvia fiunt *corpora extranea* deglutita, vel quovis alio modo corpori intromissa; acus nempe, clavi, globuli plumbei, nummi; semina plantarum, nuclei, spicæ, festucæ, fragmenta lignea, & vitrea; ossa deglutita, piscium spinæ, plumæ, &c. Omnem ferme fidem superant, quæ nonnulli narrant de cultris integris, fornicibus, cochlearibus, tridentibus escariis, aliisque consimilibus, in abscessibus quoque repertis. Mantissæ instar addere lubet, lapides etiam generari in diversorum animalium corporibus: innumera enim prostant in naturæ curiosorum musæis corpora bezoartica e capri-cervis orientalibus & occidentalibus, damis, aliisque quadrupedibus exoticis extracta: sua præbent bufones, serpentes & cancri fluviatiles: similia rarius reperiuntur in bove, ariete, equo, cervo, &c. ut de ægagropilis in boum & caprarum stomacho compaginatis fileamus. Nec desunt historiæ plantarum progerminantium in corpore animalium; quod ideo microcosmi instar recondere videtur rerum animalium, vegetabilium & mineralium rudimenta, quæ non solum sub variis circumstantiis evolvuntur; sed etiam incrementum sumunt. Hæc sunt ludentis naturæ phænomena, in quibus exponendis vires experiri vetat mentis humanæ tenuitas.

E præfatis colligere datur, arduam & intricatissimam esse multiformium affectuum ab insectis & corporibus extraneis soboleſcentium *curationem*, soli ut plurimum naturæ commissam. Opportunis sane præsidiis impugnari queunt insecta aures, sinus frontales, palpebras, dentes, &c. obsidentia: opportuno naturæ molimine foras deturbari possunt bronchiorum, stomachi & intestinorum, renum & vesicæ

ſicæ incolæ: ſed futilia ſunt artis & naturæ conamina adverſus animalcula cerebrum, cor, hepar, aliaque organa impervia laceſſentia. Idem ferme judicandum de lapidibus, aliiſque corporibus extraneis in diverſis corporis viventis partibus hoſpitantibus: equidem tuſſis ope exitum per tracheam nonnunquam ſibi parant concretiones pulmonum tophaceæ: urinæ impetui ſæpius cedunt exigui renum & veſicæ calculi: egreſſum largiuntur os & anus lapidibus, alteriuſque ſortis materiebus in primis viis nidulantibus: ſed nulla ferme ſpes affulget, ſi incarcerentur prædicta concreta in cerebro, hepate, pancreate, liene, &c. Haud tamen in ſingulis hiſce caſibus plane deſpondendum; cum experiri liceat vires tum anthelminticorum, tum incidentium lithontripticorum, quæ etſi ſuperando morboſo obici imparia eſſe videntur, nonnullam opem, faventibus naturæ viribus, præſtare queunt.

VENENA.

E TRIPLICI regno depromuntur *venena*, æque ac medicamina; & ſola adminiſtrandi ratione ab invicem diſcrepare videntur; quandoquidem *toxica* magis reformidanda, cicuta nempe, ſtramonium, œnanthe, belladona, ſublimatus corroſivus, cantharides, &c. quotidie a prioris notæ clinicis in uſum medicum, ſed refracta doſi trahuntur. Varius eſt venenorum gradus: miſſis, quæ ad animalium morſum, de quo alibi, ſpectant; alia deterrimæ indolis truculentiora excitant ſymptomata, quæ brevi, vel illico mortem inferunt; alia tardiora, haud niſi per aliquot elapſos dies, menſes vel annos ſuum effectum exerunt; adeo ut diu ſilentia, clancularias vitæ ſtruant inſidias hæc poſtrema; intricatiſſimumque ac lentum morbum metiantur, qui in dies recrudeſcit, donec exhauſtis viribus & abſumptis carnibus miſellos ægros jam ærumnis confectos ad ultimam rerum lineam ducat. E promptiſſimo & ſtupendo effectu, quem edunt utriuſque orbis Indorum ſagittæ, quodam veneno imbutæ, verſatiſſimos eſſe hoſce barbaros in hac nefanda arte facile intelligitur; abſit tamen, ut hanc exitialem induſtriam ipſis invideamus: mirari profecto ſubit hæcce tela venenata, præſertim bantamenſia, etiam poſt multos annos, levi inflicto vulnere brevi enecare. Quænam ſit genuina *venenorum indoles* arduum eſt inquirere: atque nil certi de hac re arguere licet e variis tentaminibus in animalium corporibus peractis; cum abſimilem effectum in diverſis animalibus præſtet unum & idem venenum: amygdalæ, verbi gratia, amaræ, & petroſelinum, quæ inter alimenta numerantur, aves enecant; quæ alias cicuta, uti fertur, & helleboro pingueſcunt. Cicutam etiam innoxie pabulantur ſues: tithymalus, quem avide depaſcunt capræ, piſcibus, hominibuſque eſt exitialis: inter toxica canum, aliorumque animalium domeſticorum jure recenſetur nux vomica, quam tamen alexiterii inſtar nonnulli exhibent, ut alia forte innumera hujuſce phænomeni exempla ſilentio prætermittamus.

Sat dilucide patet *nonnullorum venenorum natura*, pulverem vitri, cryſtalli & adamantis modo mere mechanico ſuum effectum exerere; anguloſis ſcilicet fragmentis, quaſi totidem pugiunculis, ventriculi tunicas vulnerare & perfodere, pronum eſt arbitrari: arſenicum & auripigmentum, ſublimatum corroſivum, viride æris, cantharides, &c. acria eſſe corroſiva haud falſo conjicitur: nullum eſt dubium, quin ſpiritus nitri, ſulphuris, aluminis & vitrioli, acidorum cauſticorum claſſem ſubeant: liquet porro ſtramonium, hyoſcyamum, mandragoram, ſolanum, belladonam, &c. narcoticorum gradum conſequi. Satis ſuperque compertum manet, prima, vel cauſtica, præcipuam perniciem exercere in ſtomachum & inteſtina; alia vero narcotica, ſuam labem inferre ſanguini & humoribus. Sed haud liquido conſtat agendi modus cicutæ, œnanthes, aconati, laurocerafi, fungorum, variorum vegetabilium, quæ in toxicorum agmine locum habent: ut ſileamus de animalium rabidorum, viperæ, ſerpentis caudiſoni, tarantulæ, ſcorpionis, bufonis, aliorumve conſimilium veneno, cujus indoles atra caligine obvolvitur. Aliud dubium angit clinicos; num ſcili-

cet hoc vel illud venenum a ſceleſtis porrectum fuerit; quod tamen noſſe magni refert, ad opportuna exhibenda remedia: ſæpius enim poſt accuratiorem indaginem, nil præter conjecturas aſſequi licet; cum e ſignorum, ab effectibus deſumptorum, quotquot adſunt, ſyndrome, nil certi de intus aſſumpti toxici natura inferre liceat.

Plura ſane quidem erui poſſunt e relatu ægrorum & adſtantium circa indolem veneni fortuito, errore vel incuria hauſti: ſed aliter ſe res habet ſi incuſentur male ambulans fides, & nequitia, vel patrati ſceleris opus: cum in hiſce anguſtiis nihil præter ſuſpiciones profari liceat. Attamen veneficium cujuſvis ſortis *numeroſiſſimis ſignis* ſe prodit; cephalalgia nempe, vertigine & viſus obtenebratione, oculis torvis e delirio, tremore & convulſione; labiorum, linguæque intumeſcentia & nigredine; reſpiratione interrupta, cordis anguſtia, palpitationibus & lipothymiis; anxietatibus, ſingultu, dolore æſtuante ventriculi, torminibus, vomitu, paſſione iliaca, cholera morbo, dejectionibus cruentis, hypochondriorum inflatione, &c. pulſus interea debilis, obſcurus, intermittens, tremulus vel convulſivus obſervatur: porro obruuntur vires, vel plane deficiunt; torpent artus & algent; erumpunt ſudores frigidi; totum corpus tumidum evadit; cutis maculis gangrænoſis ſignatur; nigreſcunt ungues, &c. ſed hæc *indicia* omnibus ferme toxicis, cujuſvis ſint naturæ, congruere videntur: hinc alia indaganda veniunt, quæ veneni naturam dilucidius prodant; quæ ſic ſe habent. Ardor œſophagi & ventriculi, faucium inflammatio, ſitis ardens, cruciatus interaneorum, ſedes cruentæ, ileus, cholera, ſyncope, &c. toxicorum, tum acrium, tum acidorum, vel aquarum ſtygiarum effectus audiunt. Vertigo, lethargus, delirium cum furore, convulſiones, nauſeæ, vomitus, &c. veneni narcotici haud infida ſunt indicia.

Hiſce generalibus nonnulla addere juvat circa cicutam & fungos noxios, quæ ſæpius noſtro victui, errore lethifero immiſcentur. *Cicuta*, quæ nunc pro radice paſtinacæ; nunc pro foliis petroſelini, ob ſimilitudinem, ab incautis habetur, innumera & procelloſa movent ſymptomata; inter quæ frequentius occurrunt totius corporis ſtupor, nonnunquam ſubitaneus; vertigines, viſus obnubilatio, delirium, virium defectus, convulſiones, vomitus, ſingultus, æſtus & dolor interaneorum; regionis epigaſtricæ intumeſcentia, ſanguinis ex auribus profluvium, oris ſpuma, &c. Hinc intelligitur noſtram cicutam toto cælo diſcrepare ab illa veterum; quæ mere narcotica mortem blandam inferebat: cum noſtra, anneunte Weppero, præcipuam actionem exerceat erga ventriculum, e quo vellicato, inflammato, atque eroſo; immo & eſcharam ſectione anatomica exhibente, atrociora emergunt ſymptomata. *Fungi* venenoſi, quos cavere debent, qui cupediis delectantur, tardius vel poſt diem integrum virulentiæ notas exhibent; quarum ſpectabiliores ſunt nauſeæ & vomitus horrendus, cholera, ſanguinis ejectio cum fæcibus & lotio, cardialgiæ, tormina, ſitis intenſior, mentis perturbatio, pectoris anguſtia, inflatio hypochondriorum, aortæ vel cœliacæ vibrationes inſolitæ, anxietates, virium lapſus, pulſus creber, humilis, depreſſus, &c.

Sed ſilentio minime prætermitte re debemus, quod hæc *tradita ſigna* cicutam, fungos, aliave toxica reſpicientia, *haud in omnibus ſimilia* ſe proferant: etenim ratione doſis, materierum ingeſtarum, quibus immiſcentur, aliarumque innumerarum circumſtantiarum, diverſas obtinere vires evidens eſt. Præterea vomitu promptiori, vel tardiori, alvo plus vel minus ſoluta, major, minorve materiæ virulentæ pars eximitur; foraſque deturbatur: hinc minime mirum, ſi ſymptomata imum ventrem reſpicientia nonnunquam mitiora & obſcura evadant. Idem eſto judicium de hac veneni cujuſvis parte, quæ parciori vel uberiori proventu ad ſanguinem per vaſa lactea appellens, nunc circulationis organis ſubigitur, & per diverſa corporis incerniculæ foras elutriatur; nunc ſanguini intime ſociatur, & a ſuis compedibus ſolvi neſcia nervos ſenſim lædit; hinc torpores, paralyſes, contracturæ, aliaque chronicorum ſymptomata, quæ ægros in vitæ diſcrimen trahunt. Hæc non ſolum de cicutæ & fun-

& fungis virulentis; sed etiam de omnibus aliis toxicis intelligi debent; in quorum censum revocari debent lithargyrus, qui ad edulcorandum immaturum vinum pessimo more usurpatus, summa perniciem inferre solet; & ærugo, quam excipiunt edulia in vasis æreariis parata, e quibus emergit colica pictorum vel saturnina, de qua suo loco.

Superest ut breviter recenseamus signa, quæ ab *autopsia anatomica* desumi solent. Corpora veneno peremptorum ut plurimum tumida observantur; abdomen præcipue ultra modum inflatur; cutis & ungues maculis atro-lividis defœdantur: lingua nigricans & tumens extra os plerumque exeritur: vix hærent capilli, &c. Reserato abdomine conspiciuntur stupendæ tubi intestinalis dilatationes, totidem strangulationibus, si sic loqui fas sit, finitimæ. Passim occurrunt phlogoses, erosiones & gangrænæ. Œsophagus, stomachus & intestina in nonnullis se præbent inflammata, livida, hic & illic erosa, sphacelata, multifariam hiulca; atque haud citra laceration em contrectanda: ac post plures elapsos a veneno annos, conspicitur ventriculus contractus & durus, excrescentiis fungosis intus exasperatus. Hepar nonnunquam deforme, contractum & quasi adustum, vel necrosi correptum deprehenditur. Insuper deteguntur exulcerationes in renibus & vesica. Maculæ demum, quæ spisso agmine omnes partes obsident, lividæ & atro-rubentes oculis subjiciuntur: quibus addere licet colluviem gelatinosam, nigram & putrem in cerebri ambitu & receptaculis. E collatis hisce notis cum prægressis symptomatibus; omnibusque rite pensitatis & trutinatis, quidpiam certi circa latentem interitus causam eruere licet; quod pro forensi renuntiatione dilucidis verbis experiendum incumbit; ne decipiantur rerum capitalium judices.

Ex eo quod ingens sit toxicorum diversæ sortis numerus, facile infertur, diversam esse illa impugnandi methodum. Omnia *medicamina* adversus venena adhibita huc attexere, futile & fastidiosum opus: quare selectiora duntaxat tradere operæ pretium judicavimus. Hæc sub *tribus classibus* comprehendi queunt; quarum *prima* exhibet *emetica*, cæteraque primas vias evacuantia; quæ festinanter vel opportuno tempore hausta genuinum morbi fomitem foras expellere valent; & sic ægros ex orci faucibus quasi eripere. Ad venena præsertim narcotica, præsentaneam opem ferunt hæc evacuantia; nec minus proficue adhiberi queunt adversus venena corrosiva; dummodo celeriter & nulla interposita mora exhibeantur; priusquam scilicet venena certam stomacho intulerint labem, qua horrendus concitatur vomitus. Itaque obvium fit frustranea fore in hoc casu emetica; quæ currenti, ut inquiunt, calcar adderent: ni concitaretur vomitus oleo, butyro fuso, vel pharyngis titillatione. Nec posthabenda est venæ sectio, si vires ferant: curatio præsertim a sanguinis missione est auspicanda, si incusetur opium; si sæviissimi dolores imminentem inflammationem denuntient, ad quam declinandam nil sane quidem non movendum: nec vetatur illud præsidium procedente morbo, si urgeat necessitas: sed haud nisi summa adhibita cautela sanguis est educendus per totum morbi curriculum; ne ingruente gangræna fatum acceleretur: quod pluries accidisse testantur historiæ.

Secunda classis colligit *diluentia*, refrigerantia & *demulcentia*; in quorum censum veniunt aqua sincera tepida, vel succo limonum, alterove cognato, imprægnata; quæ acida vegetabilia præcipue conferunt ad venena narcotica: emulsiones, aqua pulli vel vituli, decoctum althææ & orizæ; lac, butyrum, mel, olea & jusculæ pinguia; quorum postremorum beneficio irretiuntur & obvolvuntur moleculæ acriores; vel tanquam injectis vinculis detinentur & figuntur. Suam symbolam etiam conferunt enemata e lacte, decocto omasorum, butyro, oleo, melle, &c. parata. Id genus remedia, quæ adversus omnia venena haud improspere usurpari solent, longe efficaciora censeri debent, experientia teste, contra aquas stygias, vel venena acria, stimulantia & corrosiva, quorum spicula a substantiis viscidis pinguibus & oleosis obvolvi queunt. Per transennam notare juvat, nil sero lactis magis aptum natum esse ad retundendam cantharidum, a perditissimis

ſcortatoribus intus aſſumptarum, virulentiam. Diluentibus & demulcentibus addere licet hypnotica, quæ haud inutilem opem præſtant, urgentibus acerbiſſimis cruciatibus, poſt aſſumpta venena acria vel acida; dummodo primæ viæ debitis evacuantibus antehac expediantur. Neminem poſtremo latet quanta ſit efficacia ſalis tartari, lapillorum cancrorum fluviatilium, aliorumque abſorbentium; ubi veneni acidi virulentia eſt impugnanda; quo in caſu demulcentium vires explere manifeſtum evadit.

Tertia claſſis reſpicit *cardiaca*, alexiteria & diaphoretica; inter quæ principem locum obtinent, theriaca, orvietanum, mithridatium, & diaſcordium; allium, pulvis viperarum, ſalia volatilia, &c. Nonnulli addunt bezoartica, olim celebratiſſima, quorum uſus jamdudum, nec inconſulto, exolevit. E præhabitis tamen colligere datur, parum proficere adverſus venena acria hæc alexiteria medicamina, etſi ab agyrtis & circumforaneis decantatiſſima, ab inſcia plebe comprobantur: quibus ſane deleteria horumce venenorum vires intenduntur; nedum ipſis reluctentur. Nemo neſcit poſtremo, quid valeant acetum, & ſpiritus volatiles naribus admota; non ſecus ac enemata ſtimulantia, præmiſſis ſolitis evacuationibus, contra venena narcotica; vel ipſummet opium, quod largiori doſi hauſtum haud infimum gradum inter toxica ſibi vindicat.

Nonnulla, ut incepta proſequamur, circa cicutam & fungos venenatos ſeorſim tradere expedit. Itaque nil urgentius eſſe debet clinico poſt eſum *cicutæ*, aliarumque conſimilium plantarum, olerum faciem præ ſe ferentium, quam vomitum & catharſim haud cunctanter promovere. Sæpius etiam conducit venæ ſectio; ſi, uti jam innuimus, nil obſtet: vinum, cæteraque alexiteria plures fauſto bearunt eventu: ſed omnibus prælaudatis remediis forte antecellunt diluentia, refrigerantia & demulcentia, quæ uti pluries inculcavimus, ſingulis toxicorum ſpeciebus congruere videntur. Quod ad *fungos* attinet, licet intricatiſſima ſit eorum natura, ab effectibus tamen mox adductis, & a juvantibus remediis, materia acri & ſtimulante pollere, proclive eſt arbitrari. Hinc miris laudibus jure efferuntur aqua pulli, infuſum althææ, lac, butyrum, oleum, aliaque demulcentia, adverſus venena corrodentia uſurpari ſolita: fauſte adhibentur cathartica blandiora, enemata laxantia; fotus emollientes & balnea: quibus præmiſſis, ſedatiſque truculentioribus ſymptomatibus, ad cardiaca & alexiteria devenire nil vetat, quæ alias intempeſtive adhibita noxam inferre ſolent. Mantiſſæ inſtar addere luber, nonnulla eſſe venena, ſublimatum nempe corroſivum, cicutam, belladonam, ſtramonium, aconitum, ſolanum, &c. quæ paucis abhinc annis in uſum medicum trahuntur a nonnullis Medicis primi ſubſellii, haud ſane improſpero ſucceſſu: ſed num hæc remedia, etſi conducibilia, ſi ſolertiorum manu pertractentur, omnibus obviis, vel vulgo Medicorum, Chirurgorum & Pharmacopæorum, tuto committi poſſint; ſanioribus politicis examinandum relinquimus.

SECTIO II.

DE MORBIS INTERNIS CAPITIS.

VERTIGO.

Inter morbos qui ſacram Palladis arcem aggrediuntur, nullus ſane vertigine familiarior. Hic affectus nonnumquam idiopathicus, & ſignis cerebrum reſpicientibus ſtipatus; in pleriſque alterius ægritudinis ſymptoma audit. Objecta in quibuſdam videntur circumvolvi, vel in gyrum verti; in nonnullis murmur inſonat auribus, veluti delabentis cum ſtrepitu fluminis; vel tanquam ventus vela percutiens; aut ſtridor plauſtri currentis: in aliis viſus obnubilatur; multi vero de utroque phænomeno queruli, pedibus ſtantes titubant; vel in terram nutantes concidunt, ni

ni ſibi caveant. Hinc prodit *vertiginis diviſio* in ſcholis acceptiſſima, ſed a ſanioribus practicis poſthabita, in gyroſam ſcilicet, tenebricoſam vel caliginoſam, & titubantem vel caducam; quæ nil aliud ſunt, quam gradus unius & ejuſdem morbi: miror ſane hiſce tribus commentitiis ſpeciebus, quartam, nempe ſoporoſam non adjeciſſe Auctores; qua, ſane haud raro, ægri ſenſibus aliquantiſper orbantur.

Nemo neſcit vertigini *obnoxios* eſſe hypochondriacos; ad cordis palpitationes & flatulentiam pronos; æque ac mulieres hyſtericas & utero gerentes. Ad hanc vergunt litteris addicti, & meditationibus profundis indulgentes; in otio recumbentes, & quorum alvus eſt adſtricta; inedia exhauſti; non ſecus ac helluones & vino dediti, qui mane duntaxat & jejuno ventriculo, hoc morbo liberantur. Attingit cælibes & ab omni ſalacitate plane alienos; nec parcit admiſſariis, vel qui impuberes veneri petulantius ſe addixerunt. Hanc accerſunt profluvia ſanguinis immodica, vel conſuetorum ſuppreſſio, ſaburræ in ventriculo nidulantes, flatulentia, vermes, &c. inſuper contrahitur a largiori liquorum ardentium potu; a pane loliaceo, a tabaco funali forma compacto & pro naribus craſſiuſcule trito; ab ejuſdem fumo fiſtula congrua hauſto; ab aere, vapore carbonum inquinato; ut de lapſu ab alto, de capitis vehementi percuſſione, inſolatione, &c. ſileamus. Vertiginem demum fugacem patiuntur, qui diu intentis & fixis oculis quid conſpiciunt; qui iram acerbiorem concipiunt; qui in loco præcipiti, ac lubrico verſantur; qui in aquarum vortices; amnem præcipiti curſu labentem, oculorum aciem defigunt, &c.

Imminentem vertiginem nonnunquam denuntiat dolor capitis gravativus: hanc concomitantur tinnitus aurium, nauſeæ & vomitus, virium lapſus, &c. Inſultum apoplecticum, imo & epilepticum, breviſſimum ſane, haud raro æmulatur vertigo: tanta præterea eſt inter prædictos morbos affinitas, ut ſæpius in juvenili ætate, vertigo epilepſiæ ſit prodromus; atque in ſenio, affectum ſoporoſum, apoplexiam vel paralyſim nonnunquam prænuntiet vertigo idiopathica, vel ſedem habens in ipſomet ſenſorio communi; præſertim ſi paroxyſmi ſint longiores & crebrius recurrant. Addere tamen lubet, ut meticuloſorum mentem componamus, inanem ſæpius terrorem incutere vertigines chronicas & increbreſcentes; cum plures noverim ætate provectos, qui viginti vel triginta abhinc annis; imo & a pueritia, incolumi alias ſanitate, cum vertigine luctabantur. Quoad vertiginem ſymptomaticam, vel ſympathicam cujus cauſa alii parti hæret, morbi primarii habenda eſt ratio, ut recta inſtituatur *prognoſis:* eam vero quæ a cauſa fugaci & facile amovenda ortum trahit, ne minimum quidem portendere periculum ſingulis patet. Alias minus eſt pertimeſcenda vertigo, quæ corporum circumgyratione ſe prodit, quam ſoporoſa, quæ apoplexiam minatur.

Ex *obſervationibus anatomicis* colligitur, cerebrum in ſuis anfractibus & plicis ſeroſam vel cruentam recondere colluviem: hac præſertim repletur hic receſſus, qui, ſub tertii ventriculi titulo, innoteſcit. Comperiuntur in pleriſque hydatides plexui vaſculoſo, ſanguine ut plurimum tumido, adnatæ; quæ nonnumquam humore ſubnigricante madent. Carotides in quibuſdam oſſeam duritiem contraxerunt. Tumens & quaſi carcinomatoſa ſe præbet glandula pinealis. Paſſim occurrunt purulentiæ & putredinis notæ, non ſolum in ipſa cerebri compage; ſed etiam in ejus involucris. De vermibus, lapidibus, aliiſque corporibus extraneis nil addimus; cum innumeros alios morbos reſpiciant. Deteguntur in reſerato pectore pulmones tuberculoſi & putridi, cordis dilatationes, valvulæ concretionibus oſſeis vel lapideis impactæ, & coagulationes, ut inquiunt, polypoſæ intra cordis thalamos, auriculas, majoraque vaſa, quaſi ad proplaſma fictæ; quibus addere licet hydropem pericardii. Abdomen exhibet ventriculum & inteſtina, quæ morbi mineram ſæpius recondunt, flatibus turgida, maculis lividis ſignata, occalleſcentia, &c. viſcera inflammata, obſtructa, a nativo colore recedentia, corrupta & diverſimode labefactata; veſiculas ſeminales ultra modum dilatatas, putridas, aliove vitio tactas, &c.

Ab omni *curatione* abſtinere præſtat, ſi vertigo a cauſa evidente & fugaci ortum ducat:

ducat: alias tum in ſymptomatica, tum in idiopathica, ad præſidia medica devenire licet; ſed morbi fomite in obſcuris ſæpius latente, ardua & intricatiſſima eſt horum adminiſtratio; adeo ut a juvantibus & lædentibus ut plurimun dirigatur hæc curatio; ni ſola & congrua vivendi ratione penitus abſolvatur. Venæ ſectio, præſertim ſaphenæ, juvenibus & plethoricis ſæpius proficua cenſetur; ac multo magis ſi ſufflamineutur catamenia vel hæmmorrhoides; idem præſtant hirudines ano admotæ: alias morbum exaſperare ſolet quævis ſanguinis detractio. Præſentaneam opem ferunt emetico-cathartica, quæ foras deturbando ſordes in ſtomacho & inteſtinis retentas morbi fomitem ſæpius impugnant: haud ſingulis tamen congruit vomitus: cauteque moveri debet in flatulentis. Rite depleto ſtomacho, hujuſce organi viribus proſpiciendum; ad quod opus jure deprædicantur ſtomachica ex aromaticorum, amaricantium & abſorbentium claſſibus deprompta; quorum uſitatiora audiunt acorus, enula campana, cortex peruvianus, gentiana, fumaria, & abſinthium; ſal tartari, corallum, &c. Parum a prædictis diſcrepant cephalica & antiſpaſmodica, quæ etiam prodeſſe queunt inculpato cerebro; hæc ſunt ſalvia, betonica, meliſſa, mentha, valeriana ſylveſtris; flores tiliæ, calendulæ, lilii convallium; cinnabaris antimonii, mithridatium, &c. quæ omnia colophonem curationi imponere ſolent. His obſecundant & forte palmam præripiunt diluentia; aqua ſcilicet ſimpliciſſima, vel materiebus vegetabilibus congruis non nihil imprægnata; ſerum lactis, aquæ minerales frigidæ & thermales; Vallenſes nempe & Sedlicenſes, Bellilucanæ, Plumberianæ, &c. Porro aliquid ferre poſſunt auxilii millepedes, gummi ammoniacum, martialia, ſaponacea, aliaque aperientia; quæ obſtructa viſcerum abdominalium vaſa reſerando, frequentiori vertiginis cauſæ medentur. Nec deſpicienda ſudorifica, antiſcorbutica & depurantia, quæ pro re nata & circumſtantiis proficue adhibentur; guaiacum præſertim multis profuiſſe teſtantur hiſtoriæ. Plures demum vertiginem præcavent tantillum comedendo; uti pluries in praxi obſervavi.

Omnia demum *medicamina*, apoplexiæ & epilepſiæ dicata, congruere videntur vertigini; haud inconſulto tamen in uſum ſunt vocanda; cum curatio in variis vertiginis ſpeciebus opportuno regimine; vel uno aut altero cathartico abſolvatur. *Paroxyſmum* cohibent odor aceti acerrimi, vel diverſarum materierum graveolentium; vapor ſalium, ſpirituumque volatilium; fumus plumarum & veterum coriorum; vel injecta enemata ſtimulantia: nonnullis prodeſt fumus ſalviæ & roris marini, fiſtula, ut inquiunt, tabacaria hauſtus, &c. Ex obſervatis conſtat, ſaluberrimum quandoque fuiſſe ſpontaneum muci narium profluvium; hinc patet, cur proſint ſternutatoria; egregiamque opem conferant ſalivantia. Nec exiguam laudem merentur frictus in dorſo, vel artubus inferioribus celebrati; pediluvia, balnea domeſtica, &c. Cæterum veſicatoria, ſetacea, & cauteria inter exquiſitiora præſidia recenſentur; ſed vertiginem duntaxat idiopathicam reſpiciunt. Symptomatica vero aliis telis eſt impugnanda; nec hilum proficitur, ni curandi ratio ad primarium morbum dirigatur; quo noto (ſed hoc opus, hic labor eſt) medicamina in hunc ſcopum efficaciora e jam traditis eruere licet.

APOPLEXIA.

UTrorumque ſenſuum, motuumque voluntariorum abolitione, incolumi reſpiratione, & illibata cordis actione, *innoteſcere* huncce truculentum morbum a multiplici cauſa oriundum, neminem ferme latet. Nonnulli hoc ſubito perculſi, vel quaſi fulmine tacti, ſui inſcii concidunt; alias ſomni profundi inſtar invadit, & ſuos habet prænuntios hic affectus; qui nunc infrequens eſt, nunc epidemice graſſari videtur. Licet *apoplexia* ſuis ſignis ſe proferat, & hinc facile ab affinibus diſtinguatur; varii tamen affectus, præceps etiam exitium afferentes, ab incautis vel inexpertis latiſſimo apoplexiæ vocabulo inſigniuntur: quem errorem quotidie prodit *ſectio cadaverum*, qua patent varia cordis, pulmonum, ſtomachi, &c. vitia, quæ inculpato cerebro promptiſſimam, & inexpectatam necem fovent. Præterea ad apople-

plexiam proxime accedunt ultimus vertiginis gradus, nonnulli insultus hypochondriaci & hysterici, affectus comatosi febrium malignarum prodromi, syncope, catarrhus suffocans, &c. porro pro apoplexia sæpissime & perperam habentur effectus commotionis cerebri, insolationis, ingluviei, & ebrietatis, venenorum, fumi carbonum; vel vehementiorum animi pathematum; tum lætitiæ immoderatæ, tum mœstitiæ & desperationes inexpectatæ, &c. quæ sunt totidem *causæ mortis subitaneæ;* sed diversa est harum accessionum ratio, quarum antecessus, progressus & exitus, bene perspecti, praxi edoctos ab omni errore vindicant.

Apoplexiæ sane cognatus videtur vertiginis soporosæ paroxysmus; sed brevior; mitiorque censeri debet. Convulsiones sat perspicuæ præeunt, vel sequuntur affectus comatosos, hypochondriacos vel hystericos. Difficilius *distinguuntur insultus soporosi*, a quibus exordium capiunt quædam febres mali moris, ni præcesserint soliti febris prænuntii; sed ægri temperies, pulsus contractus, & quædam spirandi difficultas, febris ineuntis suspicionem movent; quæ demum brevi se sistens in propatulo, omne dubium solvit: notare tamen expedit, quod invasio illa comatosa & febrilis haud raro hemiplegiam, genuinum apoplexiæ signum, post se trahat; tam difficile est genuinum *morbi characterem* extricare. Dilucidius se profert syncope, pulsu scilicet obscuro, vel plane deficiente, respiratione vix conspicua, fœdo vultus pallore, &c. A notis antecedentibus, de quibus infra, distingui potest catarrhus suffocans ab apoplexia; sed sæpius, ut verum fatear, Œdipo opus esset. E relatu demum adstantium constat num morbus soboleſcat a capitis percussione, ab ardore solis, crapula, veneno, vapore carbonum, &c. Cæterum mos invaluit, ut hic convulsionum lethalium exitus, vel hæc omnium partium subsidentia, quæ in obitum vergit, pro apoplexia haberetur: num recte, solertioribus examinandum relinquimus.

Ex infra tradendis observationibus *e cadaverum acervo* desumptis colligitur, *triplicem* esse *apoplexiam*, nempe *sanguineam*, *serosam* & *accidentalem*. *Primam* oriri ab stasi sanguinis in cerebro, tam intra vasa, quam extra sua receptacula, pro comperto manet. Huic speciei, cæteris frequentiori, obnoxii censentur plethorici, vel temperie sanguinea præditi, laute victitantes & obesi, quorum cervix brevior videtur: hanc accersunt assuetorum profluviorum sanguineorum cessatio; non secus ac vehemens ira, aliaque graviora animi pathemata: hanc demum apoplexiæ speciem caveant a quadragesimo ad sexagesimum ætatis annum, qui quamdam huic proclivitatem a parentibus contraxerunt.

Apoplexia serosa a laticis aquosi, vel pituitosi stagnatione in variis cerebri recessibus nomen mutuatur; sed hæc eluvies serosa in multis etiam morbis, nulla accedente apoplexia, comperitur; hinc objicere licet, merum esse productum morbosum, cujus causa versatur in atonia vel concidentia cerebri. Ad hanc speciem (quam prodit faciei livor, & in quibusdam spuma circa os; ac nonnunquam concomitatur convulsio oculorum, aliarumve partium; licet respiratio liberius exerceatur, quam sub sanguinea,) proclives existimantur phlegmatico temperamento donati, senio confecti & desipientes; æque ac in otio recumbentes, cum ingenio tardo; quibus addere licet scorbuticos & arthriticos. Hanc etiam inferre queunt somnus ultra naturæ metas protractus, usus immodicus tabaci naribus excepti; ischuria renalis chronica, veterum ulcerum exsiccatio, sputorum consuetorum suppressio, sudoris pedum retrocessus, &c.

Tertia apoplexiæ *species*, vel accidentalis, a quavis alterius ordinis compressione cerebri soboleſcit; quem effectum exerunt tumores vel abscessus, cujuscumque laticis stagnatio, ossa cranii depressa, vel e propria sede dimota, &c. Hanc demum promovent casus ab alto, vehementiores capitis contusiones, vulnera, &c. Hinc perspicuum fit, multum ab invicem discrepare prædictas apoplexiæ species; quæ licet inter *rimanda cadavera* luce clarius pateant, ægre sæpius, vel ab exercitatissimis practicis, ante obitum distinguuntur. Itaque haud nisi ab apprime notis antecedentibus, ætate, temperamento, aliisque circumstantiis, eruere licet horumce morborum,

rum, solo exitu consimilium, accurata *diagnosis*.

Inter *apoplexiæ* cujusvis tituli *prodromos* numerantur dolor capitis gravativus, temporum, alterutriusve oculi; vertigines, reminiscentia læsa; membrorum torpor, fletus involuntarii, aurium tinnitus, oris distorsio, labiorum tremor, loquela impedita, dentium inter somnum stridor, extremorum frigus, arthritis anomala, &c. Omnium functionum animalium, ac motuum voluntati obsequentium cessationem, remanentibus muniis vitalibus, cujusvis *apoplexiæ characterem* exhibere jam supra inculcavimus: sed addere juvat, quod, procedente, vel ingravescente morbo, pulsus sensim obliteretur, & pectoris motus vix percipi valeat; adeo ut nonnulli jacentes immoti pro mortuis habeantur; & sepulturæ tradendis, haud citra piaculum, relinquantur. Hæc sunt *indicia* spectabiliora, quæ apoplexiam in genere produnt; sed cuique speciei congrua superest ut tradamus.

Apoplexia sanguinea, quam vernaculo idiomate vocant *coup de sang*; repente ut plurimum invadit: nonnulli hac perculsi inter cadendum ejulant. Facies rubore perfunditur; oculi semiaperti solito splendore destituuntur: respiratio paulum impedita, cum stertore & sibilo sæpius exercetur; pulsus altus & validus observatur. Paralysis in quibusdam se prodit ineunte morbo; vel non nisi pluribus elapsis horis, vel diebus, invadit: in variis haud integra fit sensuum abolitio; adeo ut plures suas cogitationes nutibus exprimere queant; atque compellati audiant, & alloquentes intueantur. Nonnulli apoplectici mente constant, & se magno morbo corripi subito exclamant; dum artus & lingua paralysi tentantur. Nonnunquam demum evenit, ut sub apoplexia sanguinea ad lethum properante, dentibus strideant, vel convellantur ægri. Sopor *apoplexiam serosam* plerumque denuntiat; qua vigente, facies, venis vix conspicuis, pallore afficitur; respiratio difficilior evadit, cum roncho vehementiori. Pulsus depressus, inæqualis & intermittens deprehenditur; nonnulli denique ad obitum vergentes spumas ore agunt. Sed prædictæ notæ in ancipiti versantur, inextricabilesque se proferunt, si apoplexia utriusque cauſæ, staseos nempe sanguineæ, & serosæ colluviei, sit particeps; quod in nonnullis *cadaveribus* compertum fuisse, nullus ambigendi locus. E prægressis erui potest apoplexiæ accidentalis diagnosis, si a causa evidente & notissima ortum trahat; sed in obscuris latet, si a tumore, aliove cerebri vitio processerit.

Hæc omnia, intricatiora dum vita agitur, luce clarius patent post obitum. Itaque *cadavera apoplexia sanguinea raptorum*, priusquam asseri imponantur, multum cruoris ex ore & naribus effundunt: cultro anatomico subjecta exhibent vasa, cerebrum, ejusque involucra irrigantia varicosa & aneurismatica, ultra modum repleta, & concretionibus, ut inquiunt, polyposis infarcta, plexum choroidem tumentem & varicosum, sæpius laceratum & inanem; cujus varices magnos uvæ acinos haud raro æquant; carotidum & vertebralium disruptionem; cruorem extra vasa emissum, stagnantem in ventriculis, sub meningibus & intra propriam cerebri substantiam, quæ hinc solvitur, & quaquaversum dimovetur, ab excavatis cavernis circa medullam oblongatam, cerebellum & medullam spinalem. Sed hæ sanguinis effusiones aliam sæpius, præter plethoram, prosapiam ducere infra dicemus. Ingurgitantur etiam in plerisque pulmonum vasa, quæ hinc post interitum disruptionem sæpius patiuntur; unde fit, ut sanguis in multis cadaveribus per os & nares, uti notavimus, prosiliat: porro caput hoc morbo extinctorum supra modum sæpius tumet. Reperiuntur in *apoplexia serosa extinctis* cerebrum uvidum & flaccidum, vel in sese collapsum, ac aqua obrutum: ventriculi capacissimi sero nunc limpido, nunc cruento turgidi: eadem se præbet colluvies inter utramque meningem: hæc præsertim uberiori proventu colligitur ad basim cranii, atque in quibusdam circa medullam spinalem fluctuat. Hæc materia per prædictas partes diffusa nonnunquam visciditatem contrahit, & gelatinæ instar, quæ circa vasa præsertim colligitur & pellucida apparet, se offert. Plexus choroides ut plurimum decolor varias appensas hydatides ostendit, quarum nonnullæ ad avellanæ magnitudinem

nem accedunt: vasa annotantur plus sero & aere, quam sanguine turgida; & glandula pituitaria marcida: occurrit demum in nonnullis, vegetis dum viverent, temperieque sanguinea præditis, diluvies, uti jam innuimus, partim aquea, partim sanguinea. In *apoplexia accidentali sublatis* vitia spectabiliora deprehenduntur, nempe tumores molles vel ossei; abscessus, erosiones, ulcera sinuosa; pus metastasi collectum intra ventriculos, & putriditates; hydatides & folliculi, ovum gallinaceum nonnunquam æquantes; sero subluteo vel cruore atro & grumoso turgidi; glandula pinealis mole amplissima; varia corpora extranea; ossa depressa, falcis ossificatio; corpus striatum emarcidum; arteriæ carotides & vertebrales osseam duritiem referentes: vasa præter modum flatulenta; materies nigricans instar fuliginis, circa ambitum cerebri, &c. quibus addere licet stagnationes serosas, sanguineas & purulentas, quæ prosapiam habent, a mox adductis causis alienam.

Neminem practicum fugit, apoplexiam spontaneo naturæ motu sæpius solvi, nunc salivæ fluxu, nunc hæmorrhagia; absque alia quacumque notabili evacuatione. Hemiplegia, quæ in plerisque apoplexiam presso pede sequitur, sæpius, ingruente apoplexia, se prodit; imo & nonnunquam illam antecedit; sed raro post quartum a primo insultu diem accidit. Haud *mortem minatur* hæc paralyseos species, & plerumque sponte, vel quocumque medico auxilio evanescit. Secus evenit de paralysi universali; quæ omnem curam vincens ægros serius ocyus in orci fauces trahit. Nullam demum occurrere apoplexiam, quæ quamdam paralyseos speciem haud inferat, nonnulli, inter quos eminet Baglivius, asserunt; sed refragatur experientia. Pulsus plenus & æqualis, atque respiratio libera, faustum pollicentur exitum: sed quo magis ab statu naturali recedunt cordis & pulmonum munia, *periculosior* censetur apoplexia. Res est etiam periculosæ aleæ, si impediatur deglutitio; si adsit stertor. Lotium cruentum vel vinosum mortem imminentem indicant. Ingruens demum febris, procedente paroxysmo, pro salutari habetur. Omnes rei medicæ scriptores asserunt post Hippocratem apoplexiam levem curatu difficilem esse; fortem vero plane indomabilem: sed huic aphoristicæ sententiæ etiam reluctatur observatio medica. Ubi tamen in apoplexia forti, elapso uno vel altero die, solita præsidia vel exquisitiora nullam opem præstiterunt, ad vespillonem mittere licet. Fatis cedunt apoplectici primo, secundo vel tertio ab insultu die; sed qui septimum diem superant, superstites plerumque evadunt.

Hisce generalibus nonnulla circa *prognosim cujuscumque speciei* addere expedit. Itaque convulsiones sæviente apoplexia sanguinea, mortem instantem indicant; hanc etiam adventantem portendit facies decolor, livida vel plumbea. Apoplexia serosa, præsertim in senili ætate, nonnullas inducias, plerumque mendaces, impertitur; quæ tamen si ultra octavum diem protrahantur res est in vado: sed ubi paucis elapsis diebus recurrit morbus, cogitandum de exequiis: suffocatio in hac specie, stertor, oris spuma, sudor frigidus, urinæ & alvi continentia, insultus convulsivi, &c. totidem audiunt symptomata ominosa: insuper hemiplegiæ, oris distorsioni, loquelæ impeditæ, &c. vulgo subjiciuntur ægri, qui hanc apoplexiæ speciem evicerunt. Ubi postremo ab stagnatione tum sanguinis, tum seri fovetur alterutra species, quod tamen difficile præscitur, brevi lustrica opus erit.

Apoplexiæ cujusvis tituli *curatio* est festinanda; cum maximum sit periculum in mora: nihilque non movendum, ut celeriter superetur morbosus obex, qui alias omnem curam vincere solet. Ut ab *apoplexia sanguinea* exordium capiamus; protinus mittitur sanguis e brachio, pede vel cervice: maximum etiam juvamen præstare valet arteriotomia, quæ, nescio quo fato, jam fere abiit in desuetudinem: venarum occipitalium sectionem commendat Morgagnus; quam olim fauste etiam adhibebat Lusitanus in casibus desperatis: num sanguis felicius ex hisce venis mittatur, quam e cæteris cervicalibus, dubitare licet. Certis tamen cancellis cohiberi debet sanguis detractio, quæ haud ultra ter, quaterve ad summum celebrari debet, etiam in athleticis, ne calor nativus, ad morbi so-

ſolutionem apprime neceſſarius, reſtinguatur: imo & in pleriſque una aut altera venæ ſectio præcipuam explet indicationem; quæ eo redit, ut præcaveatur vaſorum cerebralium diſruptio: nec inutilem opem præſtant vincula infra poplites injecta, quorum beneficio ſuffla minatus ſanguis intra venas inferiores minori proventu ad cerebrum appellit. Depletis vaſis mos invaluit, ut ad emeticum properetur; quod tamen haud omnibus congruit, quin potius noxam vel mortem, ſub hac apoplexiæ ſpecie, plerumque inferat: ſed præmiſſo cathartico, tutius exhibetur vomitorium, ſi ſaburra nidulans in ſtomacho illud ſuadeat. Poſt debitas utriuſque ſortis evacuationes, haud inopportunæ cenſentur aquæ ſpirituoſæ cephalicæ, & cardiacæ vulgatiſſimæ; dummodo temperatæ, & parciori doſi, præcipiantur; alias caute cum illis mercari expedit. Pro conceſſo enim manet, quod in ipſo curationis exordio, eo collimandum ſit, ut flexilitas vaſis cerebri concilietur: ſed contrarium effectum exerere has ſubſtantias ſpirituoſas, intus vel extus adhibitas, nemo rebus phyſico-medicis edoctus inficias ibit.

Aliter ſentiendum de *enematibus ſtimulantibus*, e vino ſcilicet emetico, colocynthide, euphorbio, &c. paratis, quæ revulſionem ſaluberrimam movere queunt: nonnulli laudant infuſum caffe, ſimili modo uſurpatum; ſed huicce remedio minime fidendum. Eamdem opem præſtant *hirudines* temporibus, ano &c. impoſitæ, *veſicatoria*, ſinapiſmi & cucurbitulæ ſincipiti, ſcapulis, coxis, &c. admota; vel ipſummet cauterium occipiti, vel plantæ pedum, inuſtum. Nec poſthabendi ſunt frictus in dorſo & artubus inferioribus in eumdem ſcopum celebrati. Jamdudum eviluit, vel ad populum ablegatur animalium viventium ſectorum capiti impoſitorum uſus: ſexcentis tamen hiſtoriis conſtat, illud topicum, dum familiarius uſurparetur, plures ab orco revocaſſe. Fugato demum apoplexiæ inſultu, nil non movendum, ut declinetur recidiva; cui ſcopo ſatisfaciunt congrua victus ratio, corporis exercitationes, tempeſtivus venæ ſectionum & catharticorum uſus; aquæ Bellilucanæ, Vicienſes, aliæque thermales, ſetaceum, fonticulus, &c.

Alius eſt *apoplexiam ferosam curandi ritus*; cum in reſarciendas vires converti debeant clinicorum curæ. A venæ ſectione nimirum abſtinere præſtat; quæ tanto eſt nociva in hacce apoplexiæ ſpecie, quanto proficua in altera: quod tamen non impedit, quominus a vulgo Medicorum ſub utraque indiſcriminatim adhibeatur: inde fit, ut mortem, vel ſalutem in apoplexia, nullo habito diſcrimine, inferre recte tradiderit Celsus. Nonnulli tamen inter recentiores venam, ſi vires ferant, ſemel ſecare haud renuunt; ut alia remedia ſuam actionem facilius exerant; vel potius ut vulgi præjudiciis obtemperent. Lethalem tamen eſſe venæ ſectionem, ſi ſenſuum & motuum privatio ab ingluvie, quod ſæpiſſime accidit, ortum mutuetur, omnes pronuntiant. Rectius igitur a vulgatiori emetico, & larga doſi exhibito, auſpicatur medela; cui remedio, ſi obſurdeſcat ſtomachus, ad pulverem algaroth devenire licet: hoc enim præſidio non ſolum foras exturbantur ſordes, quibus gravatur ſtomachus; ſed tota corporis compages concutitur, & torpidi ut plurimum exſuſcitantur ſpiritus. Emeticorum vires quandoque æmulantur purgantia draſtica: nec exiguam laudem merentur enemata acria ſupra tradita: quibus nil proficientibus injici poteſt decoctum nicotianæ; cujus doſis pro quocumque enemate a ſemiuncia ad drachmas ſex contineri debet. Jure etiam deprædicantur cephalica, cardiaca & diaphoretica; infuſum nempe meliſſæ, & menthæ; decoctum cardui benedicti, &c. aqua Reginæ Ungariæ; meliſſæ compoſita, imperialis, & theriacalis; ſpiritus ſuccini & ſalis ammoniaci; guttæ Anglicæ, confectiones cardiacæ officinales, aliaque innumera omnibus affectibus comatoſis, & paralyſi dicata.

Præſtantiſſima depromuntur præſidia, ſub hac apoplexiæ ſpecie, ex *ſternutatoriis*, quorum uſitatiora cenſentur iris florentina, folia nerii, ſemina ſinapis & ſtaphiſagriæ, piper, pyrethrum, helleborus albus, euphorbium, aliaque id genus: imo & cantharides, arſenicum, ſublimatum corroſivum, in re urgentiori, naribus inſuffiari queunt. Nil forte magis confert in hiſce anguſtiis, quam jacentes omni arte

te exagitare & vellicare: nonnulli enim, cæteris præsidiis deficientibus, rheda per vias stratas & asperiores vecti, sanitati restituti sunt. Nonnullos vidi a majori strepitu expergefactos: sonum tympanorum bellicorum, tubarum clangorem, pulverisque pyrii fragorem etiam profuturos crediderim: sed clinicis de fama plus æquo sollicitis minime arridentes hæc tentamina, quæ haud rite succedentia a nasutulis ludibrio haberi queunt. Mira demum præstant cujusvis sortis vellicantia & *stimulantia externa;* aquæ nempe cephalicæ naribus admotæ, spiritus & salia volatilia simili modo usurpata; odor sulphuris accensi; fractus cum panno asperiore, sinapismi, vesicantia, cucurbitulæ scarificatæ, cauterium actuale, &c. Hisce præsidiis, vel naturæ viribus, sublato morbo, danda est opera, ne recurrat: hoc infortunium avertere solent practici diæta congrua & variis corporis exercitationibus; usu opportuno cephalicorum, catharticorum, aperientium, diaphoreticorum & salivantium, inter quæ crebro usu recipiuntur salvia, elixirium proprietatis, millepedes, martialia, antihecticum Poterii, antimonium diaphoreticum, tabacum masticatorium, vel ejus fumus fistula congrua haustus. Sed cæteris *prophylacticis* palmam præripiunt aquæ Bellilucanæ, Plumberianæ, Vicienses, Vervonenses, Borbonienses Arcimbaldicæ, &c. quibus addere licet setaceum & cauterium, quæ forte ex omnibus antiapoplecticis paria non habet.

Hæc sunt, experientia duce, quæ ex *immensa remediorum*, quibus scatent libri, *farragine* depromere e re nostra fore putavimus, quæ, etsi selectiora & magis comprobata, haud nisi summa cautela in usum vocari debent. Millenis enim historiis satis superque constat innumeros apoplecticos solis naturæ viribus; vel tralatitiis, anilibusque præsidiis, ab omni medico apparatu alienis, evasisse: num in hisce casibus salubriora naturæ conamina, a frustraneis vel inopportunis remediis haud perturbentur, viderint qui abditos naturæ recessus lustrarunt. Sed nil magis me movet, quam apoplexia ingruens post remedia ad illam fugandam efficaciora, & in alium finem usurpata: equidem paucis abhinc annis vidisse memini virum nobilem vegetæ constitutionis, quinquaginta circiter annorum, cui ob febrem, ni fallor, catarrhalem, vena intra quatriduum ter secta fuerat, & propinata fuerant, interjecto die, emeticum & catharticum, quæ egregiam evacuationem præstiterunt: quibus peractis apoplexia lethali postero die correptus fuit. Quid hinc inferendum, virorum probitate & doctrina conspicuorum examini submittimus.

AFFECTUS SOPOROSI.

EX omnibus de hoc argumento scriptis, nil forte præter insulsam nomenclaturam, quam pro arbitrio invertunt Auctores, eruere licet: juxta quam quatuor soporis morbosi constituuntur species, nempe carus, coma somnolentum, lethargus & coma vigil. Binæ priores pulsu apureto ut plurimum deprehenduntur; posteriores vero febrem comitem habent, vel pro mero symptomate febrili recipiuntur. *Carus*, qui ad apoplexiam proxime accedit, versatur in somno profundiore, quem clamores & strepitus, corporis commotiones, vellicationes & punctura vix expugnare queunt. Ubi vero diversimode lacessiti ægri expergiscuntur, audiunt, percipiuntque quæ secum aguntur; sed brevi in pristinum statum relabuntur, stertore, non secus ac in apoplexia, quandoque stipatum. *Coma somnolentum* vocitatur hic sopor profundus, idiopathicus & chronicus, qui facilius, si voce compellantur ægri, discutitur: sed ubi relinquuntur propensioni, somno obtemperant. Constat ad hunc pronos esse senes, qui vel inter garriendum & comedendum inexpugnabili ferme dormiendi necessitate premuntur; ad eamdem proclives sunt hypochondriaci, hysterica & cataleptica: hanc accersunt arthritidis retrocessus, hæmorrhoidum, aliorumque spontaneorum profluviorum sufflaminatio, &c. *Lethargus* febre, qua stipatur, vel cujus est symptoma, a duabus prioribus speciebus differt. Hoc correpti vix sponte expergefiunt, plerique vigiles desipiunt; alii ita sunt immemores, ut inter oscitandum claudendi

oris obliviſcantur. Supini denique cubant; vel ab aliis in latus converſi, ultro in dorſum revolvuntur. Inter ſymptomata febrilia etiam recenſetur *coma vigil*, ſub quo ægri irrito dormiendi deſiderio urgentur; mente capti, & inſomnes, etſi oculos claudunt, moleſtiſſima totius corporis inquiete torquentur. Has poſtremas ſpecies ad febrem pertinentes conſulto prætermittimus, ne crambem repetitam apponamus.

Somnolentia idiopathica, de qua præſertim agendum nobis incumbit, in quam coeunt carus & coma ſomnolentum, non ſecus ac apoplexia, a qua gradu duntaxat differre videtur, triplici innititur cauſa, facem præferente *autopſia anatomica*; ſanguinea nempe, ſeroſa & accidentali; de quibus ſatis ſuperque in præcedenti capite: hinc minime mirum, ſi hæc ſomnolentiæ ſpecies familiariſſimus ſit apoplexiæ prodromus; vel etiam intra proprios limites ſubſiſtens tremorem capitis, & quamdam debilitatem paralyſi finitimam ſæpius poſt ſe trahat. Hanc cognationem luculenter demonſtrat *ſectio cadaverum*; qua oculis ſubjiciuntur ſtaſes ſanguineæ, fluctuationes ſeroſæ, colluvies gelatinoſa in anfractibus cerebri & ad ſpinæ tubum, tumores, aliæque cerebri defœdationes, quas exhibent apoplexia extincti. Notare tamen expedit, rariorem eſſe ſanguinis congeſtionem; hinc patet, unde ſomnolentia, de qua in præſentiarum, apoplexiam ſeroſam, vel accidentalem crebro denuntiet. E præhabitis obvium fit, haud aliam eſſe curandi methodum; morbi tamen gradus accurata habita ratione: eo pacto his diutius immorari ſuperfluum fore judicamus. Iiſdem etiam telis ſoporem febrilem aggredi licet; dummodo omnibus bene perſpectis & trutinatis curandi judicium dirigatur.

Nunc ſupereſt, ut agamus de aliis *ſomnolentiæ ſpeciebus accidentalibus*, quæ *ebrietatis* titulo innoteſcunt; & illæſo cerebro foventur a vino, cereviſa, aliiſque id genus potulentis fermentatis; a lolio, ab opio, cæteriſque narcoticis; a fumo tabaci, ab aquis mineralibus, &c. Harum diverſi ſunt modi; adeo ut intenſiores a genuina apoplexia vix diſcrepent: huic errori ſe objiciunt etiam peritiores, ſi ægrum curandum ſuſcipiant, priuſquam morbi cauſam evidentem ex adſtantibus ſciſcitentur: plures enim, quorum curæ demandabatur hæc ſomnolentiæ ſpecies, conveni pſeudo-Medicos, qui genuinum morbi characterem ne quidem ſubolfaciebant. Hoc ſoporis genus, licet accidentale, & a nulla cerebri labe pendeat, haud periculi eſt expers: maximum terrorem incutit, ſi apoplexiam accurate mentiatur; præſertim ſi præeant paralyſes in palpebris & labiis, capite & brachiis; imaginationes omnis generis tam furibundæ quam jocoſæ; convulſiones in omnibus fere partibus; ameniæ pueriles, &c. Minus ſane ominoſum cenſetur, ſi ſomni placidi inſtar ſe proferat; etſi expergefacti ſomniculoſi haud mente conſtant, vel furibundi evadunt. Alias, in mitiori ſcilicet gradu, de dolore capitis gravativo conqueruntur ægri, inter ambulandum titubant, nil diſtincte cernunt, aliena & incondita loquuntur, tremores patiuntur, &c.

Illius ſoporis ſpeciei curatio ſimplicioribus peragitur; ni præſtet ab illa plane abſtinere. Quoniam in caſu graviori ſaburra ut plurimum gravatur ſtomachus; danda eſt opera, ut cieatur vomitus largo aquæ tepidæ potu, vel pharyngis vellicatione ſollicitetur. Quibus tentaminibus haud rite ſuccedentibus, emeticum propinare fas eſt: nec poſthabenda ſunt enemata purgantia; cum maximi tum ſit momenti, ut alvus etiam exoneretur. Expeditis primis viis, nil magis confert quam aqua nitroſa, vel acidis vegetabilibus imprægnata. Traditur plures ebrios forte fortuna in aquam prolapſos, illico perſanatos fuiſſe; hinc patet quanta foret balneorum frigidorum efficacia. Quoad venæ ſectionem, multum controvertitur apud Medicos; ſed hanc maxime reformidandam eſſe ſub *temulentiæ* vulgatiſſima, experientia edocti, aſſerere minime dubitamus: ſub aliis vero caſibus venam ſemel ſecare, ſi vires ferant, nil ſorte impedit.

Co-

Coronidis loco addere licet, varias proſtare hiſtorias *ſomni ad menſes vel annos*, cum nonnullis tamen intermiſſionibus *protracti*, in Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum, & Societatis Regiæ Londinenſis, in Actis Lipſienſibus, aliiſque id genus Collectaneis & Diariis, quorum Auctoribus rara & curioſa, vel a publico rerum ordine aliena, ad rem phyſicam ſpectantia, litteris conſignare incumbit. Quibus conſtat, hos præternaturales ſomnos præſidiis adverſus apoplexiam potentioribus incaſſum impugnatos fuiſſe; & nonniſi exhauſtis medicinæ fontibus totum curationis negotium, ne quid pejus eveniret, naturæ commiſſum fuiſſe: adeo ut ejus ſpontanea vi, poſt abſolutum illius ſtupendæ ægritudinis decurſum, expergefacti fuerint dormientes. Haud tamen reticendum quod, inter remedia multigena, quæ ad hunc rariſſimum caſum adhibita ſunt, ſubitanea in aquam frigidam immerſio pluribus optime ceſſit; quod hujuſce ſupra laudati auxilii præſtantiam ulterius arguere videtur.

TREMOR.

NEminem fugit, *tremorem* nunc eſſe generalem vel omnes partes afflantem; nunc peculiari parti, capiti ſcilicet, brachio, cruri, &c. inſidentem: ſed haud omnibus innoteſcit hujuſce morbi, licet vulgatiſſimi, genius: quandoquidem *paralyſeos* in pleriſque ſit *particeps*; in aliis vero mere *convulſivus* audiat; ac ſæpius utriuſque ægritudinis, paralyſeos nempe, & convulſionis ſit prodromus. *Primæ tremoris ſpeciei* obnoxios eſſe ſenes, & a morbo gravi convaleſcentes, nemini haud notum. Ad eamdem vergunt baccho litantes, venerique plus æquo indulgentes: nec immunes ſunt, qui crebriori caffe hauſtu, recte notante Baglivio, delectantur. Hanc demum accerſunt narcotica & venena, hydrargyri, plumbi, aliorumque mineralium pertractatio, &c. Promovetur vero *tremor convulſivus* a frigore externo; a terrore, iracundia, aliiſque gravioribus animi pathematibus. *Horror*, & præſertim *rigor*, vel totius corporis concuſſio oculis conſpicua; ſub qua nonnunquam cutis ſolitum calorem ſervat; febrium, aliorumve morborum ſymptomata, ad hunc pertinent. Frigus tremulum etiam pariunt animi pathemata; purulentia interna; vermes in inteſtinis nidulantes; iſchuria renalis, vel veſicalis; menſium & lochiorum ſuppreſſio; &c. Facile *diſtinguitur* tremor, quem fovet partium debilitas, a tremore convulſivo: primus ſcilicet magis perſpicuus fit, vel incrementum ſumit, ubi manus onus quoddam ſuſtinet, & plane deſinit, ſi brachium ſuffulciatur: ſecundus vero a geſtato pondere domatur; ſed quieti partis minime cedit. E bene perſpectis antecedentibus, ſymptomatibuſque tremorem concomitantibus, nec non aliis circumſtantiis a vivendi norma, ætate, ſexu, &c. eruendis, patet quid de *utriuſque ſpeciei eventu* ſtatui poſſit. Tremorem a debilitate ortum, paralyſeos prænuntium nonnunquam fuiſſe jam ſupra inculcavimus: ſi ad annos protrahatur præcipue in ætate provecta, nullam curam admittit; alias in potiori parte periculi expers cenſetur. Tremoris vero convulſivi, ut plurimum ſymptomatici diverſus eſt exitus: nec accurata inſtituitur prognoſis, ni primarii morbi recta habeatur ratio: ſed in morbis acutis, ſi delirium excipiat, vel a ſufflaminatis lochiis ſoboleſcat, exitium portendit.

Pauca eruuntur ab *introſpectis cadaveribus* circa indolem primæ ſpeciei, atque de hac re obſervata magis ſpectant ad morbos ſuccedaneos, vel adventitios, quam ad ipſum tremorem. Sed plura edocent ſectiones eorum, qui tremorem convulſivum paſſi fuerant. Reperitur nempe latex ſeroſus, ſubviridis, fluctuans circa cerebrum & medullam ſpinalem: occurrit ſanies in ventriculis cerebri; viſcendas ſe præbent purulentiæ & putredines, diverſas hujuſce viſceris parte defœdantes. Deteguntur etiam vermes in nonnullis ejuſdem partis receſſibus hoſpitantes. Vaſa inſuper ſanguine fæculento turgent. Obvius fit lien immenſæ molis, & haud raro quaſi cartilagineus. Conſpiciuntur vaſa bilifera ultra modum turgida. Paſſim occurrunt ſuppurationes, putredines & gangrænæ, in viſce-

viſceribus tum pectoris, tum abdominis: uterus præſertim ſæpiſſime labefactatus deprehenditur.

Primæ tremoris ſpeciei medela vis diſcrepat ab illa, quæ paralyſim & convulſiones reſpicit, de qua ſuo loco agemus: quare ſuperfluum foret huic diutius inhærere. Solemniora tantummodo & uſitatiora, quaſi per tranſennam indigitare haud abs re fore putavimus. Itaque ad hanc ſpeciem, præmiſſis generalibus, principem locum merentur cephalica & ſtomachica, e roborantium claſſe petita; id genus ſunt meliſſa, ſtœchas, ſatureia, helenium, fœniculum, cortex peruvianus, caryophylli, nux moſchata, &c. Pluris etiam habentur martialia; nec inanem operam ludunt diaphoretica. Sed diluentia, temperantia & demulcentia omnem implent paginam; ſi tremor a venere, baccho, &c. ortum mutuetur. Cardiaca, diaphoretica & diuretica conducunt, ſub tremore ab hydrargyro. Cæterum præclara munia obeunt, ſi tremor ſit paralyſeos particeps, frictus vulgatiſſimi; balnea & irrigationes ab alto cum aquis thermalibus; Vervonenſibus puta, Vicienſibus, Dinienſibus, Aquis Granenſibus, Balneolenſibus, & aliis cognatis; non ſecus ac linimenta roborantia, fotus & ſuffitus aromatici, &c.

Tremor convulſivus alia expoſtulat *præſidia*: nimirum conducit in nonnullis venæ ſectio, ſi vires & ætas ferant; præſertim ubi ſufflaminatur quodvis ſanguinis profluvium. Proſunt etiam cathartica, aliaque remedia generalia, in limine cujuſvis curationis uſurpari ſolita, ut efficacioribus ſternatur via: hæc verſantur circa antiſpaſmodica & cephalica, quæ vi quadam ſpecifica pollere videntur: proficue etiam adhibentur roborantia, alexiteria & ſtomachica, quæ a prioribus parum diſcrepant. Ubi vero incuſſantur vermes, ſcorbutus, hypochondriaſis, hyſteris, &c. quid facto opus ſit, nemo non videt. Plurimum inſuper deprædicatur multiplex aquarum thermalium uſus; nec improbantur balnea frigida. Juvamen ſæpius præſtant frictus: nec inutilem opem conferunt ſetaceum & fonticulus; licet inter obſoleta immerito referantur. Præcavetur poſtremo rigor febrilis largo aquæ tepidæ hauſtu paucis horis ante paroxyſmum exhibitæ. De tremore ab ira, timore vel terrore, aliiſque cauſis fugacibus nil addimus.

PARALYSIS.

IN ſenſus & motus, alterutriuſve defectu verſari paralyſim, cui proxime accedunt debilitas & ſtupor partium, nemini haud obvium. *Univerſalis* audit, ſi in omnes partes infra caput poſitas ingruat: ubi vero dimidiam, nunc dexteram, nunc ſiniſtram corporis partem occupat, *hemiplegia* vocitatur. Si demum hanc vel illam partem; brachium nempe, crus, palpebras, linguam, pharyngem, penem, veſicam, anum, &c. ſeorſim invadat, paralyſeos *particularis* nomine venit; de qua paſſim ſub aliis titulis agemus. In nonnullis impeditur lingua, vigentibus ſenſibus internis, adeo ut nutibus reſpondere cogantur. Alii mente minime conſtant, & motibus etiam convulſivis agitantur; quod phænomenon morbi complicati ſuſpicionem movet. Haud obſcura ſane eſt hujuſce morbi geneſis, ſi rite perſpiciatur quid emergat a vi externa nervos comprimente. A torpore etiam quem infert, vel a longinquo, tactus hic ſingularis piſcis, quem vocant torpedinem (*la torpille*), plura circa ejuſdem indolem eruere licet.

Paralyſis, raro morbus primarius, apoplexiam plerumque *ſequitur*: illam etiam poſt ſe trahunt epilepſia, aliique affectus ſpaſmodici; nephritis acerbior, colicus dolor acutiſſimus, dyſenteria torminoſa; ac demum arthritis & rheumatiſmus. Huic *obnoxii* ſunt ſenes, hypochondriaci, ſcorbutici & ſyphilitici, ac demum ſcrophuloſi. Hanc caveant plethorici, non ſecus ac ii, quorum vires ab immodicis ſanguinis profluviis, vel a petulantiori venere ſunt exhauſtæ. Hanc promovent diuturnior vel immodicus caffei uſus; vinum liberalius ſumptum vel lithargyro adulteratum, inconſultus narcoticorum uſus, aer halitibus metallicis inquinatus, effluvia mercurialia, brumale frigus, &c. Natales quandoque ſumere a vulneribus, luxationibus & fracturis nemo neſcit. Poſtremo hunc morbum ipſus contrahunt infantes ab eru-

ruptionum cutanearum retrocessu; a præpostera variolarum & morbillorum medela, &c. Notare expedit, quod paralysis ab scorbuto, hypochondriasi, affectibusque spasmodicis orta sola motuum organa illæso sensu afficere soleat.

Hemiplegia, quæ nullo prodromo sæpius invadit, & inter varias species frequentior audit, oculum, os & linguam in consensum trahit; atque cum ægris ut plurimum senescit, dummodo sensorium commune ab omni læsione vindicetur. *Paralysis universalis* plerosque brevi e medio tollit; sed si ultra mensem producatur, chronicorum classem subit. Bene *ominandum* in quavis specie, ubi membra resoluta tremore, pruritu, formicatione, vel dolore corripiuntur. Felicem etiam eventum hariolari licet, si febris inter paralysim, apoplexiæ serosæ succedaneam, incandescat; ni morbus tamen sit extra curationis metam. Paralysis, quæ motum duntaxat impedit, minus periculosa censetur, curatuque facilior evadit. Major salutis spes affulget, si paralysis cujuscumque ordinis nullo prævio cerebri affectu invaserit. Sudor ingens morbum solvit, vel insanabilem reddit. Paralysis, quæ comitem habet atrophiam vel frigiditatem, pro immedicabili habetur. Convulsiones in paralyticis præsertim in latere oppositio, morbo & vitæ imponunt finem. Ubi membra resoluta œdemate corripiuntur, gangræna imminet: idem infortunium minatur paralysis a frigore contracta. Si jam semel fugatus morbus denuo recurrat, res est periculosæ aleæ; raro enim numerantur tres accessiones. *Stupor* sub hypochondriasi & hysteri nil mali portendit; sed lethale audit symptoma in febribus acutis. Si postremo anus & vesica resolutione tententur, mors præ foribus imminet.

Paralysis, non secus ac apoplexia, *sæpius sponte definit*; & hic felix exitus ad remedia quæcumque prius usurpata, etsi sæpius futilia, tribui solet. Prostant historiæ variorum paralyticorum, qui post diuturniorem & inefficacem medicationem, ab ira vehementiori, a terrore, aliove gravi animi pathemate, illico sanitati præter omnium expectationem restituti sunt. Refert Valeriola se vidisse quemdam paralyticum Arelatensem multis abhinc annis lecto affixum, in tantum terrorem incidisse ab inexpectato propriarum ædium incendio, ut suæ debilitatis quasi oblitus, e lecto cum impetu ejulans prosilierit, & festinanter vicinos in subsidium vocaverit; adeo ut a flammarum periculo, & a morbo simul evaserit. Haud minus mirum quod narrat Bartholinus, circa mutum, a quadam muliercula, quam antehac odio prosequebatur, ludibrio habitum, qui ira percitus, vires colligendo, loquelam adinvenit, & invisam conviciis proscindere potuit. Nec desunt aliæ historiæ paralyticorum, qui pro ingenti timore, vel quodam acri desiderio, artuum usum recuperarunt.

De variis cerebri læsionibus apoplexiam & paralysim respicientibus & inter *rimanda cadavera* obviis, jam supra actum fuit. Recensitis addere licet, vulgatissimas esse post paralysim stagnationes serosas, vel gelatinosas, tum inter meninges, tum in cerebri anfractibus, tum circa medullam spinalem. Crebro etiam occurrunt purulentiæ, erosiones, & putredines in diversis cerebri partibus; sed in primis in corporibus striatis; quæ alias minus firma occurrunt, instar amurcæ discolorata, striis fere obliteratis. Serum æruginosum & quasi vitriolicum, viciniora erodens, nonnunquam recondunt ventriculi. Annotatur in plexu choroideo aggeries hydatidum ad phaseoli magnitudinem accedentium. Reperiuntur in medulla oblongata, haud raro flava flaccida & semiputrida, folliculi ad ovum columbinum accedentes, & aquam turbidam continentes. In quodam latebat tuberculum fabæ magnitudine circa corpora striata. In plerisque glandula pinealis occurit sabulosa. Notandum erga læsiones alterutrum cerebri latus occupantes, quod situm præsertim habeant in latere paralysi oppositio; ob fibrarum cerebri medullarium decussationem, pluries in Actis Parisiensibus celebratam: haud tamen hanc perpetuam esse legem docent secta cadavera. Medulla spinalis nunc marcescit; nunc parum abest, quin in putrilaginem abeat. Theca vertebrarum sæpius sero plena occurrit, cerebro plane sicco. In nonnullis annotantur vertebræ a genuina sede remotæ; connexiones ossiumcla variæ laxiores,

&c.

&c. Insuper observantur in abdomine vasa bilifera ultra modum turgida; viscera diversimode labefactata, &c.

In immensum crescceret pagina, si omnia *remedia*, quæ adversus paralysim proponuntur huc attexerem; unde ea duntaxat, quæ a sanioribus practicis usurpari solent, vel a propria praxi confirmata, pro instituto, recensere animus est. Ut a venæ sectione exordium capiamus; inutilem vel noxiam fore, si paralysis a colluvie serosa ortum ducat, e præhabitis jure infertur: aliter se res habet, ubi a causa sanguinea procedit; dummodo tamen morbus haud jam annosus evaserit. Nec in usum trahi debet illud præsidium, nisi prius probe attendatur ad ætatem, vires & prægressa. Proficue adhibentur emetica, ubi nulla stasseos sanguinis intra vasa cerebri est suspicio; alias angue pejus fugienda. Tutior est in utroque casu catharticorum usus; sed longe salubrior, si insimuletur serosa colluvies. Plurimum præsertim conferunt evacuantia per alvum in paralysi scorbutica; æque ac in alia specie, quæ a colica natales sumit, &c. Enemata demum acria, stimulantia & aromatica, perquam utilia, generalium agmen claudunt.

Inter opportuniora præsidia, primarium locum tenent *roborantia* & *cephalica*; salvia nimirum, stœchas, melissa, camphorata, baccæ juniperi, succinum, &c. Ageratum seu eupatorium Mesues, instar the, cerebro & nervis prodesse experientia constat; ut nil addam de celebratissima radice ginzeng. Haud exiguam laudem merentur sudorifica; interque usitatiora audiunt guaiacum, & antimonium diaphoreticum. Prosunt etiam aperientia; martialia scilicet, aloetica & mercurialia. Nec posthabenda sunt antiscorbutica. Colocynthis a decima parte grani ad sextam, mira præstat, teste Boerhaavio, in languidis nervorum morbis. Cæteris postremo remediis palmam sane præripiunt aquæ minerales calidæ, vel ore sumptæ, vel sub balnei, & irrigationis ab alto spinam respicientis, forma usurpatæ; in quarum censum veniunt Borbonienses Anselmienses, vel Arcimbaldicæ, Vicienses, Vervonenses, Montis aurei, Bellilucanæ, Plumberienses, Dinienses, Granenses, Bagnerienses, Baregienses, &c. His adde, quod Borbonienses Anselmienses, in paralysi scorbutica, cæteris præcellere vulgo feratur. Paralysis vero, vel hemiplegia intermittens febrium congenerum curam sibi vindicat.

Summe deprædicantur, nec immerito, pelles animalium recens mactatorum parti affectæ admotæ; vel ipsamet *animalia viventia secta*, priusquam calore nativo orbentur. Opportune usurpantur linimenta e petroleo, oleo laurino & formicarum; ex unguento martiato, aliisque id genus roborantibus parata. Laudantur fricatus sicci, vel cum spiritu vini camphorato, alterove liquore spirituoso, celebrati: commendantur suffitus, fotus & balnea ex aromaticis parata, sudatoria; urticationes, vel flagellationes partium paraliticarum cum urticis, sinapismi & vesicatoria, quibus subjungere juvat setaceum, & cauteria. Si deficiant thermales naturales, parari queunt artificiales, cum libris quatuor calcis vivæ & libris duabus sulphuris, coctis in sufficienti aquæ fontanæ quantitate. Plurimum demum prodest balneum arenæ solis radiis imprægnatæ, idem præstare queunt vinacea: folia demum ebuli furno excalefacta, quibus obvolvuntur ægri, sudorem saluberrimum elicere valent. Nec silentio prætermittendum, quod pars affecta, inter usum prædictorum remediorum, pellibus vulpinis, leporinis, aliisque consimilibus probe muniri debeat. Nonnullos ultimo ab admota machina electrica curatos fuisse multiplici experientia constare *videtur*: sed pluribus minime successisse hanc periclitationem pro comperto habemus.

MENTIS ET MEMORIÆ SEGNITIES.

Arduum sane quidem opus aggedimur de mentis læsionibus dicturi; cum ægre intelligatur, quomodo ab affecto corpore mens laboret. Ab alio tamen fonte nusquam peti debent mentis errores, annuentibus physicometaphysicis, qui in ea versantur opinione, quod nihil utilius & magis proficuum censeri debeat ad sui ipsius

us cognitionem, quam accurate perpendere quid enti immateriali sit tribuendum, quid corpori sit concedendum; ne alterutrius vires, genuina posthabita causa, ab inani eruantur hypothesi. Undenam stupenda ingeniorum discrimina, & diversa hominum propensio, cæteris paribus, ad virtutes & vitia? Illud sane intactum prætermisit moralium scientia, nec dilucidius extricavit philosophia; quidquid adhibuerint solertiæ Auctores ad enucleanda virtutum & vitiorum semina. Neminem latet tot ferme esse ingeniorum modos, quot sunt homines: viri sub hoc conspectu multum discrepant a feminis: integræ nationes aliis ingenio præstant: de moribus idem esto judicium; si historicis & peregrinantibus sit fides. Hæc omnia, nemini haud obvia, discrimina ad diversam mentis humanæ indolem referre absurdum, imo & impium foret; cum ejus suprema geneseos omnem innatæ labis amoveat suspicionem. Felicius illud extricatur phænomenum, si illius ratio in causa mere physica, medentium indagini submissa, inquiratur. His obiter notatis, e diverticulo ad propositum redeamus.

Morosis & *obliviscentia* a senectute, vel a quadam cerebri constitutione hereditaria, nulla arte domari patiuntur; nec inter ægritudines recensentur; proinde huc minime spectant. Sed aliter se res habet, si ab alia *causa* soboleſcant *ingenii tarditas* & oblivio; ab apoplexia nempe, a cerebri commotione post ictum vel casum ab alto, a colluvie serosa, &c. Hæc etiam accersere valent infortunia, terror subitaneus, mœrorque acerbissimus; non secus ac diuturnæ comessationes, & castra veneris. Mentem nonnunquam obtenebrat somnus ultra naturæ metas protractus, vel abusus narcoticorum: eumdem effectum sæpius exerunt prægressi graviores morbi, e quibus nonnulli convalescentes plane oblivioſi, vel sui nominis haud recordantur. Profluvia insuper immodica, cujusvis sint sortis similem sensorio comuni labem inferre queunt. Porro onanismus, ad quem pueri sunt proclives, nonnunquam imaginationem & memoriam lædit. Haud absimile periculum incurrunt, qui præmaturo ingenio plus æquo obtemperantes, intempestivo labori vel studiis intensis indulgent; atque a severioribus cogitationibus se retrahi minime patiuntur; adeo ut haud raro eveniat, ut qui in juvenili ætate ingenio, & mentis acie nulli secundi judicabantur, sensim exhaustis judicii & imaginationis viribus, hebetes & stolidi evadant. Nonnulli ex adverso videntur infantes ingenio tardo, vel inepti, qui processu temporis, mentis torporem discutiunt; adeo ut nullis parcentes laboribus, non solum ingenioſi & memores; sed etiam ad peritissimorum & facundissimorum gradum devehantur. Hunc felicem eventum nonnunquam promovent morbi gravissimi; lapsus ab alto, aliaque accidentia, quæ sub aliis circumstantiis contrarium effectum nonnunquam exeruerunt.

Has judicii & reminiscentiæ læsiones a parentibus contractas, vel extremam senectutem concomitantes, plane *immedicabiles* esse, jam supra innuimus. Si memoria, nulla prævia causa manifesta, deficiat, apoplexiam esse in procinctu vel paralysim imminere jure conjicitur; sed notissima sunt præsidia prophylactica, quibus utrumque fatum avertere licet. Si hebetudo & memoriæ lapsus, a venere & baccho, vel ab usu narcoticorum, originem ducant, contraria vivendi norma, nonnullis pro re nata in subsidium vocatis præsidiis, facile evincuntur: secus evenit, si sint apoplexiæ soboles; vel commotionis cerebri effectus. Sed mentis obnubilatio & oblivio, post perpessum graviorem morbum accidentes, sponte ut plurimum, vel congruo regimine desinunt. Mentis demum imbecillitas a pravo corporis habitu ægre impugnatur, ni primarii morbi habeatur ratio.

Secta cadavera ostendunt cerebrum nunc uvidum, flaccidum & depressum; nunc siccum; vel tanta ariditate donatum, ut nonnunquam ad friabilitatem accedat: alias densum & contractum ob serosæ colluviei molem, quæ non modo varias intercapedines replet; sed etiam circa visceris ambitum fluctuat, quem etiam obducit materia crassa & gelatinosa. Præterea con-

ſpiciuntur diverſa tumorum genera, abſceſſus & hydatides, lapides, aliave corpora extranea. Traditur glandulam pinealem in quibuſdam plane defeciſſe; quæ in nonnullis ingens deprehendebatur. Dura meninx, nunc ad livorem vergens, nunc tuberculis obſita, putrida, dilacerata deprehenditur. Quibus addere licet inſolitam cranii craſſitiem, aliamque oſſium vel connexionum pravam conſtitutionem.

Utramque cerebri læſionem raro *curationem* admittere e præhabitis facile colligitur: hinc minime mirum, ſi plerumque inefficacia ſint vel exquiſitiora medicamina: ſi quid conferre nonnunquam videantur, id minus auxiliis medicis, quam tempori, rectæ victus rationi, ſomnoque breviori tribuendum. Quod ad infantes ſpectat, proſunt præcipue parentum vel magiſtrorum curæ, qui opus pluſquam herculeum aggredi haud gravantur; & præceptis nitide expoſitis, mentem in obſcuris latentem evolvere & componere queunt. Nil tamen impedit, quominus, ubi quædam curationis ſpes affulget, in ſubſidium vocentur, præmiſſis generalibus, cephalica & antiſpaſmodica; inter quæ ſelectiora audiunt flores ſtœchados, tiliæ, primulæ veris, & lilii convallium; pæonia, valeriana, zedoaria & calamus aromaticus; cubebæ, macis, caryophylli, &c. De viribus cephalicis ambræ cineritiæ & moſchi, dubitare licet; cum experientia conſtet plures ad moroſim & obliviſcentiam nullo modo proclives in utrumque morbum ab eorum immodico uſu incidiſſe. Spiritus ſuccinatus ſalis ammoniaci ad guttas decem, ſero & mane exhibitus a practicis prioris ſubſellii commendatur. Quoddam inſuper ferre queunt auxilium ſternutatoria, maſticatoria, aliaque evacuantia hydragoga. Poſtremo hæc decantata præſidia nullam opem præſtare videntur, ni obtemperent morbi indoles & œconomiæ animalis vires; quibus reluctantibus incaſſum adhibentur, vel vitio vertuntur.

PERVIGILIUM.

SOmni conſueti defectus, ad quem proxime, uti ſupra notavimus, accedit, coma vigil, raro morbus per ſe, vel eſſentialis audit; ſed alios ut plurimum tum acutos, tum chronicos concomitatur; hæc paucis perſtringere expedit. Somnum arcent graves curæ & ſollicitudines: *noctes inſomnes* trahunt melancholici & in primis maniaci: de ſomno interrupto conqueruntur macilenti, bilioſi, ſeverioribus cogitationibus intenti; vel ærumnoſi, qui etiam inter dormiendum inſomniis moleſtiſſimis anguntur. In otio demum recumbentes, vel diutius, quam par eſt, lecto affixi noctes inquietas ſæpius traducunt. Inſuper notiſſimus eſt *conſenſus inter cerebrum & ſtomachum*; unde minime mirum, ſi quævis hujuſce poſtremi læſio, vel moleſtia, quieti nocturnæ officiat. Hoc incommodum, incurrunt nonnulli juvenes a fame; hinc fit, ut non niſi poſt largam cœnam placide dormiant: contrarium ſane evenit in pleriſque adultis, & præſertim ſenibus, quorum ſtomachus ab ingeſtis inter dormiendum gravatur; hinc minime mirum, ſi poſt paſtum ſæpius expergefiant, vel ob imminentem incubum, difficilemque decubitum e lecto ſe proripere cogantur. Quare neceſſe eſt, ut ſanitati conſulentes a cœna plane abſtineant. Nonnullorum ſomnum fugat hauſtus caffe; dum aliis, vel cubitum ituris, tuto porrigitur. Alios innumeros diverſos, vel contrarios effectus ab una & eadem cauſa, ratione variarum circumſtantiarum, oriundos conſulto prætermittimus.

Quid ſit *pertimeſcendum* a diuturniori pervigilio nemo non videt: notare tamen expedit, quod hanc moleſtiam cæteris facilius ferant melancholici & maniaci, qui plures menſes vel annum integrum plane inſomnes ſine noxa tranſigere queunt: de vigiliis innoxiis decem, viginti & triginta annorum, mentio ſubjicitur apud Auctores, penes quos ſit fides: aliter ſe res habet ſub vigiliis febrilibus, quæ delirium prænuntiant, & vitæ ſæpius inſidiantur. Pauca depromuntur ex obſervationibus anatomicis: verumtamen annotantur in potiori

tiori *cadavere* parte ſtagnationes ſeroſæ, tum in cranii pyxide, tum in vertebrarum theca: mirari profecto ſubit ſimile quid obſervari in ægritudine plane contraria; poſt ſcilicet ſoporoſos affectus. Cæterum deteguntur abſceſſus in propria cerebri compage; phlogoſes in ejus involucris, caries in oſſibus cranii, &c. Reperiuntur etiam purulentiæ & putredines, aliæque defœdationes in hepate, pancreate, aliiſque abdominis viſceribus; quæ, ut verum fatear, minus ad pervigilium, quam ad varios affectus, quorum eſt ſymptoma, pertinere videntur.

Nonnulli de noctibus inſomnibus queruli *levamen* experiuntur, ſi haud ultra ſex aut ſeptem horas lecto ſe contineant. Pluribus prodeſt, hora ſomni, largus hauſtus aquæ ſimpliciſſimæ, vel ſucco limonum, ſeminibuſve frigidis imprægnatæ: proficue etiam adhibentur ſtato tempore ſyrupus violarum, nymphææ, &c. De balneorum efficacia nullum eſt dubium. Omnem inſuper implent paginam diluentia, *refrigerantia* & *demulcentia*, quæ ſpirituum fervorem reprimere, ſanguiniſque impetum retundere valent: hunc effectum etiam præſtare valet venæ ſectio, ſuam ſymbolam conferentibus cæteris remediis generalibus. Haud minorem opem ferunt obambulationes, equitationes, aliæque corporis exercitationes in loco aprico, vel aere nullis halitibus inquinato. Nec deſunt, qui lecti, cunarum inſtar, jactatu ſomnum alliciunt. Inſuper conferunt legitimus animi & corporis deliciarum uſus, concentus muſici, aquarumque fluentium ſtrepitus; nec deſpicienda anagnoſtæ vox compoſita; quid enim valeant ad promovendum ſomnum piæ conciones nemo non expertus fuit. Quibus haud rite ſuccedentibus ad *anodyna* confugere expedit; in quorum cenſum veniunt nitrum, camphora, pulvis temperans, & liquor anodynus mineralis; quæ etiam in morbis acutis præſcribi ſolent: ſed his antecellunt narcotica, quæ promptius humorum, ſpirituumque ferociam coercent, inſomneſque ſuaviſſima animi lætitia perfundunt: quæ tamen cum cautela, nec diutius quam par eſt, exhiberi debent; quod alta mente teneant ægrorum querelis plus æquo auſcultantes. Poſtremo pediluvium cum aqua tepida ſincera, vel coctione anodynorum imprægnata, pluribus, etiam vigente febre, optime ceſſit. Addere licet priuſquam manum e tabula amoveamus, parum profutura hæc præſidia, ſi pervigilium alterius morbi ſit ſymptoma; aliam tum ineundam eſſe medendi viam obvium ſit.

INCUBUS.

INter ſomnum *ingruens* hoc morbi genus, (*le Cochemar*) *affectibus convulſivis* cognatum eſſe credere par eſt. Conqueruntur ægri de quodam onere pectori incumbente, quo intercipitur reſpiratio, cum imminente, ut ipſis dormientibus videtur, ſuffocatione. Plures loquuntur de phantaſmatibus horrificis, quibuſcum luctantur; quæ pectori incumbentia, vocis iter clamitare cupientibus præcludunt; quibus tanto terrore concitantur ægri, ut ſubito cum inordinato cordis motu expergiſcantur; atque a moleſtiſſimo ſomno, & a morbi inſultu liberentur; quo fugato defeſſi aliquandiu perſtant, non ſecus ac poſt affectus convulſivos. Stomachus ingeſtis a veſpertina crapula turgidus incubum ſæpius promovet; hinc fit, ut laute victitantes & voraces huic morbo ſint obnoxii; ad eumdem etiam proclives cenſentur plethorici, hypochondriaci & hyſtericæ: nec parcit infantibus, præſertim vermibus, vel hydrocephalo laborantibus; ſi pavores, uti nonnulli autumant, ab eadem cauſa proceſſerint; quod peritioribus examinandum relinquimus. His addere licet ferociorem, ac nonnunquam lethalem incubi inſultum parum diſcrepare a catarrho ſuffocante; ni ſit unus & idem morbus.

Incubus infrequens, & intra certos limites ſubſiſtens, *periculi exſors* cenſetur, ſed vehemens, crebroque recurrens epilepſiam in nonnullis juvenibus *prænuntiat*; vel apoplexiam in ætate provecta minatur: imo & fertur quandoque fuiſſe maniæ prodromum. Incubus tamen vehemens, ſub quavis ætate, ſubito enecare poteſt. Narrat Cælius Aurelianus hunc morbum fuiſſe olim Romæ epidemicum, & peſtis inſtar ſummam ſtragem edidiſſe.

Nil effatu dignum e *cadaveribus eviscera-tis* colligitur; si excipias colluviem serosam, & purulentiam in cerebro nonnunquam repertas; quæ nec ad causam morbi, nec ad ipsius productum spectare videntur. De ingenti cordis mole mentio etiam subjicitur.

In congrua victus ratione versatur præcipuus *curationis* cardo; ac sæpius nil aliud opus est facto. Potiori ægrotantium parti prodest supinus decubitus; nonnullos tamen vidi, qui paroxysmum declinabant in alterutrum latus cubando. Sed nil magis præstat, quam vacuo ventriculo, vel post absolutam digestionem, ad quietem se componere. Quoad præsidia medica; opportune celebratur venæ sectio, si nil obstet, & adsint nonnulla plethoræ signa: sed primis viis, ubi latet morbi fomes, præsertim prospiciendum; ideo præsentaneam opem ferunt cathartica; imo & emetica, quæ imminentem accessionem procul dubio tollunt. Ubi inculpatur humorum crasis, suas laudes merentur diluentia, temperantia, vel blande aperientia; inter quæ primatum ducunt aquæ minerales tum frigidæ, tum thermales; martialia, tartarus vitriolatus, &c. Ubi pravæ digestionis occurrunt indicia, expeditis primis viis, fauste usurpari solent stomachica ex absorbentibus, amaris & roborantibus petita; corallum nempe & conchæ præparatæ; fumaria, gentiana, cortex peruvianus & aloe; salvia, melissa, &c. Agmen claudunt cephalica & antispasmodica, si de læsione cerebri quædam emergat suspicio; id genus sunt stœchas, rosmarinus, betonica, pæonia, succinum, castoreum, &c. sed haud inconsulto exhiberi debent hæc præsidia, raro, uti jam innuimus, necessaria: ac præsertim vetatur horum incondita farrago.

MELANCHOLIA.

NOtissimus est hic *affectus temperamento cognomini finitimus*, & ab illo vix discrepans, ni certum gradum assequatur. Somnum ægre capiunt melancholici, insomniisque molestissimis conflictantur. Proclives ad vertiginem de impeditis cerebri functionibus conqueruntur. Nonnulli aurium tinnitu & dolore capitis gravativo torquentur, in quibusdam se proferunt tremores, convulsiones, vel affectus soporosi. Inter familiarissima symptomata numerantur anxietates, cordis palpitationes & pectoris constrictiones, cum sputo crassiori. Pulsus exiguus, inæqualis & intermittens deprehenditur: se sistunt pulsationes in abdomine ex aorta, cœliaca vel mesenterica superiore, oriundæ: crebro erumpunt ructus acidi, alteriusve naturæ; tyrannidemque exercet flatulentia, qua venter sæpius inflatur. A colluvie acida in stomacho nonnullorum melancholicorum nidulante, emergit fames quædam spuria, & quasi inexplebilis. Matulam sæpius petunt melancholici; urinasque profundunt limpidas & subalbicantes: sed raro stimulantur ad secessum. Interea mœrore obruuntur: quidam mortis formidine premuntur, alii cum oculis cavis, tædio vel integra animi abjectione pertæsi rebus humanis vale supremum dicere ambiunt. Plerique hominum congressus fugiunt; ludos & spectacula aversantur, nec quod aliis volupe est sapiunt. Eorum demum mens obnubilatur: a causa sæpius leviss*i*ma summo, ob meticulosam mentis depressionem, terrore percutiuntur, vel a dubio nuntio toti contremiscunt: falsa rerum simulacra se objiciunt; nunc illacrymantur, nunc risu ilia dissolvunt; vel plane delirant. Notare tamen expedit, quod hæc mentis ludibria circa unum duntaxat vel alterum objectum plerumque versentur; ægreque ab hac præconcepta opinione, de aliis rebus recte judicantes, dimoventur, ni astutia animo excutiatur: alii enim se vasa esse figulina putant, & timent ne aliorum occursu frangantur: alii se mortuos esse arbitrantur: & sic innumeris modis desipiunt.

De alio *delirio melancholico* mentionem subjiciunt Auctores, quo tacti tenebras persequuntur; latebras quærunt; vitamque inter feras degere cupiunt; & ideo serius ocyus e domo se proripiunt; locaque deserta & salebrosa, luporum instar, adeunt; noctuque vagantur; hinc *lycanthropia* audit hicce morbus. Alii sollicitudinibus confecti & vitam quasi molestе ferentes, licet a fuga plane alieni, locum ta-

tamen mutare avent; perpetuoque nituntur in vetitum. Sunt e contra, qui otio recumbentes, e domo vel conclavi egredi plane negant; atque tanta segnitie, vel animi abjectione urgentur, ut de rebus humanis parum curantes, hebetes, vel tanquam stipites jaceant. Postremo inter varias melancholiæ species numerari solet *Nostalgia*, vulgo *la maladie du pays*, qua affecti patriam invisendi desiderio flagrant; quod tamen sæpius rationi consonum existimamus: patria enim, vel parentibus orbati, mœrore corripiuntur, languent, debilitantur, lente febricitant; anorexia laborant, & sensim absumuntur.

Melancholiam præcipuam sedem habere in cerebro & nervis, nulli dubitamus; nec refragatur clar. Lorry, qui exquisitissimum de hac re conscripsit tractatum: sed de alia specie, nimirum humorali, quæ parum, ni fallor, discrepat ab hypochondriasi, mentionem subjecit eruditissimus Auctor, per quem jamdiu obsoletæ reviviscunt veterum opiniones. Melancholia, ut in orbitam revertamur, a parentibus in prolem transmitti solet; sed nonnunquam adventitia a *causa evidente* ortum mutuatur; ab amoris scilicet æstu, a mœrore & tristitia, aliisque ingratis animi affectibus haud raro exsurgit: sub quo rerum statu de cordis constrictione queri solent ægri, scrobiculum cordis ostendentes; unde emersit suspicio hunc morbum sedem habere in ostio superiori ventriculi, annuente clariss. Rega. Hanc promovent suppressæ hæmorrhoides, aliique innumeri subsistentes vel prægressi morbi. Insuper affectus hypochondriaci & hysterici, de quibus suo loco, melancholiam plerumque comitem habent: sed a veri tramite recedunt, qui arbitrantur hosce morbos ab invicem non discrepare; quandoquidem occurrunt hypochondriaci, a melancholia plane expertes, imo ad hilaritatem compositi; non secus ac melancholici, ab hypochondriasi immunes: sed ut verum fateamur, serius ocyus in plerisque coeunt prædicti affectus. His addere licet, melancholiam nonnunquam solvi ab erumpentibus hæmorrhoidibus, ab efflorescente scabie, aliisque morbis cutaneis: nec suis defraudantur viribus adversus hunc morbum pertinaciissimum vulnera; si variis historiis sit fides. Sed rarus est hic faustus exitus, extra quem vix subit sanitatis spes; quin potius *diuturnus hic morbus* & ad certum gradum provectus, scorbutum, phthisim, febrem hecticam, marasmum, &c. post se trahat.

Pauca depromuntur ex *observationibus anatomicis*, licet numerosissimis; cum vix pateat, num melancholiæ, vel hypochondriasi, quas pro uno eodemque morbo habuerunt plerique Auctores, sint referendæ. Ut de hac re certiora tradamus, scire expedit, quod, remota cranii abside, obvia fiunt vasa circa cerebrum reptantia sanguine crassiori & subatro turgida; colluvies serosa in omnibus prædicti visceris recessibus, plexus choroides quodam muco obductus; glandula pinealis in majorem molem accreta, &c. Cor in quibusdam plane vacuum repertum fuit; in aliis se obtulit concretionibus, ut inquiunt, polyposis refertum, vel sanguine fæculento & fluido repletum. Abdominis vitia, supra tradita, dum de hypochondriasi, consulto missa facimus, ne crambem repetitam apponamus.

Immedicabilem plerumque esse hunc affectum jam notavimus: imo & crebro evenit, ut ægri plus æquo remediis confidentes in pejus ruant; nedum ipsis leventur: ideo caute præscribi debent, & non nisi a juvantibus & non lædentibus dirigi debet *curatio*. Prodest venæ sectio, si incusetur plethora vel cujusvis fluxus sanguinei sufflaminatio; alias iners, vel noxia, quidquid in contrarium Auctores, censeri debet. Saluberrima audiunt præsidia, emetica & cathartica, ubi sordes in primis viis nidulant; alias futilem operam ludunt. Sed sibi paria non habent humectantia, diluentia & temperantia; inter quæ miris laudibus effertur aqua simplicissima, quæ larga manu propinata cæteris præcellere videtur: in hunc censum veniunt cichorium, fumaria, lapathum, &c. lac asininum vel caprinum, serum lactis; aquæ minerales frigidæ, &c. quibus præmissis proficue adhiberi queunt aperientia e nitrosis & martialibus petita; non secus ac antiscorbutica; ubi de affectu cognomini nonnulla emergit suspicio.

Qui-

Quibusdam prosunt aromatica, quæ in cephalicorum & stomachicorum classe recipiuntur; id genus sunt melissa, botrys, cerefolium, semen anisi; chocolatum, extractum juniperi, electuarium de baccis lauri; mithridatium, &c. Inducias impertiuntur antispasmodica: inter quæ usitatiora sunt flores tiliæ, aurantiorum & stœchados; crocus, camphora, castoreum, &c. Juvamen præstare videntur narcotica; sed haud reticendum, quod ab eorum intempestivo usu haud sopiantur melancholici; quin potius magis turbentur, & morbus, ut plurimum, pertinacior evadat; ideo cum illis caute mercari expedit. Pluris habentur balnea & enemata refrigerantia; sed ut omnia in unum contraham, nil forte efficacius reperitur, quam proba vivendi ratio: omnem scilicet mœrorem excutiant melancholici; confabulationibus, deambulatione, equitatione, itineratione, &c. animum ad hilaritatem componant; & post congruum pastum curis & negotiis valedicant; donec prima eduliorum elaboratio in stomacho absoluta fuerit. Quod ad *nostalgiam* attinet, si ægri patriam exuere plane negent, & omnibus rationum momentis obsurdescant; danda est opera ut ad lares nulla mora properent; nec alia est curandi methodus.

MANIA.

NEmo nescit maniacos firmioribus viribus pollere; famem & vigilias facillime ferre; & ad venerem esse procliviores. Melancholiam ad certum gradum provectam maniæ esse cognatam jam supra notavimus; adeo ut ab una & eadem causa utrumque morbum sæpius promoveri confectarium sit. Varios subit gradus hic affectus, a prima scilicet illa desipientia, vel mentis imbecillitate ad furorem, quem nec verbera, nec compedes, nec fames vincere valent. Nonnulli nec feroces, nec queruli, sola ratione carent: non desunt, qui lucidis gaudent intervallis. In plerisque vires corporeæ adaugentur, etiam sub pravo & tenui victu; adeo ut robori musculari addi videatur, quod intellectui demitur: sed omnes insaniendi formas persequi arduum & inutile. Vehementiora animi pathemata, insolens scilicet gaudium, amoris æstus, mœror & tristitia, adversa, studia intensa, meditationes profundiores, cum hac perspicacia, vel quodam ingenii acumine, quod vocant *bel esprit*, hæreditaria demum pronitas, *insaniam minantur*. Nec tamen immunes censeri debent ingenio tardi & stolidi, qui ad amentiam sæpius vergunt. Præterea hæmorrhoidum & mensium suppressio; affectus hystericus vel hypochondriacus, phrenitis, insultus comatosi, aliique graviores morbi stultitiam inferre queunt; quæ alias nonnunquam pendet a systemate nervoso ventriculi, quod, notante BOERHAAVIO, plerique ægri accusant: ut sileamus de amentia senili plane immedicabili.

Hic morbus recens & remittens, a morbo acuto, aliave causa fugaci contractus, *secundis avibus* sæpius *judicatur*: sed ubi inveterascit & a causa stabili fovetur, omnibus denegatis induciis, *domari recusat*. Ab erumpentibus varicibus, ab uberrimo mensium & hæmorrhoidum, post quamdam suppressionem, proventu, aliove sanguinis inassueto profluvio; a diarrhœa naturæ limites prætergrediente, a dysenteria sævissima, aliave immodica evacuatione, nonnulli desipientes sanitati restituti sunt. Eumdem effectum præstarunt febris quartana, cæteræque intermittentes; quibus tamen sub aliis circumstantiis, nonnulli antea mentis compotes in maniam delapsi sunt. Si demum spontaneo naturæ motu, vel opportunis remediis discutiatur hic morbus, mortalium superbiam deprimens, hujusce turpitudinis haud immemores, ex hoc convalescentes tanta tristitia obruuntur, ut in publicum prodire vereantur, & perpetuo recidivæ metu torqueantur. De delirio a venenis, de quibus supra, nil addimus.

Cadavera stultorum *cultro anatomico* subjecta exhibent cerebrum firmius & aridum; ejus compagem elasticam, vix pyxide ossea coercendam; vasaque sanguifera latice nigerrimo infarcta; & cerebellum molle. In quibusdam serosa colluvies omnes recessus cerebri implet; & hydatides, nunc solitariæ, nunc acervatim aggestæ, ple-

plexui choroideo varicoso, & nonnunquam scirroso, adnatæ conspiciuntur. In aliis dura meninx, suis vasis vix conspicuis, crassa & callosa, vel exiguis tuberculis albicantibus obsessa, nonnunquam observatur. Osseam duritiem contrahit processus falciformis; & cerebellum consimili sepimento munitum in suo antro delitescit; nec ab hacce labe immunes sunt cæteræ meningum partes. Vermes haud raro recondunt sinus frontales; nec ipsimet cerebri substantiæ parcunt hæc fœda animalcula. Ossa demum cranii, cujus obliterantur connexiones, insolitam crassitiem præ se ferunt. Insuper vesicula fellea bile glutinosa & atro-viridi turget. Cæteras vero viscerum læsiones, quas memorant scriptores, recensere, haud e re nostra fore putavimus.

Curatio, uti neminem latet, a venæ sectionibus est auspicanda; ut inanitis vasis obsequiosiora fiant sensationum organa, & hinc compescatur efferus spirituum motus: sanguis videlicet educitur e brachio, pede & cervice. Decantatissima erat apud Veteres *arteriotomia*, quæ etsi a nostris coætaneis posthabita, plures tamen maniacos fausto beavit eventu: circa quam obiter notandum, haud minorem laudem mereri adversus phrenesim, cephalalgiam atrocissimam, ophthalmiam pertinaciorem, &c. Nemo nescit, arterias temporales ob subjacentia ossa huic sectioni aptiores esse. Sanguis etiam educitur e venis frontis; podicis, &c. ope hirudinum solita arte admovendarum. Nil postremo non movendum, ut cohibitus fluxus hæmorrhoidalis, vel menstrualis in integrum restituatur. Pluris habentur emetico-cathartica, si bilis æstuans & nidulans in propriis receptaculis, vel primis viis, uti crebro accidit, incusetur. Suam symbolam etiam conferunt, sub eodem conspectu, enemata purgantia & stimulantia. Depletis vasis; & expeditis primis viis, præsto sunt humectantia, diluentia & temperantia; refrigerantia & nitrosa; aqua scilicet affarim hausta, vel gelidissima; aquæ minerales frigidæ; cichorium, borrago, & fumaria; oryza, hordeum, & semina frigida; lac, serum lactis, &c. quibus sensim reprimitur ferus spirituum impetus.

Raro profutura sunt *narcotica*, opiata nempe & papaverina; quin potius morbum sæpius exasperent: sed eorum vices supplere valent alterius sortis sedantia & anodyna; flores nempe nymphææ, violarum, &c. Haud exiguam laudem meretur camphora, quam in re urgentiori ad semidrachmam, semel aut bis in die, exhibere licet. Sunt, qui saccharum saturni a granis duobus ad octo, pro furore extremo compescendo suadent: sed a saniori clinicorum parte improbatur illud remedium: cæterum suppetias quandoque ferunt antispasmodica supra laudata. Quod ad *helleborum* olim celebratissimum spectat, scire expedit, hancce radicem, quæ sub hoc titulo venalis prostat, solertiorum examini subjectam, vel ad quamdam stirpem, quam christophorianam vocitant, pertinere; vel ex helleboro nigro, herba indigena & vulgatissima, depromi; non vero a genuino helleboro Hippocratis, amplissimo folio, caule prælto & flore purpurascente; planta exotica & orientali, quæ haud multis abhinc annis in curiosorum hortis colitur: hinc e remediorum antimaniacorum censu expungendum esse hunc pseudo-helleborum officinalem facile colligitur. Haud tamen efficaciorem fore verum helleborum, licet apud Veteres decantatissimum, variis rationum momentis adductus, facile crediderim.

Inter præstantiora auxilia, ut in orbitam revertamur, recensentur *balnea frigida*. Non modo totum corpus, collo tenus in aquam mergitur; sed etiam caput per vices irroratur, & hoc est balneatorum munus: nec inutilem opem præstant semicupia, paratu faciliora. A nonnullis etiam laudatur repentina & inexpectata immersio in aquam maris; uti mos est in hydrophobia. Pluribus profuisse castrationem traditur. Quibusdam optime cessit cranii perterebratio: nec despiciendum cauterium occipiti inustum, &c. Nonnunquam evenit, ut irritis omnibus hisce præsidiis, a summo terrore, lapsu ab alto, aliove adverso casu, præter omnium expectationem sanitati restituti fuerint maniaci. Nec mere curiosa sunt hæc phænomena a publico rerum ordine aliena; cum ex illis bene perspectis & truti-

tinatis curandi judicium dirigere queant ſolertiores; qui ſcilicet praxi edocti a trita via recedere minime detrectant.

PHRENESIS.

HActenus de inſipientia apureta actum fuit; nunc expedit, ut ad *delirium febre ſtipatum* deveniamus. Hoc duplicis eſſe ſortis docet praxis; ſcilicet morbus, ut inquiunt, per ſe cenſetur, & febrem comitem habet; nunc cujuſvis febris ſymptoma audit: ad neutram tamen ſpeciem pertinere huncce morbum implicitum exſurgentem e delirio melancholico aut maniaco, & quacumque febre adventitia, nemini haud obvium. His præmiſſis circa hæc diſcrimina, ab Auctoribus perfunctorie tradita, de genuina phrenitide agendum nobis incumbit: quo nomine inſigniri debet illud *delirium idiopathicum* vel eſſentiale, quod febrem acutam exſuſcitat: delirium vero febrile dicitur mentis alienatio, ſi febris ſit primarius morbus. Sed harumce ægritudinum ſpecies diverſis gradibus & implicationibus confines, ita ſæpius invicem nectuntur, ut *diagnoſis* ſummis difficultatibus prematur; & vix conſtet de morbi indole.

Phrenitis vera & *legitima*, rarior ac vulgo fertur, prænuntiari ſolet æſtu & dolore atrociori capitis, quem ægri ad interiora haud perperam referunt; faciei & oculorum rubore, pervigilio, &c. Interea exſurgit febris, nunc levis, nunc intenſa; nec ſemper morbi impetui conſona, adeo ut ſola diuturnitate diſcrepare videatur hoc delirii genus a mania, quam contumaciorem eſſe nemo neſcit. *Delirium* vero *febrile*, vel ſymptomaticum præviæ febri appenditur, ſoloſque febricitantes adoritur; hinc minime mirum, ſi hoc ſedato perſtet febris, ſolitamque periodum abſolvat. Aliter ſe res habet ſub phrenitide: ſi enim reſipiſcant ægri, illico, uti pluries in praxi obſervavi, ſanitati reſtituuntur; ſi excipias virium debilitatem, qua aliquandiu tenentur hoc graviſſimo morbo convaleſcentes.

Haud ſilentio prætermittendum aliud eſſe delirium ſymptomaticum, *paraphrenitidem* nempe, clinicis rariſſime occurrentem; quam ad morbos capitis inconſulto referunt ſcriptores Medici, cum hic morbus ratione partis affectæ nullo modo diſcrepet a pleuritide ſimili delirio ſtipata, & uterque in pleuram irruat; cum hoc tamen diſcrimine, ut pleuritis membranam cognominem coſtas ſuccingentem invadat, & paraphrenitis ſedem habeat in illa pleuræ propagine concameratum diaphragma ſupra veſtiente. Paraphrenitidem, de qua Auctores, alii aliorum veſtigiis inſtantes, mentionem amplam ſubjecerunt, haud me obſervaſſe memini; & bis tantum, ni fallor, in *extiſpiciis cadaverum*, inter innumera, quæ ſecanda curavi, oculis viſenda ſe præbuit vera pleuritis, quæ tamen apud pſeudo-Medicos vel imperitos pro frequentiſſima habetur. Notandum poſtremo incumbit, pleuræ tum pectoris latera, tum diaphragma obveſtientis phlogoſim haud ſemper delirium adjunctum habere, uti patet e tradita cadaverum hiſtoria.

Delirium melancholicum a prægreſſis gravioribus morbis, ab affectu hypochondriaco & hyſterico, a ſollicitudinibus, &c. proſapiam ducere jam ſupra inculcavimus. *Delirium* vero *febrile* febres continuas & intermittentes cujuſvis ſortis ſæpius concomitatur: hoc prænuntiant vigiliæ, cephalalgiæ acerbiſſimæ, oculi flammei & truces, fletus ſine cauſa manifeſta, inquietudines vel inſolens animi fiducia. Promovetur a ſufflaminatis evacuationibus; ab eryſipelatis, alteriuſve cutis efflorescentiæ receſſu, phlogoſi interna, &c. *Phrenitis legitima*, quæ intra aliquot dies continetur, & ràro ad octavum protelatur, juvenes, vegetiores vel athleticos, biliosos & iracundos, opipare viventes & poculis indulgentes invadere ſolet: hanc pariunt dapes ſalitæ vel piperatæ, liquores ardentes bibonibus gratiſſimi, inſolatio, capitis contuſiones, &c.

Raro in obitum vergit deſipientia melancholica: ægros in vitæ diſcrimen trahit delirium febrile, præſertim ſi febres biliosas & inflammatorias, variolas & morbillos, ileum, aliumve morbum ſonticum, concomitetur. *Phrenitis morbus calamitoſus* audit, qui ſcilicet tertio, quartove ab inſultu die ægros e medio tollit. Tremor, hac procedente, & convulſiones; bilis æru-

æruginosæ vomitus, sitis defectus, lotium suppressum vel subalbicans, &c. funeris metum incutiunt. Faustum e contra exitum pollicentur dolores trunci & artuum, hæmorrhagiæ, fluxus hæmorrhoidalis, varicum eruptio, alvi profluvium; sudores, &c. Si demum sublata febre persistat delirium essentiale vel symptomaticum, in desipientiam melancholicam, vel maniacam, & nonnunquam in affectum soporosum facessit.

Extra oleas evagarer, si quidquid in *exenteratis cadaveribus* post morbos acutos vel chronicos delirio stipatos observatur huc attexerem. Eas duntaxat læsiones in cerebro detectas, quæ magis ad phrenitidem pertinere videntur, e re nostra fore putavimus, quæ sic se habent. Referato capite, conspiciuntur vasa, quæ per cerebrum, ejusque involucra, nonnunquam crassa & corrugata, disseminantur, plus æquo turgida & varicosa in plexu choroideo; sinus veræ meningis concretionibus polyposis turgentes. Deteguntur sarcoses, aliique tumores: occurrunt vermes in variis ejusdem visceris partibus hospitantes. Serosa colluvies, in plerisque, omnes cerebri recessus implet, vel inter meninges effusa deprehenditur. Haud raro occurrit humor gelatinosus circa tenuis meningis vasa. Cerebrum densum, aridum & firmius, phlogosi, non secus ac meninges, correptum, purulentia vel gangræna defœdatum sæpius annotatur. Easdem læsiones quandoque exhibet medulla spinalis; similibusque vitiis contaminantur alterutrius partis involucra; præter quæ, dura meninx tuberculis obsita deprehenditur: ac postremo hujusce membranæ processus, sepimentorum munia gerentes, haud raro osseam duritiem assequuntur. His addere licet, quod hepar, vicinioresque partes nonnunquam phlogosi corripiantur; bilisque receptacula sæpissime turgeant cum flavedine ictherica totius corporis; & sanguis omnium vasorum fluidus reperiatur; ut de aliis pectoris & abdominis vitiis, a nostro proposito alienis, silcamus.

De *medela* delirii febrilis, vel symptomatici, supra actum fuit: sed præhabitis addere licet, quod haud leve emergat dubium circa venæ sectionum efficaciam, ab omnibus ferme scriptoribus celebratam; quin potius pluries mihi observasse contigit, quod a misso sanguine, dum viget delirium, fatum acceleretur; præsertim si sub primis diebus jam pluries secta fuerit vena, & morbus etiam adoleverit: constat præterea, post Willisii, Floyeri, aliorumque haud infimi subsellii Auctorum observationes, delirium a balneo frigido sæpius fugari, imo & morbum solvi: num illud phænomenum phlebotomiæ inertiam arguat, solertioribus examinandum relinquimus. Quod spectat *ad phrenitidem*, quantocyus celebrari debent venæ sectiones; nec fallit sub hoc casu vulgatissima indicatio: commendatur præsertim sanguinis missio e saphena: aliis tamen antecellere jugularium sectionem propria experientia pluries didici: nonnullis tandem optime cessit ipsamet arteriotomia. Probe depletis vasis conferunt emetica & cathartica: suas laudes etiam merentur enemata purgantia prioribus succedanea: a quibus peractis, haud raro clauditur curatio. Insuper propinanda veniunt per totum morbi curriculum diluentia, demulcentia, & temperantia; aqua nempe oryzæ & pulli, serum lactis, emulsiones, decoctum cichorei & borraginis, aliaque consimilia, quibus occurritur fibrarum rigiditati. Inter anodyna jure decantantur nitrum, & cremor tartari; camphora & sal sedativum, quæ lascivientes spiritus egregie compescunt: sed raro proficiunt narcotica; quin potius, æque ac in delirio febrili, morbum exasperare soleant.

Haud despicienda remedia externa, inter quæ utilia admodum censentur aqua frigida, vel gelidissima, acetum, nitrum, camphora, &c. Egregium etiam effectum præstant, præmissis præmittendis, sinapismi, vesicatoria, & cucurbitulæ, artubus inferioribus admota. Pluris habentur hirudines vasis hæmorrhoidalibus impositæ, si fluxus cognominis cohibeatur: sub aliis circumstantiis fronti & temporibus admoveri solent; atque inter remedia efficaciora jure numerantur. Pediluvium postremo tepidum multis optime cessit.

CONVULSIONES.

RIte *distingui debet* mera *convulsio*, a *motu convulsivo*: sub illa scilicet partes rigidæ & immobiles perstant, in hac membra diversimode concutiuntur, atque jactatione, plus minus violenta, agitantur. Insuper mentis operationes libere ut plurimum exercentur in convulsione; ac plane deficiunt in motibus convulsivis, respiratio in utroque affectu raro læditur: sed pulsus sæpius obscurus, & quandoque febrilis, deprehenditur. Nemo nescit, hosce morbos vel generales, vel hanc, illamve partem respicientes, nunc fugaces, nunc diuturnos esse; adeo ut de eorum stadio raro quid certi proferre liceat. Quibusdam periodis nonnunquam continentur; vel statis temporibus febrium intermittentium more recurrunt. Huncce typum sæpius præ se ferre convulsiones hystericas neminem practicum latet. Varia sortitur nomina convulsio, ratione partis cui insidet. Si musculi, utrimque commissuris labiorum implantati, convellantur, emergit *spasmus cynicus* vel *risus sardonicus*: ubi alterutrum latus duntaxat afficitur, *tortura oris* audit, quam etiam in paralysi subcriri cuivis anatomico obvium. *Trismus* est convulsio maxillæ inferioris, feminis præsertim hystericis & infantibus recens natis familiaris. Convulsio in dorsum ingruens *tetanos* dicitur; sub qua specie maxillæ inferioris musculi primo læsi solent; dein morbus transmittitur in musculos cervicis, dorsi & lumborum; hinc corpus rigidum in neutram partem flecti potest; pharynx convellitur; adeo ut fiat deglutiendorum reditus per nares. Nonnulli acerbissimis dorsi doloribus torquentur; vigiliis pertinacibus, imo & delirio plectuntur. Si soli musculi flectentes afficiantur, *emprosthotonos* vocitatur morbus: *opisthotonos* vero dicitur, si antagonistæ spasmo corripiantur; sed de hacce Græca nomenclatura a Veteribus, qui nescio quo pruritu fingendi nomina laborarunt, exculta, & in Scholis celebrata parum curant clinici, qui rectam medendi normam apprime callent; dummodo genuina indoles morbi, in quacumque parte sedem habeat, ipsis innotescat.

Præter has *differentias*, alii occurrunt morbi convulsivi; epilepsia nempe, incubus, asthma & tussis ejusdem comatis; cordis palpitatio; sternutatio, strabismus, singultus, priapismus, &c. de quibus suo loco.

Ad eumdem censum etiam referri queunt *oscitatio* & *pandiculatio*; quæ in symptomatum agmine locum habent. Alia est convulsionis species ab Scriptoribus celebratissima, quam *catalepsiam* vocant, de qua variæ traduntur fabulæ; quæ nil aliud est, quam quidam convulsionis gradus, quo membra flexiliora impertitum situm retinent: hypochondriasis vel hysteris speciem præ se fert hic affectus; nec alia curandi methodo expugnari solet: e traditis enim historiis liquido constat *catalepsiam* natales sumpsisse e profundioribus & religiosis meditationibus; ab improbo litterarum studio, aliisque gravioribus animi pathematibus. Subito ingruere solet hæc rara convulsionis species; & ægrum, uti fertur, vigilantem, loquentem, stantem, decumbentem, scribentem, &c. in eodem statu immotum servat: adde quod nonnulli, sub hac rerum conditione, vident & audiunt; sed nec loqui, nec palpebras movere queunt. Huc etiam spectat *chorea sancti Viti*, *la danse de St. Guy*, qua pueros puellasque a decimo ætatis anno ad pubertatem invadere solet; qua correpti manus in eodem situ continere nequeunt, vel horæ momento; ac stulte quasi saltant; inconditisque singulorum artuum motibus detorquentur. Nec parcit hic morbus ætate majoribus; & ipsismet mulieribus, quæ ad templum sancti Viti, in Circulo Sueviæ, juxta Ulmam concurrunt, circa festum mense Majo celebratum; quæ scilicet saltu se exercent nocte dieque cum mentis perturbatione; donec extaticorum instar corruant. Epidemice quasi grassabantur inter utriusque sexus juvenes pseudo-convulsiones epilepticæ in quodam nosocomio Harlemiano: cum post frustra tentata omnia, vel eximia præsidia, accersitur BOERHAAVIUS, qui a sola læsa

læsa imaginatione oriri hunc truculentum affectum jure suspicabatur: ideo palam & coram omnibus proponit cauterium ferro candente brachio alte inustum; quo remedio perterriti ad huncce morbum proclives, non amplius epilepsia laborarunt. Puella septennis epilepsia, uti omnibus videbatur, in nosocomio Monspelienſi, laborabat: dolum subolfaciens clar. Sauvages usum verberum præscripsit; quo audito, sanata est. Morbus ni fallor affinis, haud multis abhinc annis quasi grassabatur, & in propatulo erat Parisiis; nec forte desiisset, ni Rex Christianissimus lymphatæ ægrotantium menti severa lege consuluisset. Haud absimili forte morbo teneri *pseudo-dæmoniacos*, avis nimium credulis fucum facientes, credere par est.

Convulsionibus correpti, quoad potiorem partem, nec loqui, nec moveri valent: plures in coma somnolentum, quod nonnunquam ad mensem & ultra protelatur, incidunt; nonnulli etsi immobiles jacent, omnia cernunt, audiunt, intelligunt; quorum sublato morbo nitide recordantur. Aliter se rem habere in *motibus convulsivis* supra declaravimus, quibus afflicti omni ut plurimum sensu orbantur. Utriusque sortis *insultus convulsivos*, truncum & artus plerumque obsidentes, *prænuntiant* vertigines, aurium tinnitus, oscitationes, pandiculationes; tremores, dolores in hanc vel illam partem impacti; cordis palpitationes & pulsus inordinatus; anxietates, cardialgiæ & nauseæ: nonnulli imminente paroxysmo, de quadam pedum formicatione conqueruntur: alii auram, ut inquiunt, frigidam persentiunt in coxide, vel extremis artubus, quæ per dorsum, ut ipsis videtur, serpens caput impetit. Postremo hypochondriorum inflatio, ani spasmodica constrictio, cervicis vesicæ præclusio, &c. inter hujusce *morbi prodromos* etiam numerantur. Ægri insuper, vieto insultu, quasi ingenti labore fracti remanent: nonnulli animo loquuntur; alii torpore afficiuntur, vel somnolenti evadunt: morbus demum inter clamores & ejulatus sæpe solvitur. His addere licet, quod quidam *vigente paroxysmo* priapismum patiuntur, qui etiam ab obitu non domatur.

Nemini parcunt morbi convulsivi; sed sequiorem sexum & infantes ad hosce affectus *proniores* esse nemo nescit. Hos promovent hysteris & hypochondriasis, amoris æstus & lubricitas, terror & iracundia, cæteraque graviora animi pathemata. Erumpentibus catameniis haud raro sæviunt, & ab harum suppressione, non secus ac a partu difficili & abortu etiam *sobolescunt*. Convulsiones accersere valent emetica & purgantia drastica; toxica diversæ naturæ, vinum lithargyro adulteratum, &c. Natales ducunt ab ischuria, seminis sufflaminatione, sudore cohibito ab asperrimo frigore, efflorescentiarum cutanearum regressu, & arthritide repulsa. Concitantur ab inedia insolita, & ab evacuationibus immodicis. Has infligunt febres mali moris; materia æruginosa os ventriculi mordicans; vermes in primis viis nidulantes; morsus & punctura animalium venenatorum, &c. Quibus addere licet vulnera, luxationes & fracturas; ac uno verbo quidquid nervos, membranis prospicientes, lacessit & vellicat: quare minime mirum, si crebro ingruant a testium vulnere, a curatione scilicet chirurgica sarcoceles, vel a castratione; quæ gangrænam internarum partium, autopsia judice, accersere valet.

Convulsiones facilius ferre infantes, quam adultos; & mulieres, quam viros neminem practicum fugit. Has quandoque solvunt hæmorrhagiæ, urinæ largum profluvium, vermium dejectio, vomitus spontaneus; &c. *Luctuosæ* audiunt, si ab inedia & exhaustis viribus processerint; si nulla annotetur remissio nec intermissio. Omnes asserunt Auctores, duce Hippocrate, tetano correptos post superatum quartum diem incolumes evasisse: nonnullos tamen vidisse memini, qui duodecimo vel quintodecimo morbi die occubuerunt. Traditur quoque post divinum, ut inquiunt, senem, febrem sub convulsionibus invadentem auspicatissimam esse, cui effato etiam refragatur experientia. Utriusque ordinis morbi convulsivi haud raro facessunt in epilepsiam, æque ac in apoplexiam & paralysim, quæ in provecta ætate *exitium portendunt*. Convulsiones erumpentibus variolis, vel incuntibus aliis mor-

bis acutis, minus ominosæ a clinicis censentur. Calamitosæ audiunt, si immodicas evacuationes excipiant; cum multiplici experientia constet, periculosiores esse ab inanitione, quam a repletione. Nec feliciorem eventum hariolari licet a convulsionibus nonnullarum partium: pro exitiali nimirum habetur, præsertim in infantibus, oculorum convulsio: in obitum vergit spasmus cynicus, morbus alias rarissimus: sed nil plerumque demit sanitati tortura oris. Quid minetur subsultus tendinum, vigente febre, supra declaravimus. Convulsiones in plerisque varias remissiones & intermissiones subeunt: ratione causæ, nunc fugaces, nunc contumaciissimæ observantur; nonnunquam enim intra paucas horas continentur, alias ad menses & annos protelantur. Coronidis loco addere juvat, morbos convulsivos minus esse pertimescendos in morbis acutis, quam sub cæteris; & periculo plane vacare affectiones illas chronicas, quibus os vel palpebræ sæpius detorquentur, & vultus indecore componitur. Idem arbitrandum de hisce assuetis partium jectigationibus, fremitibus, &c. quæ inter morbos non transcribuntur.

E traditis convulsionum causis evidentibus colligitur, numerosissimas esse *observationes anatomicas*; adeo ut in immensum crescceret pagina, si omnia de hac re prolata, licet contracta, in medium adducerem; quapropter cerebri duntaxat & medullæ spinalis læsiones recensere animus est. Capite igitur aperto, vasa cerebri infarcta, & nonnunquam disrupta, cum stagnante cruore conspiciuntur: patent meninges phlogosi vel purulentia tactæ, quæ alias offeam duritiem in quibusdam contraxerunt; rarius deteguntur vermes sub cranio delitescentes: occurrit materia gelatinosa circa ambitum cerebri; non secus ac colluvies serosa circa cerebrum & medullam spinalem fluctuans, ac varios recessus replens: deteguntur in quibusdam tumores varias cerebri partes obsidentes: plexus choroideus scirrhosus vel putris: glandula pinealis ingens. In conspectum venit cerebrum purulentia & putredine sæpius defœdatum; sed rarius aridum & siccum deprehenditur. Iisdem vitiis submittitur medulla spinalis; sed hic frequentiores sunt stagnationes serosæ inter bina ejus involucra: & vertebræ nonnunquam reperiuntur carie affectæ. Notandum incumbit, medullam vertebralem solam esse partem læsam, incolumi cerebro, sub convulsionibus, quæ functionibus animalibus, & loquelæ organis parcunt. Inter aliarum partium læsiones familiarius annotantur suppuratio diaphragmatis; corruptela omenti, partiumque vicinarum; calculi renales, cruditates acidæ in stomacho & duodeno latitantes; lumbrici in tubo intestinali flatibus turgente hospitantes, &c. Notare expedit, trismum vel convulsionem maxillæ, sub tetano, nonnunquam post mortem permanere usque ad triduum: priapismum etiam in cadaveribus sæpius observari jam supra innuimus: sed quid magis stupendum detegitur; ossium nempe luxationes & fracturæ, quæ ferociorum sane succussionum effectus exhibent. Post demum convulsiones febriles nil præter paulum seri reperitur in cerebro. Frustra etiam quæritur causa morbi in capite post convulsiones, quæ fiunt per consensum.

Quod ad *curationem* spectat; supervacanea ut plurimum vel noxia fore venæ sectiones & emetica, a vulgo Medicorum usurpari solita, experientia teste asserere minime dubitamus. Non vetatur tamen sanguinis missio, urgente plethora; vel si incusetur hæmorrhagiarum consuetarum suppressio. Sed invaluit mos pessimus hæc præsidia in omnibus obviis gravioribus morbis adhibere ad vituperium deflectendum, vel insulsæ plebis præjudiciis obtemperandum. Haud desunt tamen medicamina, quæ fauste in usum trahi queunt: propinantur nempe potiones oleosæ: injiciuntur enemata ejusdem naturæ, vel stimulantia: naribus admoventur acetum acerrimum, spiritus salis ammoniaci simplex, vel succinatus, petroleum, terebinthina, aliæve substantiæ graveolentes: celebrantur fricus in dorso & tibiis; injiciuntur vincula constrictione molesta; fiunt litus emollientes & aromatici juxta longitudinem spinæ; affiguntur cucurbitæ ficcæ vel scarificatæ; vesicatoria, &c. Laudantur balnea, semicupia & pediluvia:

vel

vel pars affecta in aquam immergitur. Nec omnia, sæviente insultu, haud impedita deglutione, vetantur remedia interna: pluribus enim profuit aqua frigida affatim hausta: nonnullam opem conferunt antispasmodica; guttæ nempe Anglicæ, tinctura castorei, vel succini, aqua florum aurantiorum, &c. Si convulsiones ortum ducant a quovis urgentiori dolore, vel ab alia quacumque irritatione, ad hypnotica confugere licet; alias cane & angue pejus fugienda. Mira demum præstare valent, propria experientia judice, tubarum, tintinnabulorum & tympani bellici strepitus, pulvis pyrii fragor, & id genus alia, quæ ne quidem in curantium mentem veniunt.

Fugato paroxysmo, danda est opera, ut præcaveatur reditus; a bene perspectis jam exaratis causis curandi judicium dirigendo. Pro comperto enim manet, vulgatiores convulsiones esse mere symptomaticas: hinc primarii morbi habendam esse rationem cuivis vel rudi & inexperto obvium fit. Ubi vero causam fugacem agnoscunt insultus convulsivi, totum negotium naturæ committendum; vel ad remedia melancholiæ dicata confugere expedit. Alias *curatio prophylactica* a venæ sectione in plerisque est auspicanda, præsertim post sufflaminata solita sanguinis profluvia. Misso sanguine, primis viis prospiciendum; sordes scilicet inibi nidulantes, tum per vomitum, tum per secessum foras elutriando. Interea in usum vocantur diluentia, temperantia & demulcentia; aqua nempe simplex vel nitro imprægnata, aquæ minerales frigidæ, vel thermales, serum lactis, vel ipsummet lac, jusculum pulli vel vituli, emulsiones, &c.

Nec minus conducunt antispasmodica, inter inducias, quam sub paroxysmo; quibus proxime accedunt cephalica & carminantia; usitatiora audiunt melissa, salvia & betonica; folia aurantiorum, quorum vires summis laudibus extollit clar. de Haen; flores tiliæ, primulæ veris & lilii convallium; pæonia & valeriana; succinum, castoreum, pulvis de gutteta, &c. Tanquam præstantissimum remedium a nonnullis recentioribus laudatur moschus, a granis octo ad duodecim exhibitus. Juvamen sæpius præstant amara, inter quæ multum deprædicantur, nec immerito, cortex peruvianus, quo occurritur digestionum vitiis: nec sub alio scopo laudes merentur absorbentia & vermifuga; corallina nempe, semen santonicum, &c. Nec inanem operam ludunt aperientia; martialia nempe, aselli, &c. Inter sedantia pluris habentur camphora & liquor anodynus mineralis. Proficue etiam usurpari queunt narcotica antispasmodicis sociata, si libere exerceantur functiones animales: alias haud citra periculum hæc adhiberi posse facile crediderim. Multis emolumento sunt balnea aquarum thermalium vel alterius sortis; non secus ac varia topica, fugando paroxysmo dicata. Interea multum interest, ut locum editum adeant ægri; ut obambulatione, vel equitatione se exerceant, aut rheda vehantur: pluribus summe profuisse hanc vivendi rationem, experiundo didici. Fertur nonnullos, incassum adhibitis omnibus præsidiis, sanitati restitutos fuisse, magnetem ferro instructum gestando; quod phænomenum, etsi a publico rerum ordine alienum, rationi tamen minime absonum videtur; dummodo cerebrum nullum vitium contraxerit. Quoad choream sancti Viti spectat, a mentis perturbatione, ni fallor, semper oriundam, licet monitis, increpationibus & minis fugari queat; haud tamen inutilem opem præstant supra tradita remedia; inter quæ præsertim laudatur cortex peruvianus; non secus ac electuarium antiepilepticum Fulleri.

EPILEPSIA.

Hoc morbo perculsi subito, vel post varios gyros, quasi vertiginosi, *corruunt*. Humi prostrati, sui inscii, omnique sensu orbati, inconditis & horrendis motibus luxationem sub infantia minantibus torquentur; adeo ut commiseratione permoveantur adstantes, vel silicei. Jacentium oculi convelluntur; os, declinante præsertim paroxysmo, spuma ductili, instar sebi fusi, defœdatur; facies tumida calore atro-violaceo perfunditur; lingua cras-

craſſa extra os exeritur & dentibus nonnunquam vulneratur, vel plane reſecatur: reſpiratio in pluribus difficilis cum ſtertore exercetur. Pulſus, ſæviente paroxiſmo, durus & inæqualis; debilis vero circa finem deprehenditur; imo & in nonnullis quaſi obliteratur. Nonnulli ejulant & furore quaſi perciti pugnis ſe percutiunt: alii delira loquuntur, vel quædam inaudita profutiunt, quæ a variis nebulonibus pro rebus dæmoniacis venditantur. Nec deſunt, qui cæleſtia ſibi fingunt ſomnia, ab inſulſa plebe, vel a fanaticis celebranda. Penis in juvenili ætate erigitur, imo & ſemen erumpit: urinæ in nonnullis ſummo impetu proſiliunt, & alvus eadem ratione ſolvitur. Paroxyſmus nonnunquam ingeminatus, vel circa declinationem recrudeſcens hebetudine vel ſomnolentia, apoplexiæ plane compare excipitur. Nonnulli ſuperato paroxyſmo membrorum torpore aliquandiu afficiuntur; omnes de laſſitudine inſolita, ceu ſummo labore fracti, conqueruntur; ut de capitis contuſionibus, quas patiuntur ſuper pavimentum lapidibus ſtratum devoluti, nil addam.

Inſultus epileptici quibuſdam periodis plerumque ſubjiciuntur; ſingulis ſcilicet annis, menſibus, hebdomadibus, &c. recurrere ſolent: nec raro lunæ phaſibus ſubmittuntur; hinc minime mirum, ſi Veteres, hoc morbo correptos lunaticos vocitaverint. In nonnullis per plures annos ſilet hic morbus, præter omnium expectationem dein recurrens. Paroxyſmi ab horæ quadrante, ad horam unam vel alteram vulgo protenduntur; haud deſunt tamen, qui ad plures dies protelantur. Quidam epileptici varios prodromos jam experti, lapſum præcavere queunt: multa enim *imminentem paroxyſmum* indicant; dolor nempe capitis gravativus, vertigo vel ſcintillæ oculis obverſantes, aurium tinnitus, cordis palpitatio, epigaſtrii inflatio, borborygmi, extremorum refrigeratio, &c. His addere licet dolorem quemdam vel titillationem alterutris artubus inſidentem, qui acceſſionem minatur; cui monito obtemperantes ægri, lapſum & contuſionem paventes, humi ſe proſternunt. Aura, ut inquiunt, ab hac parte ad caput movetur; quaſi inibi eſſet fomes morbi, qui cerebrum in conſenſum traheret. Pleriſque tamen nullus occurrit paroxyſmi prænuntius, qui tum gravior eſſe ſolet; adeo ut haud deſint, qui ob metum invaſionis domo egredi negant. Nonnullorum tamen epilepticorum, ſenſibus inter paroxyſmum minime orbatorum, memorant Auctores: num affinitate decepti unum morbum pro altero habuerint, ſolertioribus examinandum relinquimus; cum nemine fere diſcrepante in integra ſenſuum internorum abolitione præcipuus verſetur *epilepſiæ typus*; quo bene perſpecto in apricum veniunt variorum mendicorum fraudes. Præterea in genuina epilepſia oculi convelluntur, ſolo albo conſpicuo; & in hoc ſigno vere diſtinguitur a ficta vel ſimulata.

Signis tamen *evidentibus* haud ſemper ſe profert epilepſia; nec obſervationes anatomicæ, etſi numeroſiſſimæ, genuinum hujuſce morbi characterem produnt; nedum variæ epilepticorum hiſtoriæ, ab Auctoribus traditæ, nos ab erroris periculo vindicent. Pleroſque nubem pro Junone ſalutaſſe recte notavit BOERHAAVIUS; qui tamen hallucinationem declinandi modum minime docuit; adeo ut haud forte abſonum ſit dubitare, num epilepſia cum aliis convulſionum ſpeciebus haud coincidat: imo & re ſerio penſitata, omnes morbos ſpaſmodicos ſolo gradu ab invicem diſcrepare arbitrari fas eſt. Nec refragantur, uti jam innuimus, hoc morbo denatorum *extiſpicia*. Patet præterea omnes fere convulſionum ſpecies iiſdem cauſis evidentibus progigni; ſymptomatibus vix abſimilibus ſtipari; congeneribus auxiliis impugnari; nec plane diverſum habere exitum: ſed illud dubium in medio relinquimus.

Infantes & juvenes, non ſecus ac cachecticos & melancholicos epilepſiæ *obnoxios* eſſe experientia compertum manet: ſed raro invadit ſenes hic morbus, ni a pueritia illum contraxerint. Nemo neſcit mulieres, præſertim gravidas & puerperas, ad hunc pronas eſſe; ni hyſteris ipſis familiaris epilepſiæ faciem præ ſe ferat. Terrores & pavores, aliaque graviora pathemata, quibus mens acerrime commovetur,

tur, epilepsiam accersere queunt. Fertur virginem sex & viginti annorum, teneriorisque & sensibilioris naturæ, vetulam horrenda epilepsia correptam conspexisse; & a concepto horrore in epilepsiam incidisse, singulis diebus, pari hora recurrentem. Traditur etiam nonnullos epilepticos ab ingenti terrore, quod sane mirum, curatos fuisse. Hanc concitant effrenata salacitas, vel frequentior seminis emissio. Nonnunquam etiam promovetur a castimonia post petulantiorem veneris usum. *Causam in ipso capite* hærentem, in obscuris plerumque latentem agnoscit *idiopathica*, quæ sæpe progerminatur ab scabiei, aliorumque affectum cutaneorum retrocessu, ab exhaustis vetustis ulceribus a præpostera febrium intermittentium curatione, &c. *Sympathica* vero plerumque suboritur a saburra in primis viis nidulante; a cohibita in utroque sexu ad venerem propensione; a suffl aminatis mensibus; aliove uteri vitio: hanc promovent in infantibus vermes & dentitio: natales postremo sumit a contusione, vulnere, ossium fractura & carie, aliisque causis in proximo capite recensitis, quibus per nervorum consensum afficitur sensorium commune. His subnectere licet, epilepsiam nonnunquam incipere a latere, manu, pede, &c. sub sensu auræ, formicationis vel doloris ad caput ascendentis; unde fit, ut fascia injecta cohibeatur exoriens paroxysmus; vel secto nervo plane curetur morbus.

Epilepsia puerorum, de qua suo loco, pubertate ut plurimum solvitur; nec ultra septem menses, vel annos produci vulgo fertur; ni tamen sit congenita, vel a partu difficili contracta; aut summo terrore concitata. Sed in *adulta ætate* raro sponte desinit, quin potius per totum vitæ curriculum proteletur. Quo frequentiores sunt paroxysmi eo *periculosior* censetur epilepsia: hereditaria nullam ferme curationem admittit; idiopathica etiam pro immedicabili habetur; sympathica vero facile evincitur. Epilepsia in affectum quemdam comatosum apoplexiæ æmulum facessens ægros in orci fauces præcipites trahit; ni accedente paralysi ad vivorum numerum revocentur; quod nonnunquam evenisse testantur historiæ. Paroxysmum sæpius presso pede sequitur syncope, qua jacentes vix a mortuis discrepant; quod alta mente tenere debent clinici, ne cogitetur de exequiis; & infelicissimi ægri vivi sepeliantur; quod plus quam horrendum infortunium plures passos fuisse haud falso conjicitur: qui demum ferociores hosce insultus superant, his mens ægrotat. Coronidis loco addere juvat, epilepsiam omnibus remediis obsurdescentem a febre quartana, aliove graviore morbo, radicitus haud raro extirpatam fuisse. Nec desunt exempla epilepsiæ sanatæ a puris effluxu per oculos, nares & aures. Num epilepsia sit contagiosa dubitare licet; etsi nonnulla in medium adducantur exempla prædicti contagii.

Ex *observationibus anatomicis* colligitur epilepsiam in plerisque esse idiopathicam: præter enim ossium cranii & futurarum morbosam conformationem; occurrunt exostoses cerebrum prementes; vel fragmenta ossea, nunc mobilia, nunc pyxide adnata, & duram meningem lacessentia. Cranium circa futuras pellucidum visum fuit, vel passim carriosum. Crassæ meningis processus in osseam substantiam, cujus nonnullæ partes angulosæ cerebrum vellicare queunt, conversi deprehenduntur. Conspiciuntur crassa meninx tuberculis obsita, vel piæ meningi accreta, cerebrumque firmum, callosum, suis involucris agglutinatum; substantiæ medullaris præcipua portio in corpus gelatinosum subfuscum & pellucidum mutata. Substantia corticalis, colliquaminis instar, leviſſimo attactu diffluens, vel in mucosum corpus conversa, quod cultri mucronem attollentem sequens in fili modum ducebatur, &c. Visenda se præbent vasa per cerebrum, & meninges disseminata, concretionibus, ut inquiunt, polyposis, vel muco quodam tartareo infarcta; & in quibusdam materia quadam viscida & gelatinosa obducta; plexus choroideus dilatationibus varicosis, vel hydatidibus refertus, &c. in propatulo fiunt stagnationes cruentæ, tum in ipsa cerebri substantia, tum in variis ejusdem visceris anfractibus: sed frequentior est serosa colluvies omnes recessus implens, vel circa cerebrum & medullam spinalem fluitans. Detegitur in ven-

ventriculis cerebri sanies fœtida, vel ichor quidam viscidus parum discrepans ab spuma, quæ os defœdabat. Materia huic plane compar sub crassa meninge etiam conspicitur. Alia notatu digna etiam observantur; tumores nempe diversæ sortis, purulentiæ, putredines, plexus choroideus granulosus, vel hydatidibus refertus, &c. Insuper obvium quandoque fit argentum vivum circa basim cerebri; & in diploe, non solum in iis, qui ante obitum hydrargyrosi syphilideæ submittebantur; sed etiam in variis artificibus, qui illud minerale conductitiis & assuetis operibus pertractaverant. Postremo nil a natura alienum invenitur in nonnullorum capite; præsertim post epilepsiam per partium inferiorum consensum, quæ raro sui vestigium in cerebro relinquunt.

Superfluum sane foret mentionem subjicere de variis læsionibus pectoris, abdominis, trunci & artuum, a nostro proposito plane alienis. Sed haud abs re erit nonnulla, *quæ artus spectant* in medium adducere. Plures epilepticos dolore quodam in pedum, manuumve digitis, vel in quavis alia crurum, vel brachiorum parte defixo imminentis paroxysmi admoneri, jam supra innuimus: occurrit in hocce puncto, ab ægrotantibus, dum viverent, pluries designato, ganglii quoddam genus, aliudve vitium, quod genuinam morbi sedem præbet: imo & nonnullis historiis constat, plures hac chirurgice sublata causa, vel secto nervo huic vitio prospicenti, sanitati restitutos fuisse; quod sedulo annotasse sufficiat.

Venæ sectiones & emetica, quæ audacter a pluribus imperitis, vigente paroxysmo, præcipiuntur, superflua & exitialia censeri debent. Consultius est totum opus naturæ committere, dummodo situ congruo, contusionibus præcaveatur; & adacto inter utramque maxillam subere, aliove corpore congruo, impediatur quominus lingua a dentibus vulneretur. Etsi paroxysmus a sanguinis missione nonnunquam fugari videatur, ratum tamen manet, apud artis Magistros, hoc intempestivo præsidio, morbum contumaciorem evadere. Exemplo sit hæc mulier in diariis celebrata, cui intra anni curriculum, nescio quo præcipiente Medico, vena quater millies secta fuerit; tantum invalescunt præconceptæ opiniones. Nonnunquam tamen sanguinem mittere licet, ut urgentiori occurratur; ubi scilicet vasa sanguinea, ob plethoram, vel cujusvis fluxus sanguinei suppressionem, plus æquo turgida disruptionem minantur; quod non raro a vehementioribus convulsionibus accidisse, e relatu naturæ rimatorum sat abunde patet. Pari ratione præscribi potest emeticum, si primæ viæ pravis digestionum reliquiis turgeant: summa cautela moveri debet vomitus, quo sanguis majori impetu irruens ad cerebrum, lethalem labem ipsi impertiri valet. Tutius, ad quamdam revulsionem peragendam, celebrantur fructus in dorso vel cruribus; & injiciuntur enemata stimulantia, vel cathartica, quæ sub variis circumstantiis haud inutilem operam ludunt. Ab injecto vinculo paroxysmus coerceri solet in hacce epilepsiæ sympathicæ specie, quæ a peculiari artuum vitio pendet; pluriesque bene cessisse hanc oportunam deligationem experientia constat. Sternutatoria in potiori epilepticorum parte nocentissima, nonnullis prosunt: sed cum arduum sit inquirere in quo casu congruant prædicta stimulantia, ab his plane abstinere satius videtur. Odoramenta graviora & ingrata, in aliis convulsionum speciebus proficua, plane inertia in hacce deprehenduntur; adeo ut mos invaluerit apud omnes fere gentes, ut paroxysmi solutio *solis naturæ viribus* committeretur.

Inter inducias, nil non movendum, ut præcaveatur invisi illius morbi alter accessus; hæc *medicatio prophylactica* vix discrepat a supra, vel in postremo capite, exarata. Sanguinis missio, præsertim e pede, vel cervice, omnibus fere epilepticis opitulatur: nec minus proficua censentur emetica & cathartica in primo curationis limine, imo & alvum sæpius ducere expedit per totum medelæ curriculum; præsertim si saburræ acidæ in primis viis nidulantis, vel vermium inibi hospitantium occurrant indicia. Cathartica ante novilunium & plenilunium prodesse notat Boerhaavius. Minime mirum, si sub hac cæli constitutione suboriantur, juxta

juxta Sanctorii observationes, quædam plenitudines, quæ hebetudinibus, lassitudinibus, turbato somno, aliisque signis se produnt, ac sudoris vel urinæ insolito proventu solvuntur. Suppetias ferunt in quovis tempore diluentia & temperantia. Pluribus optime cessit regimen lacteum, quo spirituum ferocia egregie reprimitur, nec minorem laudem merentur aquæ minerales frigidæ, tum acidulæ, ut inquiunt, tum martiales. His præmissis in usum vocantur *specifica*: sed multum abest, quin hac, quæ vulgo ipsis tribuitur, efficacia polleant, quin potius debellando morbo in plerisque sint imparia: interque selectiora audiunt pæonia, valeriana sylvestris, viscum, cortex peruvianus, cinnabaris antimonii, pulvis de gutteta, &c. quorum ope nonnunquam cohibentur insultus epileptici. Ipsis cognata sunt cephalica, quæ iisdem ferme viribus instrui videntur, præsertim si kinækinæ socientur. Proficue nonnunquam adhibentur amara & absorbentia: quibusdam conferunt sudorifica; præcipue decoctum guaiaci: nec inutilia censentur aperientia, & præsertim martialia. Præsto sunt antiscorbutica & antivenerea, si latentis virus quædam emergat suspicio: inter hæc postrema, usitatiora audiunt æthiops mineralis & aquila alba. Ipsammet hydrargyrosim fauste adhibitam, etiam in luis venereæ plane expertibus, plures tradiderunt. Alia occurrunt medicamina, quæ pro re nata usurpari queunt; sapones scilicet, magnesia; flores salis ammoniaci, &c. Nec respicienda sunt hypnotica, si incusetur causa quædam irritans: vel ærumnis, mœrore torqueatur æger.

Haud posthabenda *remedia externa*; fauste enim, in quibusdam epilepticis, adhibetur capitis irrigatio ex aquis Bellilucanis, aliisque thermalibus; prosunt hirudines vasis hæmorrhoidalibus admotæ; conferunt cucurbitulæ scarificatæ capiti, dorso vel femoribus impositæ: horum vires æmulantur vesicatoria iisdem partibus affixa: mira præstat setaceum per occipitis cutem trajectum: nec exiguas laudes merentur vulnera a causticis inflicta; dummodo haud adoleverit morbus. Agmen claudit cauterium actuale sincipiti inustum, quod pluribus optime cessisse, variis observationibus constat. Ligaturam postremo nonnunquam conducere ad cohibendum morbum supra notavimus. Nil addimus de variis amuletis ex hydrargyro, radice pæoniæ, ungula alcis, aliave materia paratis, collo appensis, vel regioni cordis appositis, quorum vires ab impetrata ægrotantium fide pendere videntur. Hactenus traditis, parergi loco, subnectere expedit, hunc pertinacissimum affectum sæpius eximi post longam, tediosam & futilem curationem, a quocumque novo vitæ instituto; a cæli mutatione, longinquis peregrinationibus, diutina navigatione, &c. Multiplici postremo experientia comprobatur, nullum par sibi habere præsidium probam victus rationem; quæ insuper omnibus cujuscumque sortis auxiliis obsecundat: qua deficiente ab omni alia curatione abstinere præstat. De epilepsia sympathica nil addimus; cum ratione causæ peculiarem curam sibi vindicet, quæ versatur circa vermifuga absorbentia, caustica, &c.

SECTIO III.

DE MORBIS INTERNIS PECTORIS.

RAUCEDO.

Omnibus innotescit hic affectus glottidi insidens, vocem infirmans, & exasperans, qui a nostratibus *enrouement* vocitatur. Sed alter est morbus nullo nomine gallico designatus, etsi familiarissimus, qui in laryngem, & præcipue tracheam, incumbit; ac *branchus* apud Scriptores audit. Fluxiones catarrhales vulgatissimas alterutram raucedinem comitem habere nemo nescit; quæ etiam inter variorum morborum symptomata numeratur; phthiseos nimirum, vomicæ, atrophiæ,

vermium, menſium ſuppreſſionis, &c. Hanc promovent cohibita perſpiratio, aer frigidior inſpiratus, potus gelidus, cantus, clamores, &c. Contrahitur a dapibus frixis, ab oleo & butyro rancidis, &c. Utramque a muco quodam, membranam internam laudatarum partium laceſſente, progigni ultra omne dubium poſitum manet, cum ſolo exſcreatu, vel roncho quodam arbitrario, miteſcat. *Ad veram raucedinem proclives* ſunt macilenti, ſcorbutici, ſyphilitici, &c. *Brancho obnoxii* exiſtimantur ſenes & cachectici, concionatores; illi demum, qui perſtudioſe affantur, vel haud abjecta verecundia ad populum dicunt. Raucedo a quovis accidente, vel a cauſa fugaci, ortum ducens *periculo vacat*; licet ad plures menſes protelari queat: ſed ſi a cauſa interna ſoboleſcat, aut alterius morbi ſymptoma ſit, nil boni ſpondet: idem ferme cogitandum de brancho, qui inſuper in provecta ætate haud leve incommodum parit, nec periculi expers eſt; cum ſæpius in aſthma vel ſuffocationem faceſſat; num vero catarrhum ſuffocantem, uti nonnulli arbitrantur, minetur, ſubeſt dubitandum.

Cadavera cultro anatomico ſubjecta exhibent glottidis, laryngis & tracheæ faciem internam glutinoſo muco madentem; vel infarctam, phlogoſi correptam, vel ulcuſculis exeſam, aridam & maculis gangrænoſis ſignatam. Utrarumque partium cartilagines carie læſæ deprehenduntur. Inibi etiam conſpiciuntur congeſtiones gypſeæ vel lapideæ; atque in propatulo veniunt ſarcoſes polypoſæ, nunc immobiles, nunc pendulæ & fluitantes, &c. Pulmo in conſenſum ſæpiſſime trahitur; nunc enim ſcirrhoſus vel tuberculis refertus, nunc abſceſſum recondens, vel ulceratione eroſus occurrit: nec immunis eſt thymus, qui accurato examini ſubjectus eamdem labem haud raro oſtendit: ut de oris ulceribus aliiſque læſionibus, quæ ante obitum cernere licuit, nil addamus.

Medendi methodus parum diſcrepat ab illa, quæ tuſſi, catarrho, phthiſi, &c. congruit. Quapropter raro conducit venæ ſectio, ni adſint plethoræ indicia: aliquam opem conferunt laxantia, ſi dejectiones haud rite perficiantur, vel quavis ſaburra gravetur ſtomachus. Sed pluris habentur diluentia, demulcentia vel pectoralia mitiora: id genus ſunt lac, ejuſque ſerum; mel, napus, jujubæ, oryza, hordeum & conſimilia; gummi tragacanthum, ſaccharum, ſperma ceti, teſtudinis, &c. quibus medetur tumentibus, vel rigidioribus laryngis vaſculis; ſanguiniſque æſtus compeſcitur. Laudantur adverſus raucedinem chronicam vulneraria & detergentia pectori dicata; veronica nempe, hyſſopus, hedera terreſtris, gummi ammoniacum, balſama naturalia, ſyrupus de eryſimo, balſamum Lucatelli & ſulphuris, &c. Suas laudes etiam meretur, in ſenili in primis ætate, ſpiritus ſalis ammoniaci; ſed ſolerti manu pertractari debet illud remedium. In raucedine vero ſymptomatica, morbi primarii habendam eſſe rationem nemo non videt: hinc minime mirum, ſi ſæpius rite ſuccedant ſudorifica, antivenerea, antiſcorbutica, aliaque incidentia multigena. Præclara demum munia obeunt fontanellæ & ſetacea, ubi morbus altas radices egit, & inepta fuerunt cætera medicamina.

TUSSIS ET CATARRHUS PECTORIS.

NEminem, vel rudem & inexpertum latet, *catarrhum*, peripneumoniam, phtiſim, hydropem, aliosque morbos pectoris, tuſſim comitem habere: ſed non omnibus innoteſcit, hanc *ſuboriri* a ſola glottidis, vel laryngis vellicatione; a pleuræ, diaphragmatis, & hepatis phlogoſi; nec non purulentia: a pravis ſuccis in ſtomacho & duodeno nidulantibus, aliiſque viſcerum abdominalium læſionibus; ab hyſteri & hypochondriaſi, &c. Si a cauſa laryngem laceſſente, a pleuræ ejuſque propaginum inflammatione, & a diverſa viſcerum abdominalium labe, ortum ducat tuſſis, *ſicca* ut plurimum obſervatur: ſed ſi a muci proventu, ſtagnante ſanguine, purulentia, tuberculis, concretionibuſque lapideis vel oſſeis pulmones vellicantibus concitetur, *humida* audit, vel ſputi jectione ſtipatur; quod nunc mere pituitoſum, nunc ſtriis ſanguineis notatum, nunc puru-

purulentum, sordidum, &c. se præbet. *Tussis vehementior*, quam convulsivam vocant, catarrhalis vel alterius naturæ, quibusdam periodis submittitur; atque tanta ferocia nonnunquam urgent paroxysmi, plus minusve frequentes, ut facies colore atro-cæruleo perfundatur; & ægri suffocationis periculum incurrant. Ex hoc fonte etiam prodeunt hæmorrhagiæ, sputum sanguinis, vomitus; mictus involuntarius & intempestiva alvi dejectio, abortus; ac demum cujusvis sortis herniæ. Tussis hujusce commatis, juxta nonnullorum mentem contagiosa, epidemice sæpius grassatur, ac *coqueluche*, *grippe*, *folete*, &c. pro mero curantium nutu vocitatur.

Tussim catarrhalem, quam plerumque promovent subitæ aeris vicissitudines, prænuntiare solent coriza, gravedo, raucedo; & pharyngitis, vel hæc anginæ species, quæ vulgo *mal de gorge* audit. Hancce morbi constitutionem etiam produnt urinæ cum subsidentia floccorum instar discerpta. Nil fere sub primo stadio e pectore educitur: sed nonnullis diebus elapsis sputa sensim crassiora evadunt, & uberrimo proventu ejiciuntur. Quandoque vero haud sine magno labore; cum scilicet pituita vel materia cruenta viscida huc collecta, ob moram glutinosior evadat; hinc bronchiis firmiter hæreat: *febris* catarrhum concomitans à refrigeratione, vel vagis, longisque horroribus, ut plurimum oriatur, & vespertinis horis exacerbari solet: hæc, quam *catarrhalem* vocant, nunc mitior intra biduum vel triduum continetur: nunc mali moris doloribus erraticis, spirandi difficultate, anxietatibus, lipothymia, exanthematibus cutaneis, vel eruptionibus miliaribus, sudoribus uberrimis, &c. stipatur. Sub nonnullis constitutionibus epidemicis, peripneumoniæ, vel febris malignæ faciem referens, *febris catarrhalis* vitæ insidiatur: atque sub hoc genio ad septimum vel decimumquartum diem protenditur; ultra quem metus est, ne in febrem hecticam facessat.

Aliæ sunt *tussis* species, *stomachalis* nempe, *gutturalis* & *hepatica*. Prima a saburra viscida, acida, alteriusve indolis, in stomacho nidulante oriri & foveri videtur: ejus diagnosis, quæ atra sæpius caligine obvolvitur, ore sordido, cibi fastidio, nausea & vomitu, cardialgia vel dolore gravativo stomachi, & epigastrii inflatione eruitur. *Tussis stomachalis*, ad quam proni sunt infantes, hypochondriaci & senes, nullum fere movet sputum jejuno ventriculo; sed post pastum exacerbari solet cum sputo copiosiore; ac tantam quandoque sævitiem exercet, ut febrem accendat, & infantes haud raro ducat in atrophiam. *Tussis gutturalis*, ut plurimum chronica, a molesta quadam sensatione in imis faucibus, vel circa laryngem, deficientibus numeratis signis, patefit: sed plerumque meris duntaxat conjecturis ejus characterem assequi licet. *Tussis hepatica*, nonnullis hypocondriacis familiaris, est intermittens, & nonnunquam ferocissima: in ejus intervallis nulla percipitur spirandi difficultas, nec febris: si lacticiniis, bechicisque edulcorantibus, vel hypnoticis tractetur, uti tussis vulgaris, abit in tabem hepaticam, febre lenta stipatam, quam fovet hepatis abscessus. Alia & forte frequentior observatur *tussis symptomatica*: hac vexantur hypochondriaci & hystericæ, scorbutici & scrophulosi: hanc promovent arthritis & rheumatismus, sudor introversus; scabiei, aliarumque eruptionum cutanearum retrocessus; ulcerum chronicorum exsiccatio, &c. Concitatur a variolis & morbillis; a dentitione & vermibus: hanc demum pariunt fumus, halitus minerales; quodvis corpus extraneum in laryngem subreptum, vulnera, &c.

Nil mali portendit tussis catarrhalis simplex, leve incommodum parit, ac spontaneis naturæ viribus solvitur. Chronica vero labem pulmonibus infert, e qua haud raro emergit phthisis: hæc in provecta ætate haud citra periculum cohiberi potest; & plerique senes tandiu anacatharsi egent, quandiu vitali aura fruuntur; eo quod coarctati cutis poruli solitis perspirationis effluviis exitum minime largiantur. Strages sæpius edit febris catarrhalis epidemica ob phlogosim internam, quam plerumque comitem habet, vel ob graviora symptomata, quibus stipatur; quorum ratione pro febre maligna perperam ab incautis habetur:

ſed alterius eſt indolis hæc febris catarrhalis ſpecies, alioque ſtadio ſubjicitur, cum haud ultra decimum quartum diem proteletur; qua procedente, ſudores fœtidi & urinæ fæculentæ *fauſtum ſpondent exitum:* ſi male conſtitutos invadat, vel præpoſtera medela impugnetur, exitum portendit; vel in tuſſim chronicam fere indomabilem faceſſit. Tuſſis ferocior, vel convulſiva, varia poſt ſe trahit infortunia: ſanguis enim validiſſima pectoris ſucceſſione, majori impetu irruens ad cerebrum, cephalalgiam, vertiginem, & apoplexiam nunc lethalem, nunc in paralyſim abeuntem, inferre valet: ab eadem cauſa prodeunt hæmorrhagiæ, abortus, herniæ, aliaque infortunia, de quibus ſupra. Tuſſis poſtremo ſicca, & chronica, cujuſvis latentis pulmonum vitii, aliorumve viſcerum infarctus ſcirrhoſi ſuſpicionem movet; hinc phthiſim, vel aſthma, de quibus ſuo loco, minatur. Facile fugatur tuſſis ſtomachalis recens; ſed pertinacior cenſeri debet chronica, præſertim ſub ſenio. Gutturalis a labe quadam organica originem, ut plurimum, ducens, omnibus remediis fere obſurdeſcit: in ſymptomatica vero, morbi primarii habenda eſt ratio.

Sectis cadaveribus, patent pulmones haud citra lacerationem a vicinioribus avellendi; œdemate, vel emphyzemate affecti; cruſta gelatinoſa obducti, emaciati, præduri & ſcirrhoſi, lapillis ſcatentes, emphyzemate tumidi, phlogoſi tacti, purulenti, putridi, exeſi, &c. Comperiuntur bronchia muco glutinoſo, vel pure concreto infarcta, vaſa circa hæc reptantia, plus æquo turgida & varicoſa. Deteguntur in eodem viſcere cirrhi, tubercula, tumores cyſtici, abſceſſus, ulcera, aliæve purulentiæ, putredines & gangræna; nec raro ibidem occurrunt concretiones lapideæ, oſſeæ, &c. Pleura, cum ſuis proceſſibus, livore affecta, phlogoſi tacta, maculis gangrænodeis ſignata ante oculos verſatur. In apricum venit colluvies ſeroſa, ſanioſa vel purulenta, tum pulmones circum ambiens, tum in mediaſtino vel pericardio recondita. Haud ſilentio prætermittendum, inter numeranda effatu digna, quod cor, etiam hujuſce mali conſors, ulceroſum vel ſuo involucro accretum haud raro deprehenditur. Nec inculpata ſe præbent abdominis viſcera: annotantur enim inflammationes, purulentiæ & ſcirrhi in hepate, liene & pancreate; ſtygmata gangrænoſa, vel tubercula in ventriculo & inteſtinis, quorum cavum multigenis ſordibus repletur; vaſa biliaria ſupra modum turgentia, &c.

Febris catarrhalis vulgatioris *curatio* ſimplicioribus peragitur; vel naturæ committitur, dummodo tamen vitetur aeris frigidioris, non ſecus ac calidioris forte magis pertimeſcendi, acceſſus; nec poſthabeatur victus ratio. Radix althææ, capilli veneris; flores malvæ, tuſſilaginis, verbaſci & papaveris rhœados; ſuccus liquiritiæ, aliaque pectoralia demulcentia, omnem implent paginam. Nec vetantur hypnotica, ſi noctes ſint inſomnes, & tuſſis majorem quam par eſt ſævitiem exerceat. Sputa craſſa, & libere excreta, proximam ſolutionem indicant; *ni* morbus incongrua & intempeſtiva medicatione proteletur. Sed aliter ſe res habet in febre catarrhali mali moris, quæ varia efflagitat præſidia; inter quæ venæ ſectio a pluribus haud infimi ſubſellii Medicis laudatur, annuente ipſomet SYDENHAMO. Haud tamen, experientia teſte, in omnibus epidemiis conducit ſanguis miſſio; quin potius ſummam noxam vel necem inferre queat: ſed proh dolor! nulla patent indicia, quibus de hac re curandi ritus dirigi valeat: adeo ut ſub hiſce anguſtiis, ineunte epidemica conſtitutione, ægros nonnullis periclitationibus ſubmittere fas ſit. Sed ſemper proficue adhibentur diluentia, demulcentia & bechica; liquiritia nempe, herbæ capillares, hiſpidula, jujubæ, napus, braſſica rubra, mel, oleum amygdalarum dulcium, ſperma ceti, looch album, lac, ut inquiunt, gallinaceum, tabellæ de althæa, ſaccharum penidiatum, lac, ſerum lactis, cremor hordei, oryzæ, &c. quæ non ſolum acredini opitulantur, ſed etiam vaſis plus æquo rigentibus flexilitatem conciliant.

Valent, declinante morbo, *cathartica*; alias ſumma cum cautela uſurpari debent; ne intempeſtiva per alvum evacuatione, ſputa ſufflaminentur, & periculoſiſſimæ con-

concitentur suffocationes: quod pluries evenisse memini; quidquid in contrarium adducant Riverius, aliique haud inferioris notæ scriptores, qui huicce præsidio plus æquo confidebant. *Emetica* tamen, ineunte febre catarrhali, egregiam sæpius opem præstant; non secus ac in aliis febrium speciebus: hæc prosunt præcipue in hac tussis specie, *coqueluche* nomine nota, quæ scilicet paroxysmis ferocioribus, *quintes* vocitatis, exarcebari solet. Cæteris emeticis, nemine fere reluctante, præstat ipecacuanha; summis etiam laudibus extollitur in hoc casu kermes minerale, licet tanquam vomitorium præscribatur, vel pro alterante & incidente exhibeatur. Rarissime fallunt diaphoretica blandiora, flores scilicet papaveris rubri, & verbasci; vel jam laudatus kermes refracta dosi exhibitus: imo & tussim catarrhalem sæpius cohibent theriaca, mithridatium, aliaque id genus electuaria roborantia & cardiaca, quæ etiam paregoricorum classem subeunt. Nonnullis inter tussim catarrhalem convulsivam profuerunt exiguæ doses cascarillæ; sed non inconsultus debet esse hujusce remedii usus, quo quidem incaute exhibito irritari sane queunt crabrones. Salubriorem perspirationem movent, & inducias agunt sedantia; crocus nempe, laudanum, guttæ anodynæ, diacodium, syrupus de karabe, pilulæ de cynoglosso, cæteraque hypnotica; quæ tamen solerti manu tractari debent, ne intempestiva emergat sputorum suppressio.

Tussis stomachalis, sub qua affectus ventriculus pulmones in consensum trahit, hypochondriacis, infantibus & senibus familiaris, *evacuantia*, per vomitum, vel alvum, experientia judice, expostulat; sub quo scopo sæpius fauste successit kermes mineralis. Expeditis primis viis, vel saburra inibi fluctuante foras eliminata, egregiam opem conferunt stomachica; anisum nempe, coriandrum, catechu, theriaca, opiata Salomonis, &c. Nonnullis etiam opitulantur confectio de hyacintho, aliaque absorbentia, quæ saburram acidam ventriculum lacessentem infringere queunt. *Tussis hepatica* initio feliciter avertitur aloeticis, jusculis aperientibus & ptisanis nitratis; nec inutilem opem conferunt blandiora cathartica. Notandum, quod demulcentia bechica, quæ larga copia adhiberi solent adversus quamvis obviam tussim, inertia vel noxia sub symptomatica censeri debeant: de quorum viribus etiam erga alias tussis species haud leve emergit dubium; cum aqua simplicissima omnium forte exquisitiorum bechicorum efficaciam superet; quod solertioribus pensitandum relinquimus.

Aliam curam sibi vindicat *tussis chronica*: præmissis nempe præmittendis, opportune exhibentur pectoralia demulcentia; lacticinia nimirum, farinacea, testudines, &c. Hæc excipiunt pectoralia vulneraria, inter quæ selectiora audiunt hedera terrestris, alchymilla, veronica, hypericum, balsama naturalia, aqua picea, syrupus de erysimo, balsamum Lucatelli, pluraque officinalia, quæ vires a sulphure mutuantur; atque sub tabellarum, balsami, magisterii, & florum forma venditantur. Nec minus conferunt, haud adversante morbi genio, pectoralia incidentia, abrotanum puta, camphorata, feniculum, baccæ juniperi, myrrha, styrax, calamita, flores benzoini, antimonium; varia e scilla præparata, pilulæ balsamicæ, &c. Huc coincidunt diaphoretica; guaiacum nempe, china radix & salsaparilla; antimonium diaphoreticum, antihecticum Poterii, jam pluries laudatus kermes mineralis, aliaque consimilia, quæ cutis spiracula referando plures fausto bearunt successu. Pro re nata in usum etiam trahuntur diuretica, aperientia & depurantia; aselli nempe, iris florentina, oxymel scilliticum, æthiops mineralis, &c. Sed forte cæteris adminiculis præstat aer apricus & serenus; vel materiebus balsamicis imprægnatus, fumo scilicet succini, mastiches, olibani, styracis, &c. Hinc summe prodest tussientibus rusticari & versari inter abietes & pineta; aeremque terebinthinaceis effluviis gravidum inter ambulandum inspirare. Postremo inter exquisitoria præsidia recenseri debent aquæ Bonenses Cranenses, Baregienses, Montis aurei, Selteranæ, &c. quæ interiora corporis penetralia lustrando, pertinaciores obstructio-

ctiones ſolvunt, & chronicorum curam claudunt.

Præclarum effectum in nonnullis edunt *veſicatoria*, ſetacea & fontanellæ; præcipue ſi prius receſſerint eruptiones cujuſvis ſortis cutaneæ, & annoſi ulceris labra ad mutuum contactum coiverint. Idem eſto indicium de variis aliis morbis diverſæ indolis, qui tuſſem ſymptomaticam movere queunt; quibus bene perſpectis, legitimus patet curandi modus. Mantiſſæ inſtar addere lubet hiſtoriam in Actis Academiæ Regiæ Scientiarum traditam, de quodam, tuſſi pertinaciſſima & chronica laborante, qui jamdudum in cubiculo calido, oſtiorum & feneſtrarum rimis religioſe clauſis, Medicorum conſilio, ſe continebat, & moleſta vel tædioſa medela plectebatur; qui ſcilicet ulterioris moræ impatiens omnibus remediis valedixit, & in publicum proſiliit: mirum ſane, quod ab inſpirato aere frigidiſſimo, non ſolum haud recruduerit tuſſis, ſed præter ſpem plane evicta fuerit; adeo temeritas nonnunquam efficit, quod prudentia nequiverit.

CATARRHUS SUFFOCANS.

VIx quid certi e libris eruere licet; cum de hoc argumento tradita, laſcivientis potius ingenii, quam ſedulæ obſervationis opus ſapiant. Plures *catarrhum ſuffocantem* a ſuffocatione vulgatiſſima & multiplici, plane diverſum, pro ſubitaneo pulmonum infarctu, unde nomen prodiit, habuerunt; quod a vero haud abludere, reſpectu ſenum & infantum, teſtatur *auxopſia anatomica*; ſed aliter ſe res habet in alia ætate. Cor nonnulli inculparunt; hinc morbum, de quo in præſentiarum, ad *ſyncopem cardiacam*, qua ſcilicet cor & pulmones ſanguine obruuntur, haud perperam retulerunt. Alii inter peritiores exiſtimarunt catarrhum ſuffocantem verſari in violenta laryngis irritatione, quam excipit calamitoſa vel lethalis ſuffocatio; adeo ut parum diſcrepet hic morbus ab hac anginæ ſpecie, nulla intumeſcentia phlogodea ſtipata, niſi in eo quod catarrhi ſuffocantis acceſſio ſit promptior & periculoſior. Nec deſunt, qui inſultum aſthmatis convulſivi, vel ſuffocationis hyſtericæ, catarrhi ſuffocantis nomine ſalutent; etſi maximum occurrit diſcrimen inter morbum chronicum, & acutiſſimum. Plures demum prædictum catarrhum ab apoplexia haud differre ſibi falſo perſuaſerunt; cum ſuffocatio in hac catarrhi ſpecie ſe prodat, priuſquam aboleantur ſenſationes; uti conſtat e relatu famulorum excubias agentium; dum apoplectici primo functionibus animalibus plane carent, dein vero reſpiratio læditur. Proximius, ni fallor, accedit catarrhus ſuffocans ad ferociorem incubi inſultum, haud minus periculoſum; nec dubito, quin unus pro alio pluries habeatur.

E præhabitis colligere licet, plures, affinitate deceptos, in genuina hujuſce morbi diagnoſi plane cæcutiiſſe, & alium pro altero pertractaſſe. Re accuratius penſitata, *a duplici cauſa* ortum mutuari catarrhum ſuffocantem credere par eſt; ab ſpaſmodica ſcilicet glottidis conſtrictione, & a bronchiorum infarctu. Prima ſpecies invadere ſolet illos, qui ab ingenti quodam labore æſtuantes, aeri frigido, nulla interpoſita mora, ſe committunt. Crebro attingit fluxionibus catarrhalibus jam obnoxios, æque ac obeſos; laute victitantes, in otio recumbentes, poculis deditos, &c. Ad alteram ſpeciem pronos eſſe infantes & ſenes ſupra innuimus. Utraque diverſis gradibus ſubmittitur, quorum leviores periculo minime vacant: e gravioribus vero emergit ſubitanea ſuffocatio, roncho & ſibilo ſtipata; ſenſationibus plerumque deficientibus. Sub ineunte prima ſpecie, larynx moleſte vellicatur & dein coarctatur, imminente ſuffocatione, non ſecus ac a bolo huc elapſo: poſtea ſenſorium commune in conſenſum trahitur. Aliter ſe res habet in altera ſpecie: qua, illæſa laryngæ, tanto pondere obruitur pulmo, ut illico omnibus ſenſibus orbati corruant ægri.

Binæ catarrhi ſuffocantis ſpecies haud ultra aliquot horas protelantur, & necem ſubitaneam ſæpiſſime inferunt, quod præcipue de poſtrema intelligi debet, cujus ſolutio in ſola expectoratione verſatur; cui promovendæ impares ſunt debiliores infan-

fantes & ſenes. Raro clinicis occurrit hic alterutrius ſortis morbus; etſi multo frequentior eſt, quam vulgo fertur; cum circa mediam noctem plerumque ingruens, ſuum ſtadium percurrat priuſquam cura ſuſcipiatur; adeo ut ab omni ope medica deſtituti miſelli ægri repentina morte ſæpius abripiantur.

Nil ferme colligitur ex *obſervationibus anatomicis* ſub hoc titulo conſcriptis; cum pleræque circa inſultus hyſtericos, & varios cordis cerebrique morbos, immutato nomine, verſentur. Unicus vir inter Magnates conſpicuus, & ſexagenarius, prima catarrhi ſuffocantis ſpecie noctu extinctus, ſi adſtantium famulorum relatui ſit fides, mihi ſecandum ſe obtulit. Ventriculos cordis, & præſertim primum, ſanguine compacto ultra modum infarctos reperi: nil viſendum ſe præbuit in glottide & larynge, cujuſvis læſionis, uti videbatur, plane expertibus; licet æger aphonus, nutu indubio, morbum hiſce partibus hærentem clare indicaſſet. Ideo ne minimo prægreſſæ ſtrangulationis ſubſiſtente veſtigio, productum tantummodo morboſum; ſtaſis nempe ſanguinis in cordis thalamis, auriculis, aliiſque receptaculis, oculis ſubjiciebatur. Notare expedit, hoc morbo denatum, obeſum, mœrore & ſollicitudinibus confectum, vitam peregiſſe otioſam; qui cæteroquin vegeta fruebatur ſanitate. Pluries mihi obſervaſſe contigit, alteram catarrhi ſuffocantis ſpeciem, infantibus & ſenibus familiarem; quorum cadavera tracheam & bronchia muco viſcidiori repleta, & aeri plane impervia exhibebant; dum cætera viſcera inculpata, vel variis læſionibus a re noſtra plane alienis affecta conſpicienda ſe præbuerunt. Inter exenterationem cujuſdam ſimili morbo extincti, materiam viſcidam bronchiis pertinaciſſime hærentem, horumque cavum replentem etiam obſervavit clar. Morgagnus.

Haud dubitare licet, quin *venæ ſectiones* etiam pluries repetitæ catarrho ſuffocanti glottidem obſidenti congruant. Præſentaneam opem ferre valet emeticum, dummodo rite prius depleantur vaſa ſanguinea; alias vitam ægris eripit. Minus ſane eſſent pertimeſcenda cathartica; ſed anguſtiſſimum vel breviſſimum morbi ſtadium hæc præſidia, ſuum effectum tardius exerentia, adhibere nuſquam ſinit. Semel venam tundere licet in ſecunda ſpecie; ſed vetatur ulterior ſanguinis detractio. Kermes mineralis, cæteraque emetico-cathartica, licet probatiſſima, non niſi ſumma cautela exhiberi debent. Conducunt in utroque morbo enemata ſtimulantia, quæ alias nullam noxam inferre valent. Idem eſto judicium de cucurbiculis ſcarificatis, de veſicatoriis, & ſinapiſmo. Haud exiguam laudem merentur pediluvium calidum, & vincula artubus injecta: nec deſpiciendæ ſunt vellicationes, fricu, aliove modo celebratæ, quæ humores & ſpiritus alliciendo, partem ſpaſmo correptam ſublevare queunt. Secundis naturæ viribus vel artis præſidio ſuperato hocce herculeo morbo, nil non movendum, ut declinetur alia invaſio. Inter generalia prophylactica pro re nata uſurpanda, laudatur cautus catharticorum uſus: cætera auxilia e diaphoreticorum & diureticorum claſſibus depromi ſolent; id genus ſunt terra foliata tartari, ſuccus raphani, ſal ſuccini, ſpiritus ſalis ammoniaci & cornu cervi, &c. Nec inutilem opem præſtant pectoralia demulcentia & incidentia, nimirum ſperma ceti, gummi tragacanthum & ammoniacum, &c. Fontanella denique hiſce auxiliis obſecundat; & hæc forte ſuperat. Interim pluris habenda eſt congrua victus ratio, dempta pro ſenibus cœna: temperatiore aura in loco edito fruantur ægri; mœrores & ſollicitudines fugiant; obambulationibus vel peregrinationibus indulgeant, &c. Plura addere vetat accuratarum obſervationum penuria; nec ſinit propoſitum.

INFLAMMATIO PECTORIS.

PRo uno, eodemque morbo habentur apud ſciolos *peripneumonia* & *pleuritis*, quæ multum tamen ab invicem diſcrepant, ratione partis læſæ; cum peripneumonia ſedem habeat in ipſomet pulmone, & pleuritis in membranam coſtas ſuccingentem ingruat. Peripneumonia inſuper morbus eſt frequentiſſimus; pleuritis vero, autopſia judice, rariſſime invadit: inter enim innu-

numeros inflammatione pectoris sublatos, quos secandos curavi, binos duntaxat, ni fallor, genuina pleuritide affectos reperi. Verum quidem est, quod pulmones phlogosi correpti pleuram in consensum sæpius trahunt; unde emergit hic morbus implicitus, quem vocant *pleuroperipneumoniam*; sed a mera pleuritide, pulmoni parcente, multum abludentem. Turpiter de hac re allucinantur, qui dolorem acutissimum lateris pro pleuritidis indicio manifesto habent; cum sæpius nobis contigerit observasse pleuram in hoccecasu ne minimam quidem labem passam fuisse. Alius in praxi subrepsit error circa inflammationem illius pleuræ processus, convexam diaphragmatis faciem obtegentis; qui morbus cum pleuritide coincidit, ratione causarum unde gignitur, effectuum quos edit, & methodi qua curatur: is est, quem pro delirio, quo stipari solet, ad morbos capitis, sub *paraphrenitidis* titulo insulse referunt Auctores, etiam optimæ notæ: sed hisce haud diutius immorabimur, ne crambem repetitam apponamus.

Horror plerumque anxius, quem excipit febris; dolor alterutrius lateris, ut plurimum tamen sinistri, sterni, dorsi, &c. sputa cruenta & spirandi difficultas, sunt notissima *peripneumoniæ signa*. Sedulo animadvertendum, quod in quibusdam peripneumonia decumbentibus nulla erumpant sputa cruenta, licet pulmones vera phlogosi corripiantur; quo fit, ut plures clinici, duce Sydenhamo, hunc affectum pro *peripneumonia notha* habeant; num recte, e mox enarrandis patebit. Illud etiam notandum incumbit, quod pulmonum phlogosis haud semper tussi, dolore, & spirandi difficultate stipetur; uti grassante constitutione epidemica anni 1754, haud raro inter *rimanda cadavera* eorum, quorum cura mihi demandata fuerat, observavi. Peripneumoniam nonnunquam præeunt ventris tormina, defluxio anginosa, aliusque morbus inflammatorius: nec infida in quibusdam epidemiis censentur hæc prænuntia, in alia tempestate plane silentia. De erysipelate pulmonum post Hippocratem & Galenum mentionem subjecerunt Lommius & Boerhaavius; sed meris conjecturis suffulta est hæc opinio; cum erysipelas solam cutem respicere videatur; cujus retrogressu, materia morbosa in quodvis viscus per metastasim ingruente, alter emergit affectus, ob partis fabricam, ab erysipelatis indole profecto dispar: quod pace tantorum virorum per transennam annotasse sufficiat.

Nulla promoventur *sputa* cruenta in *peritide* & *paraphrenitide*, ni ferociori tussi disrumpantur bronchiorum vascula; sed in hoc casu sanguis rutilans sub alio conspectu se præbet. Delirio in plerisque stipatur uterque affectus; dolor acutissimus, hanc vel illam partem pectoris occupans, ab inspiratione recrudescens decumbentes, hinc ægre spiritum ducentes, torquet. Pulsus, vigente febre, durus exploratur; os aridum deprehenditur; ac demum rigores inordinate recurrunt. E doloris situ internoscitur paraphrenitis, quam præterea concomitantur ructus, nausea & vomitus, cardialgia, anxietates, singultus, risus sardonicus, &c. Parum discrepat respectu *signorum* hepatitis a plerutide & a paraphrenitide; præsertim si phlogosis partem hepatis gibbam, diaphragmatique hærentem invadat; cum dolores inde exsurgentes totum pectoris ambitum pervadere, vel ad claviculas & scapulas pertingere queant. Nec dilucidius se sistit *cordis & pericardii inflammatio*, morbus alias rarissimus; cum eadem ferme symptomata post se trahat; nec dissimilibus signis se prodat. Notandum sanguinem in omnibus fere hisce morbis inflammatoriis phlebotomia eductum, parte rubra compactum, & crusta, ut inquiunt, phlogistica tectum post unam vel alteram venæ sectionem in patellis conspici: haud tamen pro certo *phlogoseos indicio*, uti fertur, habendam esse hanc sanguinis concretionem pluries experientia didici, & supra notavi.

Quævis pectoris inflammatio sputo cruento stipata, nec ne, intra triduum, vel quatriduum, resolutione *judicari* potest; sed si febris, dolor, cæteraque symptomata, ultra illud stadium persistant, de suppuratione, aut infarctu scirrhoso nullum est dubium. Morbus ad decimum quartum, vel vigesimum diem in primo casu protrahitur: in secundo vero ulterius protelatur, donec sensim chronicorum faciem indu-

induat. E quacumque pectoris inflammatione, aliarum instar, nonnunquam emergunt metastases; quæ a materiæ purulentæ in hanc vel illam partem accubitu, plus minusve *ominosæ* censentur. Peripneumonia, rufis infensissima, omnium frequentior eo majus portendit periculum, quo horror febrilis, ineunte morbo diutius protrahitur; & sputa tardius procedunt. Secundis vero avibus judicari solet, si subcruenta & conglobata se prodant: haud levem molestiam pariunt glutinosiora & ægre e bronchiis avellenda: serosa, biliosa & subviridia summum terrorem incutiunt; æque ac sanguine rutilante & spumoso scatentia: si nigra demum conspiciantur, ad vespillonem mittere licet. Quandoquidem præcipua hujusce morbi solutio a congrua expectoratione præsertim pendet; facile intelligitur, mortem præforibus imminere, si plane deficiat, vel intempestivis remediis sufflaminetur. Ubi vero circa quartum morbi diem promovetur anacatharsis, & libere in posterum exercetur, morbus circa septimum, nonum vel undecimum diem spontaneo sudore plerumque *solvitur*. A doloris subitanea cessatione, cæteris sævientibus symptomatibus, gangrænam esse in procinctu, & brevi lustrica opus fore, nemini practico non obvium.

Omnibus pro comperto manet, pulsum sub hocce morbo esse praxeos cynosuram; ideo haud instituenda est *prognosis*, ni prius attendatur ad cordis rhythmum & caloris gradum: pulsus enim durus & contractus, cum æstu acriori & cute arida, nil boni spondet: quo minus a nativo statu recedit, eo major affulget salutis spes. Plura etiam eruuntur e doloris typo; obscurus enim phlogosim interiora pulmonum occupantem indicat; unde expectoratio facilior: ab acuto vero inflammatum esse pulmonis ambitum conjicitur; nec forte inculpatam esse pleuram; unde fit, ut morbus periculosior evadat. Clinicos tamen monitos velim, *autopsia cadaverum* edoctus, dolorem nonnunquam fuisse favissimum, illæsa pleura; quod præsertim evenit, si pulmo huic membranæ connectatur; quam cohæsionem, etiam in pancratica sanitate, sæpissime observari, neminem anatomicum fugit. Sudor uberior sub primis morbi diebus haud vano metu clinicos terret; sed circa septimum diem, evacuationis criticæ vices explet. Salubriora munia sæpius obiisse tempestivum vomitum biliosum, haud latet in arte peritos.

Urinæ subalbicantes & fæculentæ, circa septimum, nonum vel undecimum morbi diem, cum ægrorum solamine non raro minguntur. Si crassæ sub principio, circa quartum diem attenuentur, pro lethalibus habentur. Porraceæcum sedimento nigro aut furfuraceo in pleuritide mortem etiam minantur, notante Duretо. Mali etiam est ominis urina cruenta. Copiosior ineunte morbo nil boni spondet; nec minorem terrorem sub eodem tempore incutit uberior sudoris proventus. Alias nil certi de *eventu* statui potest ab uroscopia. Nec certiora salutis vel mortis *auguria* desumuntur ab alvi fluxu; qui tamen, procedente morbo, ominosus in plerisque censetur. De hæmorrhagia res etiam in ancipiti versatur. Sed faustum pollicentur exitum abscessus pone aures, in dorso, femoribus, &c. erumpentes. Respiratio e contra singultuosa vel anxiosa, & ronchus ad ultimam rerum lineam ducunt. Delirium cum vultu tumido & flammeo, pro exitiali habetur: nec a lingua arida & nigricante, vel ab aphthis lividis passim in ore occurrentibus major spes elucescit. Lethum postremo imminet, si sexto morbi die recrudescant symptomata; vel nova gravioraque caput exerant; si post febrem vehementiorem & calidiorum usum ingruant anxietates & lipothymiæ; extremorum frigus & maculæ lividæ circa pectus, cum sputo seroso, fusco & graveolente, aliisque gangrænæ signis. Peripneumonia scorbuticos & scrophulosos invadens, calamitosa audit: grave etiam facessit negotium, anginam, aliumve morbum inflammatorium excipiens. Si dolor, tussis & febris ultra solitum morbi termin m protelentur, & accedant rigores inordinati, anxietates, sudores nocturni, &c. peripneumonia in febrem hecticam, phthisin, vomicam, empyema & hydropem pectoris facessit. Abscessus movetur suspicio circa decimum quartum morbi diem,

si parciora ejiciantur sputa, vel plane deficiant; si febris inter noctem recrudescat cum sudore; remanentibus dolore, tussi, & spirandi difficultate. Quid sit postremo expectandum de materia morbosa e pulmonibus secedente, ad hepar, alterumve viscus irruente, nemo non intelligit.

Pleuritis & *paraphrenitis* labem gangrænosam parti affectæ plerumque impertiuntur: pus tamen nonnunquam inibi conficitur & emergit abscessus in majorem, minoremve molem succrescens, qui extus in quibusdam tabo sub digitis fluctuante protuberat: in potiori vero parte pus in cavum pectoris effunditur; unde suboritur empyema: alias, sed rarius, ad abdominis interiora, trans diaphragma, viam sibi cudit; hinc emergit ascites purulentus, quo brevi labefactantur viscera. Qui demum phlogosim internam pectoris jam passi sunt, quamdam in huncce morbum proclivitatem contrahunt; unde postliminium, simili adveniente tempestate, ipsis impendet, quod prima accessione periculosius censetur.

A *sectionibus anatomicis* colligitur, pulmones bifariam labefactari; lividi scilicet, infarcti, indurati, hepatis substantiam æmulantes, & mole ampliores reperiuntur. Circa horum ambitum occurrunt ecchymoses, pustulæ suppuratæ, maculæ gangrænodeæ; quæ visum fugiunt, si pleuræ vicinioribusque partibus nectantur hæc viscera. Horum superficies obducitur *crusta* quadam *gelatinosa*, subalbicante vel flavescente, leviter hærente, vel radente scalpello facile eximenda: haud absimili etiam materia quandoque subtegitur pleura: eodem modo defœdari hepar, intestina, aliaque viscera inflammata, supra innuimus. A quadam suppuratione genitam esse hanc materiam, membranæ instar pulmones obvolventem, credere par est; cum post confirmatam pulmonum phlogosim, nulla alia sæpius pateant purulentiæ indicia. Insuper me pluries observasse contigit similem materiam cum sincero pure immixtam. Crebrius, ut propositum persequamur, deteguntur abscessus integri intra pulmonum substantiam, quæ alias ita pure scatet, ut a quavis sectione undique diffluat ille latex: putridi demum in nonnullis & siderati deprehenduntur pulmones: sed raro integri enumeratis modis labefactantur; sed sæpius alterutra pars, læva vel dextra; hic vel alter lobus afficitur. Coronidis loco animadvertere expedit circa morbi sedem, quod nonnunquam, judice autopsia, de dolore circa partem sanam conquerantur ægri, dum silet latus affectum.

Diversam labem præ se fert *pleura*, tum costas succingens, tum diaphragma obtegens, tum mediastinum efformans; livida enim, extra solitum crassa & cartilaginea; tuberculis obsessa; phlogosi correpta, ulceratione exesa, & siderata deprehenditur. Conspicitur tam in pleura, quam sub mediastino abscessus, cujus moles in immensum quandoque assurgit; adeo ut totus hujusce lateris pulmo pene obliteretur. Simili quandoque modo labefactari videntur quædam pulmonis plaga, & huic prospiciens pleura; sed rite distinguere licet, tam autopsia, quam historia morbi, quænam pars fuerit primario affecta, e qua morbus in aliam fuit propagatus. Sub hoc conspectu genuinam pleuritidem, uti innuimus, morbum esse rariorem, tum e nostris observationibus, tum e naturæ rimatorum relatu per transennam colligere datur. Has morbosas dispositiones excipiunt stagnationes serosæ, sanioſæ & fæculentæ, quæ circum pulmones & pericardium fluctuant. Cor præterea diversimode læsum deprehenditur; concretionibus polyposis sæpius scatet; ejus superficies subalbicans, ulcusculis exesa vel quasi tomentosa conspicitur; maculisque subalbicantibus, quæ uti jam innuimus, totidem sunt pelliculæ, exfoliationis instar avellendæ, sæpius defœdatur; præter quæ pericardium inflammatum, humore sordido oppletum, sideratum & cordi undique accretum, oculis subjicitur. Nonnunquam pericardio processibus quasi ligamentosis alligatur cordis mucro: nec raro stagnat colluvies serosa vel sordida in pectore. Hepatis nonnunquam ingentis, aliorumque viscerum phlogoses; vermes in primis viis nidulantes, aliaque innumera imi ventris vitia, quæ parum ad nostrum argumentum pertinent, consulto prætermittimus.

Nullum est dubium, quin ad quamvis pe-

pectoris phlogosim, præcipuus *curationis cardo* in sanguinis detractione versetur: nec obstant fluentia catamenia; sed tum secanda est saphena, ne intempestiva revulsione sufflaminentur; verumtamen in quacumque parte celebrentur *venæ sectiones*, certis cancellis contineri debent; ne vires, plus æquo depletis vasis, ad promovendam expectorationem, aliudve naturæ molimen, plane deficiant. Experientia edocti & celebriorum practicorum consensu suffulti, asserere minime dubitamus, haud ultra ter vel quater sub primis morbi diebus venam tundendam esse; & magis profuturas paucas venæ sectiones tempore opportuno peractas, quam numerosissimas per reliquum morbi stadium institutas; quæ fugax solatium præstando, sæviora deinceps symptomata concitare queunt. Præclarus praxeos Medicæ arbiter SYDENHAMUS sanguinis uncias circiter quadraginta, tribus aut quatuor venæ sectionibus, mitti curabat. Famigeratissimus RIVERIUS, qui etiam ætatem inter experimenta consumpsit, haud ultra sanguinem fundebat; quorum vestigiis inhæsisse celebriores & annosiores practicos, nemini haud incompertum. Ut quid de hac re arbitrer, ne asymbolus videar, candide aperiam; longiori, & forte felicissima, praxi edoctus pro certo habui, tres aut quatuor sanguinis, ad uncias circiter duodecim, missiones omnibus infortuniis, a nimia sanguinis copia, præcavendis aptas natas esse; adeo ut haud nisi urgentiori casu ad quintam vel sextam me contulerim. Insuper nemo nescit, venæ sectiones etiam pauciissimas in nonnullis constitutionibus epidemicis, ubi præsertim debacchatur bilis, lethales esse; sub quibus circumstantiis, ab omni sanguinis detractione plane abstinere præstat. His addere licet, quod venæ sectiones, nemine discrepante, suppurationi officiant; quam natura circa tertium quartumve morbi diem auspicari solet.

Haud reticendum, plures, nec inferioris notæ, contrariam methodum sectari; qui scilicet in quavis obvia pectoris inflammatione, venam decies, quindecies & ultra secare jubent. Hanc *stupendam sanguinis missionem* ferre valent juvenes & athletici; sed multos in phthisim vel hydropem, superato morbo inflammatorio, delapsos vidi; ut fileam de pluribus, quorum vires ab immodica vasorum depletione fatiscunt: quo fit, ut promovendæ expectorationi impares evadant; & suffocatione, vel gangræna e medio tollantur. Sunt postremo, qui velint phlebotomiam juxta latus affectum celebratam magis proficuam fore; cui opinioni adstipulantur RIVERIUS & SYDENHAMUS: quod nec rationi nec experientiæ absonum videtur.

Celebrata una vel altera venæ sectione, ad *emeticum* properare sæpius expedit, ne primarum viarum saburra ad sanguinem appellens, vel tractum intestinalem lacessens, grave in posterum curanti faceſſat negotium: sed raro conducit illud remedium sub aliis morbi temporibus. Haud tamen reticendum, vomitoria, ineunte peripneumonia, a nonnullis prioris notæ clinicis tanquam pernicioſa, imo & lethalia plane abdicari; quod, pace illustrium virorum, experientiæ quotidianæ plane adversatur. Declinante morbo opportune exhibentur *cathartica*; alias caute præcipi debent; ne ex horum intempestiva administratione, a nonnullis coætaneis acceptissima, plura emergant infortunia; inter quæ primatum sane ducit sputorum suppressio, quæ ægrum in vitæ discrimen trahit. Libera tamen servanda est alvus, vel laxantibus mitioribus, vel enematum emollientium præsidio: sed ab hacce norma nonnunquam deflectere fas est; ubi scilicet os tordidum, lingua muco obducta, nauseæ & vomitus, &c. pravam colluviem in primis viis nidulantem arguunt; sub qua conditione, nil non movendum, ut foras eliminentur sordes, haud alia arte evincendæ. Expeditis primis viis, sanguini æstuanti prospicere juvat; hinc apprime congruunt per totum morbi curriculum, & forte cæteris auxiliis præstant, *diluentia* & *demulcentia*, quorum magis comprobata audiunt liquiritia, althæa, cichorium, hispidula & herbæ capillares; oleum lini & amygdalarum dulcium, sperma ceti: syrupus de althæa & de nymphæa; mucilagines e semine lini, & gummi tragacantho extractæ; varii tinctus, emulsiones simpliciores, aqua pulli, &c.

Laudatur inter *temperantia*, præsertim in peripneumonia bilioſa, cremor tartari, qui ad plures uncias intra nychthemeri ſpatium exhiberi poteſt, annuente clar. Tissot. Prædictis opportune ſociantur *diaphoretica blandiora*, papaver nempe erraticum, flores ſambuci, borrago, carduus benedictus, ſcorſonera & ſcabioſa. Nec id genus validiora ſunt deſpicienda; ſanguis nempe hirci præparatus, in nonnullis regionibus celebratiſſimus; kermes mineralis, antimonium diaphoreticum, &c. *Hypnotica*, doloribus occurrendo, & ſpirituum ferociam coercendo, nonnullis proſunt: caute tamen cum hiſce remediis mercari expedit, præſertim in legitima pleuritide; licet a pluribus prioris ſubſellii clinicis, familiarius uſurpentur; refragantibus aliis non inferioris notæ, vel ipſomet Hecqueto, opiatorum cæteroquin, uti nemo neſcit, ſtrenuo encomiaſta: cum, falſas inducias impetrando, vel ſputa ſufflaminando, morbum quandoque occultent; qui hoc velamine obductus ex voto ſuccedere videtur; dum gangræna clancularias ægrorum vitæ ſtruit inſidias.

Inter *varia topica*, quæ uſurpari ſolent, ſummam ſane opem conferunt veſicatoria parti affectæ, alibive admota: equidem ex obſervatis conſtat, morbos tum acutos, tum chronicos ſæpius ſolvi, vel ab eruptionibus cutaneis, vel ab humorum, materiæve morboſæ in hanc vel illam partem affluxu. Hæc ſalubriora naturæ molimina promovent, vel æmulantur, cathæretica, quæ devios humores ad cutem, ſalvis viſceribus, dirigere queunt. Conſtat præterea, humores inquinatos per annoſa ulcera ſentinæ vices explentia expurgari; hinc fit, ut ab his exhauſtis tabum viſcera impetere ſoleat. Neminem poſtremo fugit laticem purulentum in quacumque parte collectum ſæpius reſorberi, & per varia colatoria exitum ſibi parare. Hinc liquet profutura eſſe veſicatoria, conſentiennibus naturæ viribus, ſi materia morboſa ſanguini remixta metaſtaſim internam mitetur, vel alio vergat. Eamdem opem præſtare valent cucurbitulæ ſcarificatæ parti dolenti, alterive impoſitæ, quæ etiam, ſub ſputorum ſubitanea ſuppreſſione, cruribus fauſte affiguntur.

Proficue adhibentur, ad dolorem compeſcendum, cataplaſmata *emollientia*, vel veſicæ lacte tepido ſemi-turgidæ: eumdem effectum edit inſpiratus aquæ tepidæ vapor: in eumdem ſcopum etiam commendantur linimenta ex axungiis, medullis, unguento de althæa, oleo lumbricorum vel laurino, &c. parata; quibus nonnulli addunt camphoram. Balſamum tranquillans, aliaque narcotica externa, in ferocioribus & urgentiſſimis doloribus, caute uſurpare fas eſt; alias exulare debent. Ad anilia medicamina perperam amandatur dimidium panis recens e furno extracti; cum ſæpius hoc ſolo & innoxio præſidio conticeant dolores: nec minorem opem præſtat felis viva exenterata dolenti parti admota. Eo magis profutura hæcce topica, quo cuti proximior eſt ſedes morboſa, cum major tum ſpes affulgeat, ut purulentia divertatur, luce clarius patet: ſub quo ſcopo a quibuſdam uſurpantur emplaſtra maturantia, quæ cuti arcte infixa, pus huc movere & dirigere queunt. Plures demum, etiam conclamatos, fauſto bearunt eventu cauteria & ſetacea, loco congruo impoſita: ſed parum arrident hæc ſtimulantia, & moleſtiora topica clinicis, qui ad ægrorum vel adſtantium nutum ſe componunt: hinc minime mirum, ſi decumbentes, hiſce ſalubrioribus præſidiis plerumque defraudentur. De pleuritidis, aliarumque ſupra enumerararum pectoris inflammationum curatione nil addimus, cum haud abſimili methodo, dummodo accurata circumſtantiarum habeatur ratio, pertractari ſoleant. De vomica vero & empyemate, quæ pectoris phlogoſes excipere ſolent, ſuo loco agemus.

PERIPNEUMONIA NOTHA.

PAucis ſane innoteſcit hic affectus, licet in ætate provecta haud infrequens: cum nulla forte proſtet apud Auctores hujuſce accurata deſcriptio. De hoc perfunctorie egit Riverius, ſub nomine peripneumoniæ pituitoſæ. Morbos plane diverſos ſub uno & eodem titulo adumbrarunt Syndenhamus & Boerhaavius; nihilque forte præter hypotheſes tradiderunt. E recto deflectunt tramite, qui poſt Boerhaavium,

vium, hunc pulmonum infarctum, ultimi fati, in omnibus fere morbis, prodromum, pro peripneumonia notha habent: nec felicius collineant, quibus arridet, hanc inter morborum ſymptomata numerare. Conſtat propriis obſervationibus, peripneumoniam ſpuriam morbum eſſe ſui generis, vel per ſe exiſtentem; qui peripneumoniæ legitimæ typum ſæpius æmulatur; adeo ut in ſolo pulſus rhythmo diſcrimen inter utrumque morbum verſari videatur. Merum eſſe *vaſorum pulmonarium* recentem *infarctum*, a phlogoſi plane alienum; ſed ab ſtagnante latice, ut inquiunt, pituitoſo ortum credere par eſt. Tuſſi & ſpirandi difficultate, dolore obſcuro & gravativo præcipue ſtipatur. Sputa in pleriſque albicantia, viſcida, & ſpumoſa, rãro cruore tincta erumpunt: pulſus, etſi febrilis, tardus & contractus deprehenditur, inordinate recurrunt rigores; vel frigus & calor alternatim invadunt; lingua lento humore madida conſpicitur: anxietatibus anguntur ægri, qui alias morboſo ſopore premuntur, &c. *Obſcurum* ſæpe eſt hujuſce morbi *exordium*; unde fit, ut de ejus ſtadio vix quid certi proferre liceat. Verumtamen, non ſecus ac peripneumonia legitima, intra triduum quatriduumve ſolvi poteſt: alias ejus curriculum ſat accurate æmulatur; hinc minime mirum, ſi hanc pro illa habeant inexperti; ni paroxyſmum aſthmatis ſe curare arbitrentur. Cum legitima tamen nonnunquam implicatur *peripneumonia notha*; unde emergit morbus ancipitis naturæ, qui etiam peritioribus grave faceſſit negotium.

Sopor lethargicus, fœdus faciei & ungium livor, raucedo, anxietates & artuum refrigeratio, imminentis *interitus metum* incutiunt: ſed ſæpius ſilent hæc ſymptomata, latetque periculum; adeo ut inter ſpem felicioris exitus, illuc quandoque abeant ægri, unde negant redire quenquam. In locis humidis & paludoſis ſæpius graſſatur peripneumonia notha; præſertim ſub tempeſtate humida & frigida. Senibus præterea impendet hic morbus; ad quem etiam proni ſunt cachectici & phlegmatici, nec parcit potatoribus. Crebrius uno verbo occurrit in praxi hæc peripneumoniæ ſpecies, cujus typum ne quidem in ſuſpicionem admittunt imperiti: quid hinc emergat proclive eſt intelligere.

Experiundo didici, *curationem* eſſe feſtinandam; cum ſæpius, ſub hac rerum conditione, ſero medicina paretur. Raro conducit venæ ſectio, quæ tamen urgente ſpirandi difficultate levamen fugax impertiri ſolet; ſed haud dubitare licet, quin a detracto ſanguine imminuantur vires, difficiliuſque promoveantur ſputa; unde morbus gravior & periculoſior evadit. Præſentaneam opem fert *emeticum*, præſertim ubi ægri nauſea vexantur; cum ſæpius ſaburra in primis viis nidulans primariam morbi cauſam recondat: nec minus conferunt evacuantia per alvum, cathartica nempe & laxantia, vel enemata his obſecundantia. Haud omittenda ſunt diluentia aquea, quorum ope lenti & hærentes ſucci blande ſolvuntur & facilius expelluntur. Proficue etiam adhibentur pectoralia, demulcentia & incidentia; hedera nempe terreſtris, hyſſopus, aqua mulſa, ſperma ceti, kermes mineralis, &c. Nec ſuis laudibus defraudantur diuretica & aperientia prioribus immixta; nimirum enula campana, nitrum, ſapones, oxymel ſcilliticum, ſpiritus cornu cervi, & alia, quæ intimiora corporis penetralia adeundo, viſcidiorum humorum ſtaſes ſolvere queunt. Inter paregorica decantantur camphora, anodynum minerale, &c. ſed vetantur narcotica; dummodo ſolerti manu tractentur. Haud denique poſthaberi debent veſicatoria vel cucurbitulæ ſcarificatæ, quæ humores noxios alliciendo, aliquam horum partem eximere valent.

ASTHMA, ET MORBI COGNATI.

HOc titulo perperam inſigniuntur *variæ ſpirandi difficultates*, a genuino aſthmate ſumme diſcrepantes; & illuc res redit, ut e decem ægrotantibus, qui pro aſthmaticis curantur, vix unus occurrat, qui vero hoc morbo laboret. Mirari profecto ſubit, clariſſimum Floyerum, qui aſthmate ipſemet conflictatus, ejuſque accuratiſſimam deſcriptionem tradidit, hujuſce forte erroris haud immunem fuiſſe. Conſtat ex autopſia cadaverum, ab innumeris cauſis promoveri ſpirandi difficultatem,

tem, quæ vulgo dyſpnœa audit; nempe ab œdemate, tuberculis, vomica, aliove pulmonum vitio; e cordis mole; a latice ſtagnante, vel tumore, tum in pectore, tum in abdomine; a prava pectoris conformatione, congenita vel adventitia, &c. quæ omnes *anhelationis* ſpecies pro aſthmate ab imperitis habentur. E bene perſpectis tamen ſignis facile expiſcatur aſthmatis indoles, quæ in perennante vel chronica ſpirandi difficultate per ſe exiſtente, nunc continua, nunc intermittente, ſed ſemper periodica, & cujus diverſi ſunt gradus, verſatur. Hinc patet, hanc ſpirandi difficultatem omnes pectoris morbos pediſſequam, aliove morbo pendentem, alterius eſſe commatis. *Aſthma* morbus ſui generis, ut plurimum febris expers, duplicem habet conſpectum: ſub hoc nulla promoventur ſputa; ſub illo copioſa diverſæ ſortis, vel purulentiæ faciem referentia erumpunt: primum *ſiccum* audit, alterum *humidum* vocitatur. Utrumque ratione gradus dyſpnœa, aſthma vel orthopnœa dicitur: ſed de hacce nomenclatura in ſcholis celebratiſſima parum curant clinici.

Alterutrius naturæ aſthma ſuos habet paroxyſmos plus minuſve conſpicuos; quorum gravioribus hiante ore aerem captant ægri; nec niſi erecta cervice ſpiritum ducere queunt. Noctu vel poſt prandium inſurgere ſolent *acceſſiones*; quo fit, ut plures ægri e lecto, ad captandum aerem, ſeſe cum impetu proripere cogantur. Tuſſi ut plurimum, ſtertore & ſibilo ſtipantur inſultus, qui a bihorio ad diem integrum & ultra protenduntur; & ſæpiſſime inſolito urinæ profluvio ſolvuntur. Nec raro convulſionis eſt particeps *inſultus aſthmaticus*, hinc fit, ut tumentibus venis excandeſcat facies; atque ægri ſuffocationis periculum incurrant: brevior ſane, crebriuſque recurrens eſt ſpaſticus paroxyſmus, quem præeunt ructus, ventris inflatio, aliaque flatulentiæ indicia. Nil certi tradi poteſt de paroxyſmorum interſtitiis, nunc duodecim vel quindecim dierum, nunc unius vel alterius menſis, anni, &c. eo tamen ampliora videntur lucida intervalla, quo longiores ſunt inſultus. Nonnunquam inſuper aſthma, præſertim ſiccum, continuum, uti ſupra notavimus, obſervatur: ſed quibuſdam exacerbationibus ſemper ſubjicitur, quæ paroxyſmorum vices explere videntur: atque in hiſce periodis, licet haud ſtatis temporibus recurrentibus, verſari genuinum aſthmatis typum, ex enarratis facile colligitur.

Ad aſthma proclives cenſentur plethorici & obeſi; cachectici, ſcorbutici, arthritici, hypochondriaci, hyſtericæ, &c. Hunc affectum promovere valent eruptionum cutanearum, & chronicarum, regreſſus, arthritis anomala, annoſorum ulcerum exſiccatio, menſium & hæmorrhoidum ſuppreſſio, &c. Inter reliquias variolarum, phlogoſeos pectoris, & febris intermittentis etiam numeratur. Aſthma continuum accerſit aer quovis pulvere per eum volitante, halitibus mineralibus, fumo carbonum, &c. inquinatus; quibus addere licet pravam pectoris conformationem. Inter morbos pertinaciores jure recenſetur aſthma, quod ad triginta, quadraginta vel quinquaginta annos protelatur; nec longævitati obſtare videtur. Si tamen cordis palpitatione, lipothymiis & artuum paralyſi ſtipetur, res eſt periculoſæ aleæ: ad certum enim gradum devectus hicce morbus, accedente graviſſimo inſultu, ægros nonnunquam e medio tollit; vel in cachexiam, anaſarcam, pectoris hydropem, tabem, phthiſim, &c. faceſſit.

Haud deſunt ſane *obſervationes anatomicæ*; ſed ægre diſtinguitur, num genuinum aſthma, aliudve cognatum morbum reſpiciant. Ex his tamen bene perſpectis colligitur, pulmones ſubtumidos & mole ampliores œdematoſos & ſcirrhoſos; gypſeos, tophaceos, vel cretaceos; maculis nigris & gangrænoſis ſignatos; cruſta quadam obductos, pleuræ, mediaſtino & diaphragmati accretos reperiri. Abſceſſus, hydatides, alioſve tumores cyſticos haud raro recondit prædictum viſcus; quod etiam tuberculis, concretionibuſque lapideis ſcatet, vel purulentia, putredine & gangræna defœdatum deprehenditur. Occurrunt bronchia a diverſis inſpiratis pulveribus obſtructa; exulcerata & materia purulentia, quaſi pultacea, obturata. Tracheam quandoque impediunt ſarcoſes, mole & numero variæ; quæ alias e pulmonum

num ambitu prodeunt; vel e pleura, ejusque proceſſibus naſcuntur. Obſervantur tumores aqua, materia pultacea, ſanguine, pure, vermibus, lapidibus, &c. ſcatentes; quibus trachea & pulmones comprimuntur. Bronchia in nonnullis oſſeam duritiem aſſequuntur; claviculis, granis frumentaceis, carnis fruſtulo, aliiſque corporibus extraneis fortuito deglutitis obſtruuntur. Thymus quandoque ingens; & glandulæ bronchiales tumidæ obſervantur. Occurrunt aneuriſmata in pectore latitantia; aorta oſſea & tuberculoſa. Plane inculpata in nonnullis reperiuntur viſcera; ſi cor excipias, quod mole ampliſſimum ante oculos verſatur; cujus ſuperficies ulcuſculis exeſa, vel pericardio accreta annotatur. Stupendo in quibuſdam adipis proventu obruitur, & quaſi tumulatur prædictum viſcus; nec abſimili cauſa totum ſæpius tumet mediaſtinum: quare minime mirari ſubit, ſi ab hac adipoſa mole emergat pulmonum anguſtia; eumdem fere effectum exerit hydrops pericardii. Inſuper utriuſque oſtii valvulæ oſſeam vel petream duritiem referunt: eamdem læſionem cernere licet in aorta, ejuſque propaginibus. Thalami ſanguine compacto, vel ut inquiunt, polypoſo, tumidi deprehenduntur; ac auriculæ ſupra modum dilatatæ. Repertum fuit foramen ovale patens & minimum digitum admittens. Pleuram inſolita craſſitie & ſtupenda duritie labefactatam; adeo ut hinc emergeret alter pectoris ambitus, ſoliditate vix naturali cedens, obſervaſſe memini; aliique annotarunt. Mediaſtinum craſſum, aqua vel ſanguine turgens conſpicitur. Seroſa poſtremo, cruenta, vel purulenta colluvies omnes, tum pericardii, tum pectoris receſſus ſæpiſſime replet.

Varia etiam obſervatu digna exhibet *abdomen*: diverſimode nempe defœdata viſenda ſe præbuerunt digeſtionum organa: annotantur enim tumores & tubercula in ventriculo, qui æruginoſa colluvie nonnunquam turget, flatu diſtenditur, & e genuina ſede depellitur. Hepar diſcolor ad inſolitam molem exſurgit, vel infarctu ſcirrhoſo, purulentia, putredine, &c. contaminatum, diaphragmati & nothis coſtis morboſe accretum, tuberculoſum, hydatidibus fœtum, cruſta obductum deprehenditur. Eadem vitia conſpicere licet in liene, pancreate, meſenterio, aliiſque imi ventris viſceribus; præter tumores diverſæ ſortis, variamque colluviem. Parergi loco addere expedit, haud raro occurrere aſthmaticorum cadavera, quorum viſcera, tum pectoris, tum abdominis, nullum vitium conſpicuum contraxerunt: haud ſane mirum, ſi cultro anatomico ſubjecti aſthmate convulſivo & periodico, cujus cauſa in nervis deliteſcit, dum viverent, torquerentur. Præterea evidens eſt hanc multiplicem viſcerum, aliarumve partium labem, quam exhibet cadaverum ſcrutinium, alios morbos ab aſthmate plane diſcrepantes reſpicere; ni tamen pro producto morboſo in genuino aſthmate nonnunquam haberi debeant; quod ſane rationi conſentaneum videtur.

E præfatis colligitur, arduam eſſe aſthmatis *curationem*, cum multiplici cauſa, in cimmeriis tenebris ut plurimum demerſa, progignatur; vel potius diverſi ſint morbi, qui ob eundem effectum quem edunt ſub eodem titulo perperam comprehenduntur: adeo ut in hiſce anguſtiis ſatius forte foret, inſtituto congruo victus regimine, ab omni curatione plane abſtinere; vel ad medelam diverſis tentaminibus viam caute ſibi parare; adeo ut curatio mere empirica videatur. Inter varia præſidia adverſus hunc contumaciſſimum morbum uſurpari ſolita, primatum ducunt *venæ ſectiones*, quarum ſiniſtros effectus ſæpius plangunt ſaniores Medici; cum, etſi temporarium ſolamen impertiuntur, omnia a detracto ſanguine in pejus plerumque ruant. Ubi tamen vaſa ſanguinea ultra modum turgent, vel ſufflaminantur menſes & hæmorrhoides, aliudve conſuetum ſanguinis profluvium, phlebotomiam profuturam facile crediderim. Haud vetatur etiam in urgentiori aſthmatis convulſivi inſultu, imminente ſcilicet ſuffocatione: alias exulare debet. Qui vero aliam methodum ſectantur, unde flatus oſtenditur, vela dare; & de morbi exitu, peſſimo ſane conſilio, parum curare videntur.

Conducunt *emetica* & *cathartica*, vigen-

gente asthmate humido: prima præsertim laudantur sub insultu; sed tutiora & magis proficua utraque censentur, si inter inducias exhibeantur. Congruunt in omnibus temporibus diluentia & demulcentia; serum nempe lactis vel ipsummet lac; jusculа e pulmone vitulino parata; æque ac ptisanæ, & apozemata, liquiritia, borragine, tussilagine & hedera terrestri impregnata. Parum abest, quin specifici titulo gaudeant *pectoralia*, vulneraria, & incidentia; hinc summis laudibus extolluntur camphorata, erysimum, abrotanum, hyssopus, marrubium, satureia, arum; baccæ juniperi; gummi tragacanthum, vel ammoniacum; sapo, aqua picea, terebinthina, varia officinalia e sulphure præparata, flores benzoini, balsamum Lucatelli, &c. quæ omnia haud indiscriminatim sunt usurpanda; sed, pro re nata, delectu opus est. Nec minorem opem præstant *aperientia* & *diuretica*, gramen nimirum, bruscus, feniculum, enula campana, bryonia, iris florentina; aselli, nitrum, martialia, oxymel scilliticum, &c. Sed notare expedit circa aperientia, incidentia, aliave stimulantia, quod haud nisi summa cautela in usum trahi debeant; cum præpostere adhibita summam noxam inferre queant: nec latet in arte medendi peritos, plures asthmaticos intempestiva horumce medicaminum administratione ad fatum properasse; qui alias vitam diuturniorem cura palliativa, vel sola proba victus ratione, traxissent.

Inter salubriora præsidia a prioris notæ scriptoribus recensentur *perspirationem moventia*; quæ præsertim conferunt, si asthma a retrogressis efflorescentiis cutaneis, vel a materia arthritica sanguini remixta originem mutuetur: inter quæ usitatiora audiunt scabiosa, carduus benedictus, guaiacum & lignum sassafras; china radix & sarsa parilla; antimonium diaphoreticum, antihecticum Poterii, &c. Suas laudes etiam merentur *antispasmodica*, crocus nempe, succinum, & castoreum; ubi scilicet præinsultuum vehementia de læsis nervis injicitur suspicio. Nonnullis congruunt amara; inter quæ cæteris præstat cortex peruvianus: pluribus demum arridet haustus caffe, qui sub quibusdam circumstantiis aliquantulum auxilii præstare potis est. Pro supervacaneis vel noxiis, sæviente paroxysmo, habentur hypnotica, quæ etiam in aliis temporibus a senioribus clinicis plane abdicantur. Agmen claudunt aquæ minerales, Vallenses nempe frigidæ, Plumberianæ, Borbonienses Anselmienses, Baregienses, Montis aurei, Cauterienses, Dinienses, Balneolenses, Granenses; aliæque thermales quæ secretiora corporis adyta permeando, vel vascula impedita reserando, omnium ferme chronicorum curam absolvere solent; hinc minime mirum, si pro extremo Medicorum, de cæterorum remediorum efficacia desponentium, confugio habeantur.

Mira præstant, urgente paroxysmo, enemata emollientia, cathartica & stimulantia; vel cum colocynthide, vino emetico, &c. parata. Juvant fricatus in cruribus celebrati, nec non pediluvium tepidum. Imparia sunt superando morboso obici sinapismi & vesicatoria; ni accessio ultra plures horas proteletur; sed præclara munia obire valent, si temporibus intermediis admoveantur, præsertim post eruptionum cutanearum regressum; circa quem notare expedit, quod asthma a repulsa scabie ortum nulla arte tutius fugari, quam ab iterum traducto hoc fœdissimo morbo. Vesicantium vires superare cauteria extra paroxysmum imposita multiplici experientia comprobatum manet: hæc enim humores nocivos tractu temporis alliciendo, morbum cæteris auxiliis obsurdescentem eradicare queunt, nec fugit practicos, eumdem effectum sæpius præstasse ulcera a prævio abscessu, vel quavis alia causa forte prognata. Nonnulli insultum fugant fumo tabaci, ope fistulæ notissimæ hausto: aliis prodest acetum sub eodem scopo naribus admotum, &c. Mantissæ instar addere licet, haud levem noxam asthmaticis inferre aerem frigidum & humidum; præcipue si pectus haud accurate cooperiant.

SUFFOCATIO.

IN propatulo se sistit hic morbus, a catarrho suffocante, de quo supra, multum discrepans; non secus ac ab orthopnœa,

pnœa, quæ eſt anhelationis chronicæ exacerbatio, vel alterius morbi ſymptoma; ſed ſæpius deliteſcit ejus indoles. Conſtat ſane ſuffocationem *promoveri* a curſu; ab iracundia, aliave vehementiore mentis perturbatione; a leviori atmoſphæra in excelſioribus montibus; ab aere craſſiori in profundioribus fodinis, &c. Nec latet, hanc concomitari incubum, anginam; ſanguinis vel puris e bronchiis eruptionem &c. Notiſſima eſt ſuffocatio a bolo, aliove corpore incaute deglutito, fiſtulæ æſophagi impacto; a tumore quocumque tracheam premente, &c. nec minus glottidis obſtructio, tum ab excreſcentiis polypoſis huic parti, vel tracheæ adnatis, tum a tuberculis & concretionibus lapideis e pulmone prodeuntibus, vel a quovis corpore extraneo per os huc forte intromiſſo. Variæ enim proſtant apud ſcriptores medicos hiſtoriæ variorum corporum in glottidem, vel tracheam illapſorum; fruſtorum ſcilicet panis vel carnis, caſtaneæ, pomi, pyri, &c. piſorum & phaſeolorum; nucleorum ceraſorum & prunorum; uvarum acinorum, &c. Facile demum intelligitur ſuffocationem excitari, ſi trachea & bronchia, poſt hæmorrhagiam narium, vel oris, ſanguine obruantur; quod ſemel accidiſſe memini in viro, alias athletico, qui poſt hæmorrhagiam narium, intempeſtivo ſomno indulſerat; a majori & ſubitaneo puris profluvio in cavum pectoris; a diſruptione aneuriſmatis, &c. Sed haud ſingulis perſpicuum fit, an ſuffocatio prodeat ab affectu hypochondriaco, vel hyſterico; a catarrho ſuffocante, ab hydrope pectoris & empyemate: nec liquet, num a diſrupto aneuriſmate, a peculiari cordis morbo, &c. concitetur.

E præhabitis conſpicuum fit, ſuffocationem plerumque eſſe ſymptomaticam; vel enumeratos morbos, de quibus alibi, reſpicere. Quapropter nobis in præſentiarum agendum incumbit de hac ſola *ſuffocationis ſpecie accidentali*, quæ a *ſubmerſione in aquam*, vel ab inſpirato aere *muſti effervescentia*, *fumo carbonum*, *halitibus mineralibus*, vel *mephiti* inquinato; quæ ſcilicet gravioris ſyncopes faciem brevi induit; adeo ut miſelli ægri vitæ plane expertes videantur. Sed e relatu priſtinæ ſanitati reſtitutorum, pro comperto manet, primam invaſionem meram fuiſſe ſuffocationem, quæ ad certum gradum devecta functiones animales & vitales ita impedit, vel obſcurat, ut jacentes vix a mortuis diſcrepent.

Ad propoſitum minime attinet ſarcoſes polypoſas, & corpora extranea glottidi infixa; nec variam colluviem, qua pulmones intus vel extus obruuntur; aliaſve jam enumeratas ſuffocationis cauſas recenſere: quare ea duntaxat notatu digna, quæ colliguntur e *ſectione* ſubito extinctorum ab aqua, vel aere quodam inquinato, exhibebimus; quæ ſic ſe habent. Vaſa cerebri ultra modum tumentia deprehenduntur: cordis receptacula inſolitam amplitudinem referentia ſanguine obruuntur: patent ejuſdem laticis ſtaſes intra tumida pulmonum vaſa: in propatulo demum fiunt ecchimoſes & ſtigmata diverſæ ſortis in pulmonum, aliorumque viſcerum ambitu. Sed illud notandum incumbit, quod ſtomachus eorum, qui in aquis animam efflarunt, ne minimam aquæ copiam, uti vulgo fertur, excepiſſe: quod phænomenum alta mente tenere debent clinici, qui vulgi præjudiciis obcæcati eo collimant, ut ſtomachus hac commentitia ſarcina liberetur, quid mali ex hacce præpoſtera methodo emergere queat, facile intelligitur. Membra poſtremo hiſce infortuniis ſublatorum plerumque rigida, cum dentibus conſtrictis, occurrunt; vel inſolita flexilitate donantur: facies nunc rubra, nunc pallida ſe præbet; cætera conſulto prætermittimus.

Sub hoc caſu urgentiſſimo, miſſa omni cunctatione, nil non movendum, ut vires refocillentur, ſenſus revocentur, & morans ſanguis ſolitum circuitum abſolvat. Haud deſpondendum de iis, qui mortuorum inſtar jacent; ni adſint putriditatis ſigna: cum minime dubitare liceat, quin plures pro defunctis, peſſimo fato, relictis, opportunorum ope auxiliorum ex orci faucibus forte fortuna evaſerint: etenim variis hiſtoriis conſtat, haud paucos, qui poſt plurium horarum ſubmerſionem pro mortuis lugebantur, præter omnium expectationem, ad vivorum numerum re-

vocatos fuisse; sub qua tamen conditione haud citra piaculum libitinæ tradi solent: exemplo sit quidam aquis per sex horas submersus, cujus memorat PECHLINUS; atque mulier, quæ tres dies sub aquis latuit, de qua loquitur BOERHAAVIUS; quod, ut verum fatear, omnem fidem superat. Quapropter, nulla interposita mora, ad focum devehantur, & susceptum frigus sensim arceatur; diversis motionibus agitentur, & volvantur, ut sopiti spiritus suscitentur. Sunt qui balneum cinerum calidorum, fimetive calentis; vel pellem ovis recens mactatæ, qua obvolvantur naufragi, suadent: sed ut plurimum in re urgentissima hæc desiderantur præsidia: hinc ad alia properare expedit; inter quæ primum sane ducit *venæ sectio*, præsertim jugularis, quantocyus celebrata. Interea promovendus est *vomitus* pharyngis vellicatione vel quavis alia arte: naribus & temporibus admoveantur spiritus flagrantissimi; vel ori guttatim instillentur. Conducunt errhina validiora. Haud inutilem operam ludit aer, vel fumus tabaci, per os congrua vi & compressis naribus insufflatus. Jure laudantur suppositoria & enemata acriora, vel e nicotiana parata. Horum vices æmulatur & forte superat *fumus tabaci* per podicem injectus ope cujusdam instrumenti a BARTHOLINO, MUSCHENBROEKIO, aliisve recentioribus delineati: sed parvi habendum in re urgentissima præsidium, quod nullibi præsto occurrit. Sunt qui *laryngotomiam* summe deprædicant: hanc necessariam fore, si glottis quocumque modo obturetur; sed inutilem judicamus, ubi liber manet hicce aeris aditus, quem inculpatum observari in defunctis ab aqua, nemo nescit. Nec sufficiunt in hoc extremo casu nonnullæ periclitationes: quin potius ipsis diutius inhærendum, cum plures ex aqua extracti, vel *laqueo suspensi* jam conclamati, haud nisi post bihorium & ultra, quædam vitæ superstitis indicia incolumes præbuerint; quod sane, etsi mirum & a publico rerum ordine alienum videtur, ultra omne tamen dubium positum manet.

Simili ferme modo pertractantur suffocati ab aere venenosis vaporibus imprægnato. Primo nempe danda est opera, ut ad locum editum ferantur: facies aqua frigida inspergatur: aer compressis naribus per os insuffletur, ut irruat ad pulmones. Olfacienda admoveantur, acetum nempe acerrimum, sal volatile Anglicum, spiritus salis ammoniaci aliaque consimilia. Illico insuper *tundenda vena*: nonnulli proponunt emeticum: num recte, cæteris judicandum relinquimus. Nec forte felicius collineant, qui antispasmodica & sedantia adhibent; quæ tamen, si variis historiis sit fides, fauste nonnunquam successisse videntur. Conducunt ultimo *sternutationem moventia acriora; enemata stimulantia* supra laudata, frictiones cum pannis asperis celebratæ, cucurbitulæ scarificatæ, aliaque innumera adversus syncopem & affectus comatosos adhiberi solita. Mantissæ instar addere licet circa suffocatos a quacumque causa, qui sensibus, pulsu & respiratione orbati satis cessisse videntur, quod de exequiis cogitare nusquam liceat; nisi variis præmissis tentaminibus, quibus erui possunt nonnulla latentis vitæ indicia; cum nulla certa, præter putrefactionem, occurrant, uti supra innui, obitus signa. Itaque accurate perspici debent oculi, qui peculiari modo infuscantur in demortuis, vel suo nitore plane defraudantur: admoveri debent vesicatoria acriora, quæ si phlyctænas promoveant haud mendacem vitæ notam produnt; cum plane inertia sint in cadaveribus: præterea infigitur ferrum candens in plantam pedum, &c. quæ omnia alta sane quidem mente tenere debent Medici suis muniis perfunctorie hærentes; ne priusquam moriantur, horrendum dictu! sepulturæ tradantur quavis causa suffocati.

HÆMOPTYSIS.

IN ancipiti nonnunquam versatur hujusce morbi *diagnosis*; cum tanto sæpius proventu erumpat sanguis, ut pro vomitu cruento ab ipsismet ægrotantibus habeatur; vel, cum sputa tantummodo cruenta excreentur præ sanguine e naribus, faucibus, ore & glottide, inculpato pulmone, haud raro profiliente: nec ab hoc errore vindicantur solertiores; si in hisce casibus tussis a quacumque alia causa ex-

ci-

citetur. Re tamen accuratius penſitata, minime arduum eſt inquirere, num ſanguis e bronchiis prodeat; tum enim rutilans & ſpumoſus hic late tuſſis ope ejicitur; præterea conqueruntur ægri ſub hac hæmorrhagiæ ſpecie de æſtu acriori, pruritu vel dolore quodam gravativa in parte affecta: inſpirandi inſuper difficultatem ſibi, nonnunquam vomitum adjungit hæmoptyſis, quæ hiſce notis, ab affinibus vel cognatis ſanguinis profluviis facile *diſtinguitur*. Sanguis vero e partibus ſuperioribus prorumpens per nares ſtillat, priuſquam in propatulum veniant ſputa cruenta: ſi e gingivis, vicinioribuſque partibus prodeat, ab introſpecto ore morbi ſedes detegitur, & ſanguis ſimpliciſſima ſputatione projicitur: ſi e faucibus exeat, titillationem non obſcuram inibi excitat & excreatu everritur: ſi demum diſrumpantur vaſa glottidem vel laryngem irrigantia, moleſta circa prædictas partes emergit ſenſatio; & ſanguis cujuſdam ronchi ope foras, parca copia amandatur; vel ſputa ſtriis ſanguineis tantummodo notantur: ſed notandum, quod tuſſi ſtipetur hæc poſtrema ſanguinis excretio; quo fit, ut ægre ſæpius a genuina hæmoptyſi diſtinguatur, ad quam proxime accedit.

Ex ipſa pulmonum ſubſtantia exiens ſanguis, nunc ſola tranſudatione exprimitur, & vix ſputa inficit; nunc diſruptis vaſis in bronchia ſe ſe exonerantibus, tanta copia ad os appellit, ut de vomitu cruento nonnullam moveat ſuſpicionem; præſertim ſi ſanguis blandior, ne minimam inibi vellicationem concitet; nullamque vel leviorem tuſſim moveat; quod nonnunquam evenire haud fugit Medicos. Num cruor affatim e pulmonibus erumpens a diſruptis arteriis evomatur, necne, ambigendi locus: ſed illud dubium in medio relinquimus. Inter hæmoptyſeos ſigna minime recenſeri debet febris, quæ tamen ab æſtuante ſanguine nonnunquam excandeſcit; qua fit, ut imperiti, vel incauti, de peripneumonia perperam cogitantes, genuinum morbi characterem, ne quidem ſubolfaciant. Nec magis ad hæmoptyſeos notas pertinent quædam bronchiorum ramenta, quæ una cum ſanguine e pulmonibus profluente, nonnunquam foras detruduntur; cum illud phænomenum ſolos phthiſicos ad hancce hæmorrhagiam, uti nemo neſcit, proclives reſpiciat. In nonnullis ſapor quidam ſalſus, quem ad ſanguinem referunt ægri, anteit futuram hæmoptoem. Forte referri debet prædictus ſapor ſanguini bronchia laceſſenti: non ſecus ac colluvies amara in ventriculo nidulans oris amarorem concitat per conſenſum partium.

Hæmoptyſis *contrahitur* a cantu, clamore, tuſſi vehementiori; ab immani iracundia; a lapſu ab alto; ab ictu pectori illato; a conatu violento inter verſandas magnas moles, &c. Hanc fovet menſium vel hæmorrhoidum, aliorumque aſſuetorum ſanguinis profluviorum, tum ſpontaneorum, tum arte inſtitutorum ſuppreſſio. Huic obnoxii cenſentur in otio recumbentes, æque ac improbis corporis laboribus indulgentes; helluones & admiſſarii. Hanc caveant graciles & macilenti; juvenes a decimo quinto ætatis anno, ad trigeſimum, imo trigeſimum quintum; ſcorbutici, hypochondriaci, litterati, &c. Pronus denique ad hæmoptyſim cenſetur ſequior ſexus. *Periculi* eſt expers hic affectus, ſi cauſam accidentalem, illibata alias ſanitate, agnoſcat, & certis terminis coerceatur: nil mali etiam expectandum, ſi catameniorum vices expleat. Sed periculoſæ eſt aleæ, ubi inveteraſcit, vel a jam diuturno morbo pendet; nec major ſpes affulget ab hæreditaria. Nemo neſcit, hæmoptyſim ad pulmonum ulcerationem vergere, præſertim in ætate juvenili: ſuffocationem minatur cruor pleno gurgite erumpens, vel moleſtiſſimas poſt ſe trahit reliquias.

Secta cadavera exhibent tracheam & bronchia ſanguine vel ſanie repleta; membranam has fiſtulas obveſtientem eroſam; clavos, aliaque corpora extranea huc intromiſſa. Pulmones pallidi, contracti, duri & ſanioſi, ſanguine infarcti, nunc ſingulis partibus ambientibus hærent; nunc maculis gangrænodeis, vel exanthematibus ſignantur; alias phlogoſi, puris collectione, exulceratione, vel ſcirrhis defœdantur; tubercula etiam, concretioneſque lapideas recondunt; horumque vaſa ſanguine turgent. Viſenda ſe præbent aor-

tæ aneurismata disrupta, & bronchiis sanguine infarctis pervia. Obvium fit cor suo involucro nonnunquam accretum, mole amplissimum, cum suis auriculis præter morem dilatatis: ejusque superficies ulcusculis erosa deprehenditur. Occurrit serosa colluvies tum in pericardio, tum in cavo pectoris. Sanguis demum stagnans in contextu mediastini nonnunquam conspicitur. Nec minus memorabilia annotantur in abdomine; oculis enim subjiciuntur hepar inflammatum, tuberculosum, vel scirrhosum, lien triplo major, venæ portæ propagines ultra modum tumentes, &c.

Hæmoptyseos accidentalis & recentis *curatio* coincidit cum ea, quæ congruit hæmorrhagiis: hæmoptysis vero chronica phthiseos instar, ratione affinitatis, pertractari debet. Præsentaneam sane, ineunte morbo, opem præstant in primo casu venæ sectiones, quæ hanc forte tutius præcavent: sed haud majori quam par est copia mittendus est sanguis, ne proclives ægri in phthisim delabantur. Depletis vasis conducunt refrigerantia & demulcentia; hordeata nempe, emulsiones, decoctum oryzæ, althææ & nimphææ, oleum lini, &c. quæ sub modo leviore curationem absolvere queunt: sed si inter horum usum sanguis ubertim profluat, ad efficaciora deveniendum; ad adstringentia scilicet & vulneraria; in quorum censum veniunt pimpinella, urtica, consolida major, plantago, hedera terrestris & pervinca; rosæ rubræ & balaustia, mucilagines, catechu, sanguis draconis, succinum, corallum, lapis hæmatites & globulus martialis. Urgente demum necessitate, vel sanguine pleno gurgite profluente, ad alumen, oleum vitrioli, & essentiam Rabel confugere expedit: sed haud nisi summa cautela præscribi debent hæc postrema remedia; ne intempestiva, vel subitanea sufflaminatione, sæviora emergant symptomata. Nec vetantur narcotica, si tussis ferocior hæmorrhagiam foveat; id genus sunt diacodium, pilulæ de cynoglosso, trochisci de karabe, &c. cum quibus tamen caute mercandum. Postremo minime sunt posthabenda vincula artubus injecta, ut, vasis infra ligaturam tumentibus, minor sanguinis copia ad cor & pulmones redeat; lintea aqua frigida vel oxycrato imbuta scroto admovenda, aliaque adversus hæmorrhagias recentes adhiberi solita.

Apud saniores Medicos in confesso manet, nil felicius usurpari ad hæmoptysim chronicam quam *lacticinia*, cremores oryzæ, hordei & avenæ; jusculæ e testudine, pulmone vitulino, &c. parata. Parum conferunt in utroque casu cathartica: si tamen sordes in primis viis nidulantes ea expostulent; blandiora, ut cassia, manna, tamarindi, &c. sunt præscribenda. Omnia præsidia longe antecellit congruum victus regimen: imo & opus est diæta tenuissima, & demulcente, ubi viget hæmorrhagia. Alias danda est opera, ut a cupediis sapidioribus, vino & consimilibus, abstineant ægri; ut aura temperatiore fruantur & moderate caleant: in otio insuper recumbant; atque præsertim sileant hæmoptysici, ne inter pulmonum actionem vascula recens agglutinata iterum dilacerentur; sub qua conditione cave phthisim, morbi, de quo in præsentiarum, pedissequam.

PHTHISIS.

SPutum sanguinis, tussis sicca, febricula vix conspicua, genarum rubor, æstus totius corporis, & præsertim volæ manuum, &c. sunt totidem phthiseos *prodromi*. Hanc produnt sputa fœda, glutinosa & purulenta; febris lenta & evidentior, quæ post pastum & serotinis horis exacerbatur; vox rauca & submissa, halitus fœtidissimus, respiratio impedita, dolor circa pectus, vel ad dorsum pertingens, marasmus, ungues incurvi, &c. Non tamen in omnibus hæc spectabilia *signa* morbum in propatulo sistunt; quin potius his deficientibus, vel dubiis, haud raro res in ancipiti versatur. Notare enim expedit, tussim nonnunquam esse siccam, nullumque erumpere screatum purulentum; etsi pectus pure scatet, imo & in quibusdam plane deficit tussis: nec desunt phthisici, haud procul a tabe remoti, libere spiritum ducentes, & doloris plane expertes. Præterea asthma humidum, cum tussi chronica, non secus ac catarrhus inveteratus, phthiseos faciem non raro præse fert, qua decipiuntur imperiti; tussis vero

vero ficca & habitualis infidum phthiſeos tuberculoſæ ſignum præbet. Sola igitur *ſputa purulenta* morbi characterem produnt; ſed num hanc naturam redoleant, arduum quandoque inquirere; cum quotidie excreentur in ſimpliciſſimo catarrho ſputa ſubalbicantia, fœdiſſima, fundum aquæ petentia, aliaſque ſinceri puris notas referentia, quæ tamen ratione indolis ab phthiſicorum ſputis longe diſcrepant. Nec certiores depromuntur notæ ex odore, quem referunt, & ex horum ſapore ſolo ægrotantium relatu dignoſcendo. Pus tamen prunis injectum, quid fœtidi exhalat, ab alio odore diſtinguendum. Nihilominus tanta ſæpius caligine obruitur hujuſce morbi *diagnoſis*, ut nihil præter conjecturas aſſequi liceat, præſertim ſi a concretionibus ſteatomatoſis, tophaceis, gypſeis, &c. foveantur.

Noctes ut plurimum inſomnes ducunt phthiſici, & in alterutrum latus ægre decumbunt. Cietur vomitus a tuſſi poſt paſtum accedente: prorumpunt, præſertim noctu, ſudores copioſiſſimi, puſtulæque pruriginoſæ totum quandoque corporis ambitum infeſtant. Accedit alvi fluxus, ut inquiunt, colliquativus, qui ſcilicet contabeſcentiam poſt ſe trahit; emergunt aphthæ in ore jam ſalſedine affecto: urinæ minguntur oleoſæ: corpore jam macie confecto, excavantur oculi; naſus acuminatur, protuberant ſcapulæ; capilli decidunt; tument tibiæ, &c. Nonnulli demum phthiſici tubercula cum ſputis excreant; non ſecus ac calculos præduros, aut aſſicula diverſiformia, hordei vel piſi magnitudine; corpora polypoſa, ramenta pulmonum, vel membranæ bronchia obveſtientis, &c. Nec ſemper hiſce ſymptomatibus ſtipatur phthiſis; cum haud deſint ægri, quorum alteruter pulmo putredine plane abſumptum, pure totum ſpatium replente poſt mortem deprehenditur, qui tamen, uti ſupra inculcavimus, in alterutrum latus, facili manente reſpiratione, cubare queunt, nullo dolore premuntur, nec tuſſi moleſtantur, &c. Quod ſtupendum phænomenum pluries, poſt accuratam prægreſſi morbi notitiam, inter *rimanda cadavera* obſervaſſe memini.

Phthiſim caveant, quibus ineſt hereditaria labes, vel mala pectoris conformatio; & graciles ſtatura oblonga donati. Hunc morbum promovent caſtra veneris, liberaliorque vini, liquorum ardentium & cupediarum uſus; conſuetorum ſanguinis profluviorum ſufflaminatio; retrogreſſæ eruptiones cutaneæ, arthritis anomala; ulcera exhauſta, &c. *Suboritur* ab aſthmate, variolis & morbillis, peripneumonia, tuſſi catarrhali chronica, vulneribus, &c. Poſtremo inter luis venereæ, ſcrophularum, ſcorbuti, &c. ſymptomata numerari prædictum morbum neminem ferme latet.

Immedicabilis cenſetur phthiſis hereditaria, confirmata, vel ad certum gradum provecta: accidentalis vero, quæ ſcilicet a peripneumonia, variolis, ſuppreſſis evacuationibus, &c. ortum mutuatur, curatu facilior evadit. Quoad ſymptomaticam, haud niſi ſublato primario morbo eradicari omnibus obvium. Funeris metum incutit febris acuta, hoc præcedente morbo, inſurgens; prodit enim plerumque a tuberculorum phlogoſi & purulentia: atque haud raro intermittentium faciem præ ſe fert, licet alterius ſane ſit indolis. Minime mirum, ſi febris acuta ſub hoc rerum ſtatu exſurgens, pro calamitoſa habeatur; cum neminem fugiat, quod morbi chronici, qui in acutos vertuntur, cæteros ſævitie & pernicie antecellant: ſputa copioſiora & fœdiſſima, ſuffocatio, alvi fluxus, ſudores ubertim erumpentes, vel arenoſæ, vultus colorem plumbeum referens, capilli decidui, atrophia & virium defectus, pro mortis præconibus habentur. Levem moleſtiam creant tubercula, ni phlogoſi & ſuppuratione corripiantur. Conſtat tamen nonnullos phthiſicos, quorum ſputa ultra omne dubium pus redolebant, congruo compoſito victus regimine, per viginti, triginta annos & ultra, vitam traxiſſe, quod evenit ubi ulcus pulmonum haud late ſerpens, fontanellæ inſtar ſentinam præbet, qua humores e noxiis, virulentiſque materiebus expurgantur; adeo ut haud citra periculum exſiccentur prædicta pulmonum ulcera. Nemo neſcit, phthiſim inter conſanguineos propagari; ſed num pertimeſcendum ſit illud contagium in conjugio, nondum liquet.

Se-

Sectiones anatomicæ horrendam & ſtupendam ſtragem a purulentia & putredine ortam exhibent : adeo ut mirari profecto ſubeat, ægrotantes, his ſic ſe habentibus, haud citius occubuiſſe. Conſpiciuntur pulmones omnibus partibus vicinioribus arctiſſime annexi ; quo fit, ut ſine laceratione evelli nequeant. Viſenda ſe præbet horum tunica craſſiſſima, calloſamque duritiem nacta. Deteguntur larynx, trachea & bronchia ulceribus exeſa. Repertus fuit larynx ſarcomate, vel fruſtulo pulmonis obſtructa. Abſceſſus integros, vel apertos ; tumores anomalos, materiam melleam, ſteatomatoſam & putridam continentes ; tubercula gypſea vel tophacea, & concretiones lapideas recondunt pulmones ; quî etiam ſæpiſſime purulentia per totam ſubſtantiam ſerpente, vel putredine conſpurcati ſe præbent. Nonnunquam alteruter pulmo ulcere phagedænico plane abſumptus deprehenditur, vel exigua parte ſuperſtite ; ac tanta ſæpius annotatur hæc horrenda ſtrages, ut omnem fidem ſuperet. In apricum veniunt pulmones exſucci, aridi, ſcirrhoſi ; mediaſtinum purulentum & putridum. Occurrunt ſtagnationes ſanioſæ, vel purulentæ, tum in cavo pectoris tum in ipſo pericardio, ob cordis exulcerationem, quod alias putridum, vel adipe obrutum invenitur. Nec thymo, ſæpius mali conſorti, parcit purulentia ; qui ſcilicet ita in nonnullis peſſundatur, ut pro præcipua morbi ſede haberi queat. In conſenſum etiam quandoque trahuntur viſcera abdominalia, hepar nempe, epiploon, pancreas, &c. in quibus eaſdem ferme defœdationes cernere licet.

Venæ ſectio, ineunte morbo, in nonnullis proficua cenſetur ; alias inutilem operam navat vel noxam infert. De ſanguinis detractione notare juvat, quod hanc præcipere ſoleant imperiti, in hacce febris acutæ ſpecie, quæ a tuberculorum inflammatione & ſuppuratione ſoboleſcit : ſed ab hac intempeſtiva ſanguinis miſſione pluries iterata, ad æthereas ſedes properaſſe ægros pluries vidiſſe memini. Nonnulli, qui praxim a limine ſalutarunt, vel obſervationum anatomicarum forte inſcii, tuſſim phthiſicorum pro ſtomachali perperam habent : hinc fit, ut nil præter ſaburram in primis viis nidulantem cogitantes, catharticorum præpoſtero uſui, reluctante experientia, hæreant, quibus ſtimulantibus irritari crabrones nemo non intelligit ; hinc minime mirum, ſi plectantur ægri, quidquid delirant medentes. Haud tamen vetantur hæc remedia in pravis digeſtionibus ; ſed blandiora ſunt eligenda, & cum cautela præcipienda, ne vehementiori pulmonum æſtu, quem accerſere ſolent id genus medicamina, tuſſis recrudeſcat. Inter remedia phthiſi dicata primatum ſane ducit lac ; nil enim efficacius reperiri, tam ad ſanandum, quam ad præcavendum huncce morbum, experientia quotidiana teſtatur : uſitatoria ſunt aſininum, equinum, caprinum & vaccinum ; quæ duo poſtrema pro omni alimonia uſurpari ſolent ; adeo ut alimentum, ut inquiunt, medicamentoſum præbeant : hæc eſt *dieta lactea*, circa quam, ſi nil obſtet, totus verſari debet phthiſeos curationis cardo : ſi ab injecto lacte gravatur ſtomachus, hydrogala, vel lac copioſa aqua dilutum præſcribitur. Eumdem ferme effectum præſtat lac ebutiratum : huic obſecundant pectoralia demulcentia, borrago nempe, pulmonaria, herbæ capillares, tuſſilago & hiſpidula. Lactis vices ſupplere queunt juſcula e pulmone vitulino, vel teſtudine parata, cremores hordei, oryſiæ, &c. Prodeſt ſub phthiſi tuberculoſa, notante Boerhaavio, ſuccus endiviæ, lactucæ, cichorii & taraxaci. Præclara etiam munia obeunt *pectoralia* vulneraria & detergentia ; veronica nimirum & hedera terreſtris, benzoinum & gummi ammoniacum ; balſamum Lucatelli, varia officinalia e ſulphure parato ; aqua picea, pilulæ balſamicæ Morton, &c. ſed caute uſurpari debent hæc poſtrema ; ne ab horum præpoſtero uſu jam æſtuans ſanguis ulterius excandeſcat. Nil ab morbi curationem conferre videntur abſorbentia, ſed variis ſymptomatibus, nimirum aceſcentiæ primarum viarum, fluxui, hæmorrhagiis, ſudoribus immodicis, &c. opitulari queunt.

Inducias agunt diacodium, pilulæ de cynogloſſo, aliaque hypnotica ; ſed caute & opportune debent exhiberi, atque certis

tis cancellis contineri, ne symptomata leniendo noxam inferant; morbumque jam adultum exasperent. Quamdam opem præstare solent, morbo nondum provecto, aquæ minerales balsamicæ, Bonenses nempe, Baregienses, Montis Aurei, Cauterienses, Balneolenses, &c. Selteranas, non secus ac aquam calcis, opportune sæpius lacti immisceri jam supra notavimus. De mercurialibus, sudorificis, aperientibus & incidentibus, antiscorbuticis, &c. quæ phthisi duntaxat symptomaticæ congruunt, nil addimus: nec de cortice peruviano, quem phthisicis præscribere haud detrectant, post Baglivium & ipsummet Boerhaavium, celebriores Medici; quod, pace secus sentientium, incongruum judicavimus. Postremo equitationi indulgeant ægri; se ambulando exerceant in loco edito, vel juxta flumina; aura temperata fruantur, aeremque inquinatum fugiant: versentur inter abietes & pineta, ut aerem terebinthinaceis effluviis imprægnatum inspirent. A vino, liquoribus fermentatis, aliisque luxuriosæ gulæ humidis blandimentis; ab eduliis salsis, piperatis &c. abstineant; & victui vegetabili quantum licet hæreant. Nonnullis prodest fumus herbarum vulnerariarum, vel bechicarum cum balsamis immixtarum, fistula congrua haustus. Plures demum fausto beavit eventu cauterium occipiti, scapulis, alterutrove brachio inustum, quod non nihil de materia morbosa alliciendo, hanc sensim prorsus eximere valet; præcipue ubi phthisis a catarrho chronico, vel a qualibet metastasi ortum trahit. Ubi demum de peculiari quodam dolore in pectore conqueruntur ægri; egregiam opem fert setaceum, cuti parti affectæ prospicienti trajectum: ac forte nihil efficacius excogitari potest.

VOMICA.

Occultatur in plerisque hic affectus, donec a disrupto intra pulmones latente absceſſu, pus vel parca copia, vel pleno gurgite haud citra suffocationis periculum ad os irruat. Haud tamen suis *signis* defraudatur hæc puris collectio; tussicula nempe post pastum molestiori, nunc sicca, nunc humida tenentur ægri, & de dolore pectoris obscuro conqueruntur: respiratio ab angustatis loculis pulmonaribus, nonnihil impeditur cum difficili decubitu in latus sanum; halitus fœtet & os inquinatur: plures anxietatibus laborant, sudoribus nocturnis diffluunt, vel alvi fluxu corripiuntur: alii fame quasi canina urgentur, vel cibi fastidio laborant; cum febre lenta horis serotinis exacerbanda conflictantur. Absceſſus a pulmonum phlogosi soboleſcentis movetur suspicio, circa decimum quartum morbi diem; si male se habuerit expectoratio, vel plane defecerit; si febris noctu cum sudoribus recrudescens subsistat; si haud desierint dolor, tussis, spirandi difficultas, aliaque purulentiæ symptomata. Ubi vero ortum ducit hic morbus a fluxione catarrhali chronica, aliave pectoris læsione; a suppressis evacuationibus, vel repulsis eruptionibus, exhaustisve ulceribus externis; a contusione vel a vulnere; a metastasi febrium malignarum, putridarum, &c. clanculum sæpe conficitur pus; nec nisi hoc erumpente se profert morbus. Post tabi a disrupta cystide evacuationem, sputa in plerisque prodeunt purulenta, sublutea, sanioſa vel fæcum vini faciem referentia; livent digiti; tument crura; aliave se produnt phthiseos *symptomata*. Nec desunt, qui unam integram vomicam, ovi columbini, vel gallinacei, magnitudinem adæquantem, imo & plures, haud sine suffocationis periculo, rejiciunt.

A tussi, clamore, sternutatione, aliave pectoris commotione *dilaceratur abscessus*, sed cystidis hiatus haud semper bronchiis prospicit, quibus pus exitum per os sibi parat, quin potius in cavum pectoris nonnunquam diffunditur hic latex & inibi delitescit; donec partibus obviis labem inferens graviora concitet symptomata, in empyemate purulento observari solita. Addere lubet, quod sæpius evenit, ut collectum pus trans pleuram, musculos intercostales, diaphragma, ipsumque hepar viam ad exteriora sibi cudat; hinc fit, ut felici sane quidem exitu, nonnunquam in gracilibus extus protuberet absceſſus; qui tum notissima arte chirurgica aperiri solet.

Vo-

Vomica inter morbos *calamitoſos* jure cenſetur: plures enim ab uberrimo puris, ab libram unam vel alteram accedentis, proventu ſuffocati, illico e medio tolluntur. Ulcus a diſrupto abſceſſu in nonnullis emergens latius ſerpit, & phthiſim indomabilem parit. Hoc impendet infortunium, ſi accedentibus cæteris prædicti morbi indiciis, ſputa purulenta & fœda ultra quadrageſimum diem ejiciantur. Haud raro accidit, ut ulcus apertum certis terminis coerceatur; adeo ut exhinc emergat ſentina, qua ſanguis & humores, uti ſupra notavimus a noxiis materiebus per *anacatharſim* liberentur. Cyſtis poſt evacuationem plerumque agglutinatur, & pus iterum huc colligitur; donec nova fiat dilaceratio; & ſic deinceps; adeo ut plures ægrotantes vicies, trigeſies, & ultra, hunc abſceſſum per vitæ curriculum evomuiſſe teſtentur hiſtoriæ. Nec deſunt poſtremo juvenes, illibata alias humorum maſſa, qui poſt exhauſtum ſolliculum, carnibus rore nutritio ferruminatis, priſtinæ ſanitati reſtituti ſunt: ſed nonnullas reliquias plerumque trahit hic morbi exitus, præſertim ſi haud libere exerceatur reſpiratio; ſub qua conditione ſibi caveant ex hoc affectu convaleſcentes. Nonnunquam evenit, uti jam notavimus, ut pus in cavum pectoris diffundatur; hinc empyema, de quo infra, vel viciniora erodendo ad ambitum corporis appellat, & producto tumore ſub digitis fluctuet. Alias tabum ſanguini remixtum ſolis naturæ viribus, fauſtiſſimo ſane eventu, ad renes, vel fiſtulam inteſtinalem excernendum amandatur.

Nihil non movendum, ut diſrumpatur vomica intra pulmones & per os promoveatur puris ejectio. Huic evacuationi facient inſpiratus aquæ tepidæ vapor; diluentia & demulcentia interna, larga manu exhibita; variæque pulmonum, totiuſve corporis motiones; quibus addere licet tuſſim moventia, quæ tamen caute adhiberi debent, ne a ſubita vomicæ dilaceratione, vel pure pleno gurgite erumpente ſuffocetur æger. Nullam opem conferunt venæ ſectiones, quidquid in contrarium adducant Auctores; ſed alvus ſervanda eſt libera, laxantium & enematum ope: nec perſtante abſceſſu integro plane inutilia ſunt diuretica, ſub ſpe futuræ metaſtaſeos. Poſt diſruptum vero abſceſſum, phthiſeos inſtar pertractari debet hic affectus. Quapropter omnem implent paginam *demulcentia*, quorum ſelectiora audiunt lacticinia, cremores hordei & oryzæ, juſcula e pulmone vitulino & teſtudinibus parata, &c. Pluris etiam habentur *detergentia* veronica nempe, mel, terebinthina, balſamum ſulphuris, pilulæ Mortoni, &c. in eumdem ſcopum proficue adhiberi queunt aquæ Bonenſes, Baregienſes, Montis aurei, aliæque minerales bituminoſæ, quæ, cæteris conſentientibus, plures quaſi ex orco revocarunt. Suas laudes merentur cauteria & ſetacea, quibus ſaburra purulenta foras ſenſim eliminari poteſt. Multum denique proſunt aer apricus nullis noxiis effluviis inquinatus, equitatio, vectio in rheda; aliaque præſidia phthiſicis dicata. Sub perenni pulmonum ulcere, a vetuſtiore vomica prognato, cavendum ne a vehementiori animi pathemate, ab inſpirato aere frigidiori, aliave cauſa ſufflaminentur ſputa: grave enim negotium faceſſere hanc ſuppreſſionem neminem expertum latet; hinc nihil non movendum, ut ab inſpirato aquæ tepidæ vapore ſputa revocentur, vel quavis alia arte huic infortunio occurratur, ſub quo ſæpius mira præſtat oxymel ſcilliticum, ex ſaturata infuſione aquea florum ſambuci propinatum, annuente cl. Tissot, de rebus practicis bene merito.

EMPYEMA.

Sic vocitatur hæc puris in cavo pectoris ſtagnatio, quam ſæpius poſt ſe trahunt vomica & peripneumonia; vel aliæ ſuppurationes, tum pulmonum, tum pleuræ, mediaſtini, diaphragmatis, hepatis, &c. accerſunt. Idem ſortitur nomen ſanguinis vel chyli collectio intra pectus poſt contuſiones, vulnera; aneuriſmatis vel ductus thoracici dilacerationem, &c. de quibus alibi. Ægre *dignoſcitur empyema*, de quo in præſentiarum, poſt peripneumoniam haud infrequens: ſuſpicio tamen naſcitur pus nidulari, ſi inter prædicti morbi curriculum parcus fuerit ſputorum proven-

ventus; vel febris post decimumquartum vel vigesimum morbi diem, cum exacerbationibus serotinis persistat. Haud desunt tamen *notæ*, quibus se prodit hic affectus: impedita scilicet respiratio & tussis sicca: quoddam pondus circa pectus, quo conqueruntur ægri; difficiliisque in alterutrum latus decubitus: his addere juvat os fœdum, appetitum depravatum, tumorem crurum œdematosum, sudores nocturnos, rigores inordinate recurrentes, anxietates, febris lenta, macies, &c. Nusquam demum in propatulum venit id morbi genus, ni tactu vel auditu innotescat puris stagnantis collectio; quod haud raro evenire norunt Practici.

Nec ab omni empyematis metu vindicat largus, procedente peripneumonia, sputorum etiam optimæ notæ proventus: etenim hanc fœdissimam colluviem plurics observasse memini in pectore eorum, quibus ob pleniorem, dum viverent, anacatharsim, fausti exitus spes affulserat; idemque testantur varii naturæ rimatores. Haud minus *in ancipiti versantur* cætera tradita *signa*; præsertim ubi empyema a vomica, aliave tardiori suppuratione originem ducit: plures enim ægros curandos suscepimus, qui libera respiratione, nullaque urgente tussi, in utrumque latus pro lubitu decumbebant, in quibus post obitum alteruter pulmo putredine plane consumptus compertus fuit, pristinum visceris locum replente hac purulenta spurcitie: quod haud citra admirationem annotarunt adstantes, & tradiderunt nonnulli Auctores. Præfatis addendum, quandoque reperiri pus majori copia circa pulmones fluctuans ante decimumquartum peripneumoniæ diem; quod sane alta mente tenere debent clinici, qui illud infortunium tum temporis nequidem subolfaciunt. Alium stupendum exitum annotavi in homine, qui ante peripneumoniam pancratica sanitate fruebatur, & trigesimo secundo morbi die ad patres migravit; cujus *exenteratum cadaver* pulmonem dextrum plane absumptum exhibebat; sincerum nempe pus & inodorum, vel lactis æmulum, integram pulmonis sedem occupabat, exigua hujusce visceris parte superstite. Alias reperiuntur pulmones inflammati, scirrhosi, absessum recondentes, putridi & pleuræ annexi, quæ ut plurimum crassior & purulenta conspicitur. Quibus addere licet hepar purulentum, ulcerosum, &c.

Pus circa viscera fluctuans nonnunquam resorberi, & una cum sanguine, circulationis lege, ad renes, vel sentinam intestinalem amandari jam supra innuimus: apud omnes in confesso manet, hæc præclara munia obire solas œconomiæ animalis vires; quibus tamen obsecundare cauto *laxantium*, *diureticorum*, imo & *sudorificorum* usu nil vetat. Sed futilibus hisce tentaminibus nusquam immorandum, si morbus in propatulo se sistat: tum enim nil non movendum, ut stagnans pus incunctanter ope phlebotomi, vel cannulæ acuminatæ, quam vocant *troicart*; aut topici cujusdam escharotici subtrahatur. Plures fausto beavit eventu hæc *paracentesis* tempestive celebrata, priusquam scilicet stagnans pus certam stragem ediderit; alias ægros, fatiscentibus viribus, in orci fauces præcipites trahit hæc evacuatio. Haud citra subitaneæ necis periculum exhauritur pus majori copia intra pectus aggestum, quod tutius per vices educitur. Si hac arte eductum tabum, sincerum, album & optimæ notæ se præbeat, nonnulla emergit salutis spes: ubi vero fœtidum & lutulentum occurrit, ad tibicines mittere licet. Post hanc peractam evacuationem, injectionibus vulnerariis & detergentibus inhærendum; nec posthabenda cætera præsidia, de quibus satis superque dum de phthisi.

HYDROPS PECTORIS, ET PERICARDII.

FRequentiorem esse hunc affectum obscurum & ambiguum, quam arbitratur Medicorum vulgus, docent *cadaverum sectiones*. Non secus ac empyema *difficile innotescit* hydrops pectoris: nec facilius ab invicem distinguuntur prædicti morbi; qui etiam pro asthmate ab incautis pertractantur: quid hinc emergat omnibus obvium fit. Serum in cavo pectoris stagnans, raro pericardio parcit; nec ab hac colluvie immunia sunt mediastinum,

num, pleura & ipsimet pulmones, qui folliculos aqua turgidos recondere queunt. Tarde incedit hydrops pectoris & pericardii; ni a morbo inflammatorio ortum trahat. Ascitem sæpius post se trahit hydrops pectoris; & uterque morbus ut plurimum ab anasarca soboleſcit.

A signorum syndrome aquam in pectore stagnare conjicere licet; sed atra caligine sæpius obvolvitur hæc *diagnosis*. Rite tamen perpensis signis a solertioribus traditis expiscari potest hujusce morbi indoles. Hunc scilicet prænuntiare solent crurum vel scroti intumescentia œdematosa, dyspnœa levis cum tussicula sicca vix advertenda; deinde prodeunt sputa glutinosa; vireſque nonnihil deficiunt cum levibus anxietatibus. Præsentem indicant respiratio frequens & difficilis, cum pinnarum nasi manifesta expansione; quæ difficultas magis urget in situ horizontali; qua scilicet anxie decumbunt ægrotantes; sæpiusque ineunte somno molestæ expergiscuntur. Plures cubitum ituri imminentis suffocationis metu torquentur; nec nisi inviti, haud exutis vestibus, ad lectum se conferunt; e quo sæpius cum impetu prosiliunt. Alii non nisi in sedili somnum capere queunt; nec desunt, qui noctes plane insomnes ducunt, licet inexpugnabili dormiendi, necessitate premantur, ni sedentes proni pulvinariis incumbant. Omnes fere siti, tussi nunc sicca, nunc humida, vel cum sputo catarrhali laborant, & de dolore quodam obscuro & gravativo circa diaphragma, cartilaginemque xiphoidem conqueruntur, qui nonnunquam ad scapulas & brachia pertingit. Interea pulsus contractus, inæqualis & intermittens exploratur: alias exsurgit febris lenta, exacerbationibus nocturnis & rigoribus inordinate recurrentibus stipata, tussis in dies crebrior & molestior evadit; ac erumpunt, jam provecto morbo, sputa cruenta; non secus ac in peripneumonia: quandoque tamen evenit, ut tussis & sputa plane deficiant. Præter œdema crurum & scroti; pectus externum & brachia simili modo afficiuntur: tumet facies, & in fastigium attollitur abdomen. His accedunt cordis palpitationes, lipothymiæ, sudores nocturni, lumborum dolor, oris fœtor, lotium paucum & crassum, demum atro-rubens, cum furfuraceo vel lateritio sedimento, &c. plures subito & sine agone extinguuntur. Sed *infida* omnia hæc *signa*, quæ alias in nonnullis plane desunt, ni a quadam corporis motione aqua fluctuans in pectore ab ægris percipiatur, vel ab adstantibus audiatur; quo solo indicio, sub empyemate, raro occurrente, morbus de quo in præsentiarum, in propatulum venit. Hydrope pectoris, vel empyemate affectos in latus sanum ægre decumbere, jam supra notavimus; sed sæpius contrarium evenire observatione clinica & *autopsia anatomica* suffulti asserere minime dubitamus.

Hinc colligitur, intricatissimam esse hydropis pectoris *diagnosim*; nec clarius patet colluvies serosa in solo pericardio nidulans; quin potius cognitu longe difficilior, deficiente fluctuatione, evadit: tanta enim caligine obruitur *hydrops pericardii*, plerumque cachexiæ pituitosæ, vel scorbuticæ soboles, ut de hoc etiam peritiores plane cæcutiant; quem haud rarum esse, liquet e *cadaverum sectionibus*. Hoc tamen nomine non insigniri debet hæc parca aquæ copia, quæ in omnibus fere cadaveribus intra prædictum cordis involucrum colligitur, cum a partibus in sese concidentibus post mortem exprimatur, vel productum mere morbosum præbeat. Sed hæc sola pericardii, a collecto seroso latice, intumescentia, quæ inter rimanda corpora primo conspectu obvia fit, hoc nomen sortiri debet. Jam prolatis indiciis addere licet faciei colorem plumbeum, viriumque languorem, pulsum obscurum cum frigore artuum marmoreo; lipothymias frequentes, cordis palpitationes, sitim, febrem lentam, difficilem decubitum in latus dextrum, &c. Præter hæc signa aliud recenseri potest, pulsus nempe tardissimus, quem se in simili casu observasse tradidit Diembroeckius: unum enim inter plures vidi, appetitu & viribus rite se habentibus, cui arteria vicies tantum intra horæ minutum micabat; qui inter majorem salutis spem e vivis sublatus, & *cultro anatomico* subjectus, pericardium in immensam molem a colluvie serosa assurgens ex-

exhibuit: ſed ut verum fatear, non in omnibus, ſed in nonnullis duntaxat hoc annotavi phænomenum. Adde quod in pluribus hydrope pericardii laborantibus, pulſus deprehendatur intermittens; adeo ut nonnunquam deficiant quatuor vel ſex pulſationes: haud raro etiam exploratur durus, inæqualis & convulſivus. De hydrope mediaſtini & pleuræ, prædictis cognato, nec dignotu faciliore nil addimus, ne repetitam crambem apponamus.

Aſthma, phthiſis, cordis palpitationes, aliique viſcerum thoracicorum affectus hydropem pectoris ſæpius accerſunt; quem etiam *promovent* ſcrophulæ, ſcorbutus, lues venerea, &c. Huicque obnoxii ſunt litterati vitæ ſedentariæ plus æquo indulgentes, debiles, valetudinarii & cachectici. Summe *periculoſum*, ac fere indomabilem eſſe hydropem pectoris nemo neſcit: plures tamen hoc morbo correpti, vitam ad plures annos protelant; nec deſunt, ſi conjicere liceat, vel variis hiſtoriis ſit fides, qui ab hydrope pectoris evaſerunt: nil tamen certi de hac re adduci poteſt; cum ſola cadaverum ſectione nitide pateat hic affectus. Nonnulla igitur ſanitatis ſpes affulget, ubi haud gravioribus ſtipatur ſymptomatibus prædictus affectus; accedentibus vero febre acuta, anheloſa, & anxioſa reſpirandi difficultate, ſputis cruentis, lipothymia crebro recurrente, &c. mors præ foribus imminet.

Numeroſiſſimæ de hac re proſtant *obſervationes anatomicæ*; quibus infertur pulmones ob aquæ copiam plus minuſve contractos, raro illibatos occurrere: ſcirrhoſi enim, calloſi, tuberculis mole variis obſiti, hydatidibus, receptaculiſve mere aqueis ſcatentes deprehenduntur; vel purulentia, putredine & gangræna defœdantur; præcipue poſt peripneumoniam, phthiſim, alioſque pulmonum affectus; qui, uti jam innuimus, hydropem pectoris ſæpius poſt ſe trahunt. Pleura inſuper craſſiſſima, & ad cartilaginis duritiem accedens nonnunquam occurrit. Thymus ſcirrhoſus, calloſus vel mole ampliſſimus, nunc putredine confectus conſpicitur. Latex in uno vel altero pectoris latere, vel in utroque ſtagnans, limpidus, ſpumoſus & inodorus; ſubcæruleus, flavus, mucoſis telis conſpurcatus, ſanioſus, purulentus, lutulentus & fœtidus oculis ſubjicitur. Rarius obſervatur hydrops cyſticus, mediaſtini ſcilicet, pleuræ, &c. Ad hanc ſpeciem referri debet hydrops lacteus, a diſrupto ductu thoracico oriundus, quem nonnulli annotarunt: ſed haud infrequens eſt colluvies pericardii, nunc mere aquea, nunc ſanioſa & purulenta. Cor in aqua, ſuo involucro coercita, fluitans; mole ampliſſimum, ulceratione eroſum deprehenditur: ejuſque valvulæ, præſertim ſemilunares, oſſeam, lapideamve duritiem ſæpius referunt. Eaſdem ferme læſiones cernere licet in viſceribus abdominalibus, hepate ſcilicet, liene, pancreate, ſtomacho, &c. circa quæ fluitat ſimilis diluvies: quibus addere licet concretiones lapideas in veſica fellea ſæpius latitantes. E quibus bene perſpectis luce clarius patet, cur pauci huncce morbum eluctentur.

Hydropem pectoris pro aſthmate ſæpius ab incautis haberi jam ſupra notavimus; hinc minime mirum, ſi hunc venæ ſectionibus perperam aggrediantur; quibus ſcilicet fatum acceleratur. Hydropem pectoris *curandi modus* haud differt a methodo in colluviei ſeroſæ conſpectu generali jam tradita, quæ verſatur circa *cathartica*, roborantia & aperientia; ac præſertim diuretica. Nullus ambigendi locus, quin nonnullis optime ceſſerint purgantia per alvum; ſed conſtat quoque, plures ab inopportuno horumce medicaminum uſu in maraſmum lethalem incidiſſe: hinc caute explorari debent horum vires, ne vitio vertantur. Inter uſitatiora recenſentur rheum, jalapium, diacrydium, elaterium, pulvis de tribus, aquila alba, ſyrupus de rhamno cathartico, &c. Parum profuiſſe gummi guttam in hac hydropis ſpecie multiplici experientia conſtat.

Superfluum ſerum foras tutius elutriatur *aperientibus* & *diureticis*, quæ circulationis lege cuncta permeando, materiam morboſam una cum lotio, ad renum incernicula devehunt. Cæteris congeneribus ſane præſtat ſcilla, vinum & oxymel, quæ ex hac parantur. Suas laudes merentur bryonia, aſelli, crocus & ſal martis; tartarus chalybeatus, ſal ta-

mariſci, &c. quibus addere juvat baccas juniperi, caſſiam ligneam, aliaque tonica, quæ aperientium & diureticorum vires ſæpius egregie æmulantur. Sibi par forte non habet kermes minerale, quod naturæ conaminibus obſecundando nunc catharſim, nunc diureſim vel diaphoreſim movet: præclaram in hocce caſu prædicti pulveris, refracta doſi exhibiti, efficaciam pluries expertus novi. Quod attinet ad depurantia, ſudorifica, &c. quæ ſæpius fauſte uſurpantur, hydropi pectoris ſymptomaticæ duntaxat congruere videntur; vel potius primario morbo e quo ſobolevit. Bechica vero & expectorantia pro re nata proficua & inter mera palliativa referenda conſulto prætermittimus.

Inertia, ut verum fateamur, in pleriſque ſunt hæc *præſidia*, ni latex morboſus arte chirurgica, omnibus ſub hoc caſu decantata, ſed raro inſtituta, non ſecus ac in empyemate, prius evacuetur: ſublata enim aqua pulmones obruente ſuam actionem felicius exerere valent prædicta medicamina: neminemque eruditum latet, plures ægros ad incitas redactos, ex orci faucibus, utroque præſidio, ereptos fuiſſe. Experientia teſte, decem vel duodecim aquæ libræ, citra maximum virium diſpendium, *paracenteſi* educi queunt: ſed tutius ſane eſt hanc evacuationem per vices moliri. Haud reticendum, quod hoc curandi ritu ſæpiſſime defraudentur ægri, quorum morbus in obſcuris latet: minime ſane mirum, ſi raro celebretur paracenteſis adverſus morbum, quem ſola ut plurimum ſuſpicione aſſequi licet; ita ſane intricata, ut quid certi concludi nequeat; donec evidentioribus ſignis ſe prodente morbo, ſit cogitandum de exequiis. Præterea infeliciſſima ſæpius fuiſſe id genus tentamina ſatis ſuperque notum manet. Præcluſis tamen omnibus aliis medendi viis, nec reluctantibus ægris, aliquid fortunæ committere haud nefas. Poſt hanc peractam operationem ope cannulæ cuſpidatæ, ſerum denuo colligi ſolet; unde fit, ut pluries haud citra ægrotantium damnum iterari debeat: hinc ſatius eſt vulnus phlebotomo inflictum hians ſervare, ut præcaveatur ſtagnatio; & æger metu novæ punctionis non torqueatur. Quibuſdam demum profuerunt veſicantia, cauteria & ſetacea: aliis arridet crurum tumidorum & ſcroti ſcarificationes aut inuſtiones: ſed haud citra gangrænæ periculum adhiberi illud poſtremum auxilium ſupra monuimus; quod infortunium præcaveri poſſe ſaturato corticis peruviani fomento notaſſe juvat.

CORDIS PALPITATIO.

AB *obſcuris*, *ad abſtruſiora* pergimus, dum cordis affectus adumbrandos ſuſcipimus: pauca enim de hac re eruuntur ex eruditorum adverſariis, ſi tamen excipias clariſſimi SENACI opus elaboratiſſimum, comptiorique calamo expolitum: nullis enim parcens laboribus peritiſſimus Auctor, inter abditos naturæ humanæ receſſus luſtrando, multa ſane notatu digna e ſectis cadaveribus deprompta, aliaque innumera ad artem clinicam ſpectantia, libro nuperrime recuſo, dilucide tradidit, quæ vel contracta recenſere vetat anguſtior pagina, nec ſinit propoſitum. Quapropter de tribus duntaxat vulgatioribus cordis affectibus, totidem diſtinctis articulis, coincidentibus cum aliis forte omnibus hujuſce organi læſionibus verba facere expedit, ne præfixos limites exceſſiſſe criminemur.

Palam ſane *proſilit cordis palpitatio*; cum tactu, viſu & auditu percipi valeat; ſed ægre diſtinguitur *eſſentialis* a *ſymptomatica*: nec dilucidius innoteſcit genuina palpitationis *cauſa*. In ſpaſmodica tamen hujuſce viſceris contractione, qua thalamorum latera inani niſu cruoris expulſionem moliuntur, credere par eſt. Palpitationem dolore nonnunquam ſtipatam, qua cor verſus coſtas diverſa vi arietat, eſſe convulſionis conſortem, exinde patet, quod ab ejus vehementia non ſolum vox & reſpiratio lædantur; ſed etiam coſtæ a ſua ſede dimoveantur, vel frangantur. Pulſus, *procedente morbo*, contractus, inæqualis, intermittens exploratur, adeo ut minime conſonet cordis motioni: ingruit vertigo, cum viſus obtenebratione. Flatulentia torquentur ægri, & de quadam in parte affecta vellicatione conqueruntur, &c. Syncopem nonnunquam prænuntiat cor-

cordis palpitatio; vel asthmati convulsivo, pectoris hydropi, leucophlegmatiæ, &c. sociatur. Alterius est indolis *cordis tremor*, quem pro palpitatione perperam habent imperiti; licet ab hac apprime distinguatur pulsu debili, viribus fatiscentibus, lipothymiis, sudore frigido, aliisque mortis præconibus.

Natales ducit cordis palpitatio ab aortæ angustia, vel aneurismate; ab ingenti cordis mole; a pericardii absessu, aliove vitio organico; ut de commentitiis polypis silеamus. Promovetur a plethora, vel a consuetorum sanguinis profluviorum suffl aminatione; ab eruptionum cutanearum repulsione, annosorumque ulcerum coalitu; soboleſcit a variis stomachi morbis, a diversæ sortis febribus, &c. Hanc postremo accersunt insolens gaudium, iracundia, timor, terror, sollicitudines, aliaque animi pathemata graviora: ut silеamus de nonnullis odoramentis, de immodicis exercitationibus, &c. quæ etiam hanc promovere queunt. Ad cordis palpitationem proclives sunt cachectici, hypochondriaci, scorbutici & arthritici; huic obnoxiæ sunt hystericæ & chloroticæ: sæpius demum invadit valetudinarios, helluones, in otio recumbentes, &c.

Periculi expers est cordis palpitatio a causa accidentali & fugaci procedens, nec semper ominosa censetur symptomatica, dummodo morbo indomabili minime submittatur: sanitatis demum spes affulget, si a nervorum læsione generali progerminetur; vel a consensu partium, qui inter frequentiores morborum causas jure numeratur. Secus vero evenit, si a vitio cordis organico prodeat; quod suspicari licet, ubi palpitatio crebrius recurrit, vel continuo ægrum conflictat. Quo læsionis genere inter palpitationem afficiatur præcipuum circuitus sanguinis organum meris conjecturis assequi licet: nec hilum proficerent clinici, etiam notissima morbi indole, cum nullam ferme curationem admittat hæc labes organica; uti ex infra dicendis luce clarius patebit.

Secta cadavera cor multifariam labefactatum exhibent: phlogosi nempe & purulentia correptum, vel adipe obrutum conspicitur: passim in ipso occurrunt tubercula; ejusque ambitus haud raro exulceratione defædatur. Insuper stupendam quandoque molem assequitur prædictum viscus; cujus thalami, auriculæ & appensa vasa ultra modum alias dilatantur. Binæ majores arteriæ cum coronariis, osseam duritiem sæpius referunt; nec ab hoc vitio immunes sunt valvulæ, tum auriculares, tum arteriosæ; quæ alias tuberculis asperæ, vel lapideæ visendæ se præbent; invicem annexæ, absumptæ, &c. detegitur sarcoma cordi adnatum. Concrescunt corpora lapidea, tum juxta cordis ostia, tum in ipsismet ventriculis & pericardio; in quibus etiam vermes nonnunquam latitare traditur. Conspiciuntur venæ coronariæ præter solitum ampliatæ & varicosæ. Flatum, serum, colluviem sanioſam vel purulentam recondit pericardium; quod alias pinguedine obrutum, carnosum, cartilagineum, osseum, tumore exasperatum, & cordi accretum conspicitur. In nonnullis plane desideratur hæc capsula. Visenda se præbent aortæ ejusque propaginum aneurismata; nec parcit arteriæ pulmonari illud vitium. In propatulo denique fiunt costæ a genuina sede depulsæ vel fractæ; ingens hepatis, lienis & pancreatis moles: ut de hydrope pectoris, variisque tum pulmonum, tum viscerum abdominalium læsionibus, quæ parum ad nostram rem pertinet, conticeamus: quibus addere licet, nonnunquam omnia sana reperiri tum in thorace, tum in abdomine: sub quo casu causam morbi in ipsismet nervis latitare haud falso injicitur.

Inducias agunt *venæ sectiones* in vehementioribus cordis palpitationibus a quavis causa oriundis; nec inutiles censeri debent in idiopathicis; licet impares sint superando morboso obici: sed haud citra periculum adhiberi queunt, ubi vires deficiunt; mortemque inferunt in tremore cordis. Fauste præcipiuntur cathartica; si sordibus scateant primæ viæ, caputque gravetur: caute tamen sunt usurpanda, vel mitiora seligantur, ne hoc stimulo irritentur crabrones. Mira præstant diluentia & refrigerantia; largus scilicet aquæ simplicissimæ potus, aquæ minerales acidulæ & martiales, nonnullæque thermales, serum lactis vel ipsum-

met

met lac, &c. His sæpius proficue sociantur aperientia, quorum usitatoria sunt crocus martis, tartarus martialis, & sal tartari, aselli, sapones, &c. Sed præcipuus curationis cardo versatur in congruo regimine: plus enim, sub hoc rerum statu, victus rationi, quam pharmaciæ tribuendum esse nemo non intelligit.

Suas laudes merentur præcipue *adversus cordis tremorem* stomachica & amara; fumaria nempe, aristolochia rotunda, rheum, cortex peruvianus, cariophylli, cinnamomum, elixirium proprietatis, &c. Pluris etiam habentur absorbentia, ubi colluviei acidæ nonnulla occurrunt indicia. Nocentissima vero sunt narcotica; sed haud vetantur alterius sortis sedantia; nitrum nempe, pulvis temperans, liquor anodynus mineralis, sal sedativum, &c. Morbum compescere solent antispasdomica, camphora nimirum, castoreum, succinum, flores benzoini, aqua florum aurantiorum & tiliæ, melissophylli, &c. sed raro hunc profligant. Pluribus demum opitulantur enemata purgantia & carminantia; fotus emollientes, semicupia, pediluvia, hirudines vasis hæmorrhoidalibus admotæ; camphora sacculo excepta, & regioni cordis admovenda, &c. Mantissæ instar addere lubet, inanem operam ludere hæc omnia auxilia, ni morbi primarii habeatur ratio, in qua versari præcipuum curationis momentum cuivis obvium fit.

OPPRESSIO CARDIACA.

ANimi pathemata vehementiora tum grata, tum tristia hunc morbum vulgatissimum, de quo tamen altum apud Auctores silentium, post se trahunt: sub variis gradibus se profert hæc cordis læsio, quæ nunc versatur circa levem, & quasi sepultam graviditatis sensationem in regione cordis, magis sua pertinacitate, quam molestia ingratum; de qua, ob apprime notam causam, parum curant ægri; etsi mente & stomacho tantisper laborant; & identidem anxietate, vel angore in præcordiis conflictantur. Alias hic loci gravius molestantur; & de quadam sarcina cor premente, atque ad suspiria cogente, queruntur. Hæc ingrata ponderis quasi prementis sensatio *coudoun* audit apud Accitanos & Gallo-Provinciales; nomine ducto a malo cydonio, quod cordis molem & formam sat accurate exprimit. Aliter se res habet, ubi hic morbus ratione gravioris causæ vehementior ingruit, & ad summum acuminis gradum pervenit; sub quo, veluti a constricto pectore, ægre exercetur respiratio; & ominosa inter ejulatus & querulum anhelitum concitantur symptomata: obscure audiunt & intelligunt, tanquam aphoni jacentes; vel nonnulla verba effutiunt. Nonnulli convulsiones, tremores, vel cordis & musculorum palpitationes patiuntur; ob spirituum quasi torpescentium ataxiam, vel totius systematis nervosi spasmum. Morbo ad hunc gradum provecto, nil calamitosius excogitari potest: adeo ut plures, sub hac rerum conditione, in syncopem spasmodicam delabantur; vel primo insultu repentina morte obripiantur; quo superato, haud nisi post summos & tædiosos labores, lethum effugiunt senescentes & valetudinarii; qui sæpius intempestiva dein medicatione in vitæ periculum denuo adducuntur. Major affulget salutis spes erga juvenes, qui etsi primo morbi incessu velut morituri jacebant, brevi tamen incolumes evadunt.

Jure sane quidem dicitur *oppressio cardiaca* hic affectus, quo obruuntur cordis vires, quod etsi genuina sedes morbi, haud tamen primario afficitur; cum nullumsit dubium, quin a prius affecto sensorio communi in consensum trahatur cor; non secus ac respirationis organa, & ipsemet ventriculus, qui tum suis obeundis muniis impar evadit. Ponderis & constrictionis spasmodicæ sensatio in regione cordis præcipuum hujusce ægrotationis symptoma audit; adeo ut manum vel incogitantes admoveant plerique ægrotantes; etiam sensibus quasi orbati, vel tanquam apoplectici jacentes; vix tamen immutatis pulsu & colore faciei, uti nonnunquam observasse mihi contigit. Equidem facile intelligitur, unde in gravioribus animi perturbationibus cerebrum primo morbi impetu tactum, brevi cor in consensum trahat; non secus ac pericardium, diaphra-

phrama, os superius ventriculi; viciniores que partes, notissima sympathia ejusdem sortis participes. Hinc patet, cur ab ira & timore æque ac a summo gaudio afficiantur præcordia, & cor quodam torpore corripiatur, vel suffocanti palpitatione teneatur: neminem enim fugit, nonnullos summo terrore, vel sinistro & inexpectato nuncio perculsos, subito corruisse, vel morte repentina raptos fuisse.

Ad hoc ægritudinis genus procliviores censeri debent systematis nervosi morbosa, congenitave debilitate; vel nimia, ut inquiunt, sensibilitate donati; meticulosi scilicet & pusillanimes, melancholici & hypochondriaci; qui demum sui anxii, perenni cujuscumque eventus formidine premuntur: hinc intelligitur, cur mulieres, & præsertim hystericæ, huic ægritudini sint obnoxiæ. Hoc e contra infortunium eluctantur apathici & impavidi, vel a vehementioribus animi pathematibus plane soluti. Certis cancellis coercitum hoc malum periculi expers est; sed si ad supremum gradum provehatur, cum prava & prævia viscerum dispositione, feralem habere potest exitum, vel subito enecare: alias, superato primæ & procellosæ invasionis impetu, collectis viribus ad vivorum numerum revocantur ægri; lassitudine dein, totiusque corporis torpore & ignavia, vel memoriæ debilitate aliquandiu laborantes, præsertim, uti supra innuimus, in provectiori ætate.

Curatio, naturæ viribus submissa, paucis peragitur: ideo caveant polypharmaci, ne intempestivis remediis ægrotantium res in deteriora ruant. Exulare debent venæ sectiones, quæ sub hoc primo rerum statu pro exitialibus, nemine, ni fallor, refragante, habentur. Nec minus pertimescenda emetica & cathartica, quæ plus damni, quam emolumenti inferre solent: sola enim cunctatione evincitur in plerisque hic affectus, qui ideo progressu temporis cicuratur, & sensim evanescit, vel nonnullas ægritudines, plus minusve contumaces post se trahit; præsertim in senescentibus & valetudinariis. Interea naribus admoventur antispasmodica fortiora, acetum nempe acerrimum, aqua melissæ composita; spiritus salis ammoniaci; sal anglicanum, oleum succini, &c. Confert largus aquæ potus, quantum licet a faucibus, quæ haud raro constrictione spasmodica tentantur: valent aqua florum aurantiorum, guttæ anglicæ, aqua dicta *de luce*, vel spiritus salis ammoniaci succinatus. Omni ope enitendum, ut alvus enematibus emollientibus, & catharticis solvatur; quibus frustra adhibitis addere juvat vinum emeticum turbidum. Nec inutilem opem præstant frictiones in artubus, tum superioribus, tum inferioribus, celebratæ; ut de variis aliis adminiculis, quæ pro re nata adhiberi queunt, sileamus.

Quod ad *morbi reliquias* attinet, capitis nempe gravitatem, memoriæ debilitatem, oculorum obnubilationem, stuporem partium, spirandi difficultatem, præcordiorum angustiam, cordis tremorem vel palpitationem, alioſve affectus spasmodicos, pluribus a primo insultu elapsis diebus, solitis & notissimis præsidiis impugnantur: nimirum venæ sectionibus, hirudinibus, vesicatoriis & cucurbitulis; laxantibus & catharticis; diluentibus, antispasmodicis, &c. Nihil denique non movendum, ut omnem mœrorem & tristitiam excutiant ægri; ut sedulo amoveatur quidquid mentem in violentos impetus præcipitem agere potest. Sapientibus e contra monitis, blandis adhortationibus vel gratis confabulationibus, in meliorem spem erigantur: severis cogitationibus, vel intempestivis meditationibus nusquam indulgeant. Quidquid demum morbum fovere potest, viriliter arceant; & mentem, quantum finit rerum conditio, ad hilaritatem componant.

SYNCOPE, VEL ANIMI DELIQUIUM.

NEmo nescit, cardialgiam, debilitatem, faciei pallorem, visus obnubilationem, tinnitum aurium, sensus & motus primo obscurationem, denique omnimodam feriationem, frigiditatem, &c. esse vulgatissima syncopes *indicia*. Sed alia sunt, quibus differt ab apoplexia & affinibus, in quibus sensus & motus

etiam

etiam abolentur; nec deficiunt alia signa, quæ versantur circa observatum pulsus & respirationis rhythmum. Etenim in syncope, cordis & thoracis motus plane deficere videntur; adeo ut ægri animam egisse videantur, & sola membrorum flexibilitate a mortuis plane discrepent. Sed hic est ultimus syncopes gradus, quorum levior, sub quo sensationes non plane abolentur, *lipothymiæ* nomine insignitur; & apud nostrates audit *defaillance*, aut *evanouissement*. Signis prolatis, totidem prodromorum instar, sæpius prænuntiatur syncope; alias illico ingruit. Brevi ut plurimum fugatur hic affectus, vel sponte desinit; nonnunquam tamen ad plures horas, imo & diem integrum protelatur: e quibus longioribus insultibus nonnisi defessi, & quasi ab immani labore fracti evadunt ægri, qui processu temporis pristinæ sanitati restituuntur.

Immodicum sanguinis, alteriusve laticis profluvium, non secus ac cujuscumque liquidi majori copia in cavo pectoris & abdominis aggesti evacuatio syncopem accersere solet. Hanc etiam *promovent* virium ab alimentorum penuria exsolutio: idemque impendet infortunium, si vires ab ingluvie obruantur; vel ab ardentioribus amplexibus cupidinis exhauriantur: nec desunt exempla variorum utriusque sexus inter coitum extinctorum. Contrahitur a vehementiore animi pathemate, terrore nempe, ira, mœrore, &c. non secus ac a cadaveris, serpentis, muris, alteriusve objecti invisi conspectu: eumdem effectum exerunt nonnulli odores, musci nempe, ambræ, rosarum, jasmini, &c. Concitatur a simplici venæ sectione, aliove sanguinis profluvio; a quovis dolore acutissimo, a narcoticis, venenis, vermibus, &c. Huic morbo obnoxii sunt debiles & valetudinarii; cachectici, hypochondriaci & hystericæ, arthritici, plethorici, &c. Syncope demum febres haud raro antecedit, atque inter variorum morborum ominosa symptomata numeratur. Qui sine causa manifesta animo liquuntur, inquit Hippocrates, hi derepente moriuntur: verissimum esse illud effatum satis superque testatur experientia: hoc præsertim imminet infortunium, si æger sit senio confectus; si crebro recurrat prædictus morbus; ejusque insultus diutius producantur: sed ubi causam fugacem agnoscit, periculo vacat.

Incisis hoc morbo interemptis, in apricum venit pericardium cordis ambitui agglutinatum, adipe obrutum; aqua, sanguine vel pure, huc collectis turgens, diversimode labefactatum, vel plane absumptum. Cor mole maximum, phlogosi & purulentia tactum; ulcusculis externis, ad auriculas haud raro pertingentibus, exesum; ultra modum, cum suis appendicibus, dilatatum conspicitur: passim in eodem viscere reperiuntur tumores, & pustulæ diversæ sortis. Valvulæ & arteriæ, tum majores, tum coronariæ, osseam duritiem nonnunquam contrahunt. In plerisque patent venæ cerebri flatu turgidæ, præsertim post numerosiores venæ sectiones, vel immodica cruoris profluvia. Supervacaneum foret hic mentionem subjicere de variis cerebri & meningum læsionibus, de pulmonum, pleuræ, mediastini & diaphragmatis phlogosi & purulentia, de hydrope pectoris, de pravarum digestionum reliquiis; variisque stomachi, hepatis, lienis, pancreatis, mesenterii, uteri, ovariorum, &c. læsionibus: sed non absre erit nonnulla per transennam in medium adducere de *commentitiis illis polypis*, ab Auctorum turba celebratis, qui nil aliud sunt, quam concretiones sanguineo-lymphaticæ, quæ interstitia columnarum replentes, totidem radicibus cordis substantiæ implantari videntur.

Rei specie decepti sunt, qui de polypo cordis scripserunt: hæc enim concretio sanguinea trabibus & columnulis cordis alligata, primo intuitu refert substantiam carneam variis radicibus instructam; quæ accuratiori examini subjecta concretionem mere sanguineam prodit, nil discrepantem ab illa crusta subalbicante, sanguini venæ sectione educto innatanti: hæc substantia cruore levior, corii instar firma & tenax, quæ *coena* apud nostrates audit, sanguine refrigerato concrescit in corde, non secus ac in patella. Si *polypi* nomine intelligatur sarcosis e cordis contextu prodiens, non secus ac narium polypi e membrana pituitaria exsurgunt, talem nusquam observari in corde asserere nulli dubitamus.

Mi-

Mirum sane foret inter tot millia cadaverum, quæ per triginta annos in nosocomiis secanda curavi, ne unum quidem polypum se visendum præbuisse: quem tot Medici, qui, tanquam canis e Nilo, nonnullis dissectionibus per vitæ curriculum interfuerunt, pluries se compertos fuisse somniarunt. Sed ab hoc crassissimo errore vindicantur solertiores, quibus lubuit huncce sanguinem compactum, vel contextum fibrosum, primo intuitu, referentem, concretionis polyposæ nomine salutare. Absit tamen, ut pro causa syncopes vel mortis subitaneæ habeantur prædictæ concretiones; quæ potius inter, vel post obitum, efformari videntur. Hinc intelligitur, cur vulgatissimæ occurrant, tum post morbos acutos, tum post chronicos: non secus ac cum sanguis venæ sectione eductus, ratione peculiaris indolis in coagulum densum & subalbicans facessit; sic post obitum, vel deficientibus motu & calore concrescit in suis receptaculis prædictus latex.

Nemo non novit, *præsidia extemporanea* adversus syncopem adhiberi solita: ad locum scilicet apricum feruntur ægri, & in situ horizontali collocantur; ac quocumque modo agitantur & vellicantur: facies aqua frigida inspergitur: avelluntur pili: ori inditur frustum salis cibarii: liquores fragrantiores; acetum nempe, aqua Reginæ Hungariæ, vel melissæ composita; spiritus salis ammoniaci sincerus vel succinatus, &c. naribus & temporibus admoventur; summamque opem conferre queunt sternutatoria. Panis tostus vino irroratus, & aromaticis conspersus, scrobiculo cordis, volæ manuum & plantæ pedum imponitur: refrigerata extrema linteis calidis obvolvuntur; frictiones cum pannis asperis celebrantur, &c. Intus exhibentur libera deglutitione cardiaca & cephalica; vinum nempe generosum, aqua cinnamomi, imperialis & theriacalis, aliaque id genus innumera, quibus cordis vires refocillantur; & ejus motus perennatur: alias cum cautela ori instillantur, ne glottidem, haud sine ægrorum periculo, subeant. Nec omnibus tamen congruunt prædicta stimulantia interna: vetantur enim, si incusetur hæmorrhagia, quæ horum adminiculo foveri potest. Suam opem etiam conferunt enemata acriora, cucurbitulæ scarificatæ, vesicatoria, &c. sed tardiora hæc præsidia raro usurpari posse adversus morbum brevissimum facile intelligitur.

Quod ad *venæ sectionem*, quæ incassum sæpius tentatur, spectat, non solum raro conducit inter paroxysmum, sed sæpius noxam infert; præsertim ubi ingestorum copia gravatur stomachus. Opportune vero extra paroxysmum sæpius celebratur, & inter *auxilia prophylactica* jure numeratur. Sed tutius forte præcavetur hic morbus cauto emeticorum & catharticorum usu: præter quam quod eo sit collimandum, ut alvus servetur libera; ne primæ viæ, cor in consensum sæpissime trahentes, pravis digestionum reliquiis lacessantur. Haud in alium scopum proficue sæpius adhibentur absorbentia, stomachica & amara, quæ hujusce saburræ genesi adversantur; nec despicienda sunt roborantia & martialia, quæ cordis & vasorum vires adaugendo, sanguinis stasim præcavent. Sed hæc omnia forte antecellunt congrua victus ratio, hilaritas, gratæ exercitationes, &c. Nec licet supra laudata remedia indiscriminatim adhibere; cum delectu opus sit, prius habita ratione morbi causæ, uti nemo non intelligit.

Haud abs re erit nonnulla, parergi loco, addere circa *mortem repentinam*, quæ apoplexiæ, catarrho suffocanti, & syncopi vulgo referri solet; licet diversi alii sint morbi, & innumeræ causæ, quæ hominem præter exspectationem celerrime rapiant: quod fatum sæpius opportunis remediis præcaveri & averti posse, dummodo innotescant prodromi & causæ, ultra omne dubium manet. Variis enim historiis constat, plures pro subito interemptis habitos, imo & sepultos, arte vel sponte evasisse. Adeo ut incerta sint mortis indicia, ni corpus jam putrescere & fœtere incipiat; vel infigatur ferrum candens plantæ pedum, nulla excitata sensatione. E conspectu etiam oculorum, qui post obitum suo nitore plane defraudantur, erui possunt latentis vitæ signa. Alias admoveri potest vesicatorium cantharidibus saturatum, quod in cadaveribus ne minimum effectum edit. Inter causas mortis subitaneæ frequentiores recensentur victus opi-

mus, & lautior; temulentia, plethora, obesitas & inedia; vita deses & otiosa; arthritis anomala; consuetorum sanguinis profluviorum suppressio; eruptionum chronicarum retrocessus; veterum emunctoriorum exsiccatio; graviora animi pathemata; castra veneris; insolatio & frigus intensissimum; fumus carbonum, mephitis, aliæque suffocationis causæ, de quibus supra; ardui labores, conatus virium vehementiores, contusiones, casus ab alto, &c. Ex hinc prodeunt innumeræ læsiones, quas sistit autpsia anatomica, nunc in capite nunc in thorace, alias in abdomine. Equidem vasorum sanguineorum cerebrum irrorantium dilaceratio a quacumque causa interna vel externa, frequentiorem mortis subitaneæ causam præbet: huc coincidit apoplexia fortis sanguinea; sub qua comprimitur cerebrum ab effuso sanguine intra ventriculos, aliisque hujusce visceris recessus; vel in propriam substantiam, quæ ab irruente hoc latice excavatur. Rarius hunc effectum exerit colluvies serosa vel purulenta.

Crebrius sane deprehenditur *mortis subitaneæ causa* in pectore, ab ingenti scilicet mole, vel dilaceratione vasorum sanguineorum. Alterutrum scilicet pectoris cavum sanguine congrumato plenum reperitur a disrupto aneurismate aortæ, alteriusve arteriæ: bronchia nonnunquam sanguine obruuntur. Vasa etiam prius inculpata; aorta nempe, vena cava, azygos, &c. inter vehementiorem nisum, disruptionem patiuntur; similique ratione inexspectatum lethum accersunt. Similis animadvertitur cruoris stagnatio a fissis auriculis; vel a dilacerato ipsomet corde, ob quemcumque obicem, qui egressui sanguinis obstabat; nec hujusce disruptionis immune est ipsummet septum cordis medium. Sæpius occurrit pericardium sanguine tum ex arteriis, tum e venis prorupto mire distentum, quo brevi extinguitur cordis motus. Eumdem effectum, sed rarius, exerit hydrocardia; non secus ac ingens cordis moles a retento & concreto sanguine; vel ab adipis copia, qua quasi obruitur. Annotantur abscessus & sarcomata e cordis vel auricularum ambitu erumpentia; pericardium crassissimum, tuberculosum, & pure absumptum; cordis valvulæ cartilagineæ, osseæ, vel lapideæ. Mirari profecto subit, aortam laminis vel bracteis osseis munitam, disruptioni & erosioni magis obnoxiam esse, nulla conspicua dilatatione. Pluries observata fuit cordis erosio ab ulcere; quo perforatum hoc viscus sanguinem elabi sinit. Insuper statim corruunt, quibus impeditur & sufflaminatur respiratio a constricta vel obturata glottide, non secus ac ab uberiori sanguinis vel puris proventu ad bronchia. Suffocationem etiam inexspectatam accersit subita irruptio ingestorum in cavum pectoris, ob dilacerationem stomachi, & diaphragmatis putriditate tactorum. Postremo inter causas mortis subitaneæ numerari queunt sanguis stupenda copia effusus in cavum ventriculi, cum liene subputri; hoc viscus fissum & disruptum; hepar ingens & abscessum recondens; aneurismatis abdominalis disruptio; majorumque vasorum dilaceratio; ventriculi, tubique intestinalis perforatio, portentosa horumce viscerum distensio, gangræna, &c. quibus proximæ mortis auguria desumuntur. His addere licet hæmorrhagiam enormem a quavis parte externa erumpentem; ut de variis aliis causis, omnibus notissimis, sileamus.

SINGULTUS.

E Morborum albo expungitur singultus vulgatissimus & fugax: sed aliter se res habet de diuturno & chronico, qui nonnullos ægros in vitæ discrimen trahit. *Sub variis gradibus se profert* hic affectus; qui tanta ferocia quandoque ingruit, ut totum corpus concutiatur, & costæ diffringi videantur; atque ægri suffocationis periculum incurrant. Haud raro periodice invadit; licet nil certi statui possit de ejus reditu: nec magis constat de ejus stadio, quod nunc nonnullis diebus vel mensibus continetur; nunc ad plures annos; imo & triginta protelatur. Helluones & potatores ad huncce morbum fugacem & diuturnum *pronos* esse neminem latet; qui etiam familiaris est infantibus, hypochondriacis & hystericis. Hunc alterutrius sortis promovent solitarum evacuationum suppressio, arthritis anomala, efflorescentiarum cutanearum

rum retroceſſus : *progignitur* a primarum viarum ſaburra ; vermibus ; ab emetico-catharticorum ſtimulo, a venenis, a cartilaginis xiphoideæ prolapſu, a luxatione coſtarum, a premente quocumque tumore, &c. Singultum poſtremo comitem habent febres acutæ, phlogoſes internæ, ileus, cholera, dyſenteria, hæmorrhagia, &c. ſub quibus pro periculoſiori ſymptomate haberi neminem fugit.

Ab exarata *cadaverum hiſtoria* colligitur, inter innumeras pectoris læſiones, pulmones phlogoſi tactos, vel purulentia conſpurcatos ſæpius reperiri. Obvius fit ſtomachus bile vel ſordida colluvie ſcatens, maculis gangrænoſis ſignatus, ſcirrhoſus, inflammatus & ultra modum dilatatus; cujus nervi nonnunquam a tumore vicinioribus partibus hærente premuntur; in quibuſdam denique a ſede depulſus. Hepar occurrit mole ampliſſimum, vel inflammatione correptum, æque ac inteſtina, renes, veſica, aliave abdominis viſcera. Omentum ſcirrhoſum, craſſiſſimum; ventriculumque verſus inferiora detrahens, peritonæo adglutinatum deprehenditur. Paſſim demum annotantur putredines, gangrænæ, aliæque ſtrages; ut de cartilagine xiphoide a genuina ſede dimota, de vulneribus, &c. ſileamus.

A bene perſpectis antecedentibus, & rite extricatis cauſis, ſuam quiſque *curandi methodum* condere debet, quæ ſolum ſingultum chronicum reſpicit. Nullum eſt dubium, quin ſæpiſſime conducat venæ ſectio: ſed magis proficue adhiberi ſolent *emetico-cathartica*, & enemata his cognata. Expeditis primis viis, egregiam opem præſtant diluentia & demulcentia; largus ſcilicet aquæ ſimpliciſſimæ potus, infuſum the, ſerum lactis, decoctum oryzæ, oleum amygdalarum dulcium, emulſiones vulgatiſſimæ, &c. quibus præmiſſis ad abſorbentia & ſtomachica deveniendum; corallum nempe & lapillos cancrorum fluviatilium; ad mentham, aniſum, anethum, corticem peruvianum, catechu, diaſcordium, theriacam, &c. Pluribus proſunt aperientia; radices nempe notiſſimæ, rheum, aſelli, martialia, acetum ſcilliticum, &c. Præclarum ſæpius effectum edunt antiſpaſmodica; crocus nempe, caſtoreum, ſuccinum, aqua florum aurantiorum, &c. Nec poſthabenda ſunt hypnotica & paregorica; laudanum nempe & diacodium; liquor anodynus mineralis, &c. Curationem poſtremo ſæpius abſolvunt lac, ſudorifica, aquæ Forgienſes, Paſſienſes, Vallenſes, Bellilucanæ, aliæque minerales. Suas laudes etiam merentur *remedia externa*; inter quæ auxilium præſtant balnea; ſed pluris habentur fotus, vel epithemata e mentha, ſalvia, ruta, abſinthio, caryophyllis, camphora, theriaca, aliiſque conſimilibus parata; panis calidus linteo obvolutus, &c. Nec deſpicienda ſunt linimenta cum axungia humana, urſina, &c. Nonnullis demum profuerunt cucurbitulæ regioni epigaſtricæ, vel dorſo admotæ.

Futilis eſt hic remediorum apparatus *ad ſingultum accidentalem*, qui vel ſponte deſinit, vel hauſtu aquæ ſimpliciſſimæ fugatur: cohibetur etiam ab aliquandiu retardata reſpiratione, ab attenta cogitatione, a quocumque inopinato eventu, &c. Pertinacior eſſe ſolet *ſingultus ſymptomaticus*, cui occurrendum remediis ſupra traditis; inter quæ uſitatiora & efficaciora aqua pulli, ſerum lactis, vel emulſiones, oleum amygdalarum dulcium; corallum, cæteraque abſorbentia terrea; cortex peruvianus, caſtoreum & diaſcordium; liquor anodynus mineralis, ſyrupus de papavere albo, aliudve hypnoticum. Proficue etiam uſurpantur epithemata emollientia, vel roborantia, cucurbitulæ, aliaque topica, de quibus ſupra.

SECTIO IV.

DE MORBIS INTERNIS ABDOMINIS.

PRAVA DIGESTIO.

HOc præcipue ad praxim ſeſe accingentibus incumbit munus, ut ſcilicet ſtomachi, qui jure pro innumerorum morborum fomite habetur, vires & functiones apprime caleant; alias ejus læſionum, caput, aliaſve partes impetentium, genuinam indolem nuſquam aſſequi valent. Non ſecus ac hominum vultus, etſi iiſdem partibus conſtant, ab invicem in infinitum diſcrepant: ſic in ſingulis individuis diverſa occurrunt digeſtionis & chylificationis organa; adeo ut quiſque peculiari, ab aliis plane abſimili, gaudeat ſtomacho; cujus temperies accurato ſtudio eſſet perpendenda, ut exhinc emergeret dilucidior pathologia. Sed de hac ſaluberrima ſcientia parum curaſſe videntur Auctores; quos non puduit putidæ litterarum oſtentationi inhærere, vel ætatem in condendis futiliſſimis hypotheſibus conterere. Hinc minime mirum, ſi inter abſtruſiora naturæ humanæ phænomena adhuc numerentur *genuinæ digeſtionum leges*; & in cimmeriis plerumque lateat tenebris innumerorum morborum has reſpicientium typus; infauſtaque ſit curandi methodus.

Experientia quotidiana, vel tralatitia, ultra omne dubium conſtat, cuique ſtomacho congruere certam alimentorum quantitatem, ultra quam ejus pervertuntur munia. Nonnullis enim prodeſt parca alimonia; dum alii victum liberalius ſumptum optime ferunt. Pluribus conducunt obambulationes, aliæve corporis exercitationes poſt paſtum: nonnulli vero ingeſta haud rite concoquunt, niſi in quiete, vel inter dormiendum. Aqua egregium edulium diſſolvens præbet potiori hominum parti: haud deſunt tamen, quibus vinum, liquoreſque ardentes emolumento ſunt. Hauſtus caffe, chocolatæ, &c. quibuſdam prodeſt; cæteris nocet. Lac ſaluberrimum, vel lethiferum alimentum ſuppeditat. Idem ferme eſto judicium de fructibus & leguminibus; de oleo & butyro; de quadrupedum, avium & aquatilium carne, &c. quæ in diverſis ſubjectis contrarios effectus edere ſolent. Ut nil addamus de ſtupendis *idioſyncraſiæ* vel *antipathiæ* phænomenis, qua fit, ut plures a lacte, caſeo, vino &c. abhorreant; alii anguillas, teſtacea, peculiares fructus, quædam legumina, &c. averſentur; quod ab affecto ſyſtemate nervoſo pendere videtur, vel peculiari ſpirituum animalium, in appetitus, famis, digeſtionis & chylificationis opere præcipuam ſymbolam conferentium vitio. Equidem famelicus etiam ſaniſſimus a conſpectu cujuſdam rei ſordidæ nauſeat, & appetitum plane amittit: quidam notante BOERHAAVIO, ſecunda gaudens valetudine vix poterat famem ferre: ingreſſus diverſorium pedem offendit, talum diſtorquet, & corruit: ipſo momento deletur appetitus, a cibis abhorret & nauſeat. Circa odores etiam verſari antipathiam, mulieribus familiariſſimam, nemo neſcit. Quibuſdam eſt infenſiſſimus odor muſci, roſarum, jaſmini, aliarumve materiarum ſuave olentium. Plures etiam averſantur conſpectum aranearum, muris, felis, ſerpentis, &c. Huc etiam coincidit virginum & mulierum appetitus depravatus: ſed in immenſum creſceret pagina, ſi omnia *digeſtionum phænomena* vel adumbrare ſuſciperemus; nec e re noſtra fore putavimus: ideo ſolertioribus lampada tradimus.

Ubi ſtomachi functiones, alio modo quam a natura conſtitutum eſt, exercentur, digeſtiones perverti evidens eſt: hinc emergit *ſaburra ventriculum laceſſens*, quæ variorum morborum fomitem præbet. Pravarum digeſtionum reliquiæ cibi faſtidio, ore ſordido, ructibus inquinatis, cardialgia, nauſea & vomitu, vertigine tenebricoſa, dyſpnœa, &c. ſe produnt: ſed nil aliud exhibent prædicta indicia, præter productum morbi cujuſdam organici

nici ægre dignoſcendi, vel atra caligine immerſi. *Diverſæ* eſt *indolis* hæc *ſaburra ſtomachica*; *acida* nempe occurrit, vel *amara mucoſa*, vel *putprida:* hanc igitur ſub totidem ægritudinis ſpeciebus examini ſubjicere conſultius fore judicavimus. 1. Ructus acidi, ſtomachus morſu affectus, ejuſque ardor & inflatio, in nonnullis voracitas ad famem caninam accidens; dolor capitis gravativus, tuſſis, ſingultus, alvus ſicca & teneſmus, ingeſtorum *aceſcentiæ notas* exhibent: & ex hoc putredinis genere emergunt cruditates, ut inquiunt, acidæ; e quibus, præſertim in lactantibus, graviores exſurgunt affectus. Melancholici & hypochondriaci ob copioſum in primis viis acidum plus appetunt & ingerunt, quam ipſis eſt utile: hinc exacerbantur morbi ſymptomata & morbus inſanabilior evadit. 2. *Oris amaritiem* lingua arida, cardialgia, æſtus interaneorum, vomitus materierum luteovirentium, alvi fluxus, fames inexplebilis, &c. *bilis regurgitationem*, vel materierum in ventriculo latitantium amaritiem produnt; quæ materies nonnunquam æruginoſæ pelves argenteas, quibus excipiuntur, maculis vix delendis infeſtant: hinc minime mirum, ſi ventriculum laceſſendo cardialgias moleſtiſſimas inferant. Bilis porracea & eruginoſa, notante Boerhaavio, producit cibi faſtidium, anxietates, ſingultum, cardialgiam, vomitum, flatulentiam, tormina, fluxum dyſentericum, acutos morbos, febres & convulſiones: magis eſt pertimeſcenda, ſi in atram faceſſat, quæ nunc ſapore acerrimi aceti, nunc putrefacti cruoris, urit & rodit; hinc dolores atrociſſimos, inflammationes & gangrænas parit. 3. Os glutinoſo humore inquinatum, ſaliva viſcida, appetitus proſtratus, flatulentia, eructationes, quæ poſt plures horas a paſtu, deglutitorum odorem & ſaporem referunt; vomitus & dejectiones materierum mucoſarum, lienteria, &c. arguunt primas vias *muco copioſiori* obliniri, qui horumce organorum ſenſationem obtundit, & alimentorum elaborationi officit. 4. Os ſordidum, quaſi ab ovo incubato, ructuſque ejuſdem indolis; ſtomachi gravitas, anxietates, flatulentia, vomitus grave olentes, dejectionum fœtor inſolitus & alvus ſoluta, *putredinis mere alkalinæ* notas præbent, & cruditates, ut inquiunt, nidoroſas patefaciunt. *Inappetentia* has omnes ſtomachi læſiones concomitari ſolet; quæ etiam mœrorem, capitis torporem, lipothymias, hypochondriorum inflationem, &c. ſæpius poſt ſe trahunt.

Ingluvies, vel inſolita ingeſtorum copia, ſtomacho alias bene ſe habente, *pravam digeſtionem*, minus vero pertimeſcendam parit: ſed ſtomachi vires crapula obruuntur, ſi præceſſerint prædicta digeſtionum vitia. Omnibus innoteſcunt nimia repletionis ſigna, torpor nempe, vel ſegnities corporis paulo poſt paſtum, vel nonnullis elapſis horis; capitis dolor gravativus; mens ſolito tardior; inſomnia turbulenta, vel nimia ad ſomnum propenſio; nauſeæ demum & flatulentia. Solutam vivendi normam excipiunt interaneorum dolores, ad tormina ſæpius accedentes, appetitus dejectio, anxietates, ſtomachi inflatio, ructus acidi vel nidoroſi, ſingultus, vomitus, alvi fluxus, crepitus olidi, &c. gravioribuſque nonnunquam ſymptomatibus ſtipatur hic ſtomaci ſtatus a victu præter ſolitum pleniori; ſopore nempe, affectu comatoſo & delirio. Ab eadem cauſa haud raro excandeſcit febris, qua ſæpius maximo ægrotantium damno decipiuntur incauti.

Apud omnes in confeſſo manet, ſtudia intenſa, attentaſque alterius ſortis cogitationes, alimentorum primæ elaborationi officere: ab accurata enim ſtomachi *autopſia anatomica*, haud falſo colligitur, materiam quacumque a cerebro ad illud organum appellere, ut ejus functiones rite peragantur: hinc minime mirum, ſi a ſufflaminato, ad alios etiam uſus comparato hoc ſpirituoſo latice, ſuis viribus orbatus ventriculus, rite *coquendis ingeſtis impar* omnino evadat. Languent ejuſdem viſceris functiones a debilitate generali, & a provecta ætate; ac præſertim a majore ſanguinis vel ſeminis profluvio; vel ſpirituum diſpendio in his, qui poſt paſtum labori & ſtudio indulgent; nec melius ſe habet ventriculus inter mœrorem, aliave animi pathemata. Nec rite perficiuntur ventriculi munia, ſi

ſaliva

saliva a nativa indole deflectat, & cibi haud debito tritu in ore subigantur. Pervertuntur demum a vitio quodam organico tum ventriculi, tum aliorum viscerum digestioni alimentorum famulantium. Putredini acidæ *obnoxii* censentur hypochondriaci æque ac hystericæ: digestiones vero melancholicorum, phlegmaticorum, scorbuticorum, & pronorum ad insultus catarrhales, ad mucosas vergunt. Bilioſi & iracundi a laticis fellei excandescentia, vel majori proventu torquentur. Valetudinariis & debilibus, non secus ac carneis dapibus plus æquo indulgentibus, familiares sunt cruditates nidorosæ.

Nusquam *periculo* vacant, a quacumque causa ortum ducant, *pravæ digestiones*: ex hoc enim fonte, tanquam e Pandoræ pyxide, innumeri & graviores prodeunt morbi, tum acuti, tum chronici; inter quos frequentiores numerantur febris intermittens, arthritis, nephritis, obstructiones, alvi fluxus, &c. Pro comperto manet apud peritos, quod a primarum viarum acescentia emergat potior affectuum chronicorum pars. Constat, quod a succis amaris & putridis exsurgant vertigines, quæ apoplexiam minantur; febres acutæ pejoris notæ: haud tamen in hacce putriditate versatur *febris*, ut inquiunt, *putridæ* typus; sed ab horum succorum depravatorum ad massam sanguineam accessu hanc febris speciem progerminari credere par est.

Prava digestio ab eduliorum copia, vel ingluvie, sub diversos gradus se profert; quorum nonnulli haud inanem *metum incutiunt*, cum sæpius ad ultimam rerum lineam ducant; præsertim si affectum comatosum, ab apoplexia vix absimilem, infligant. Majus portendit periculum, si *temulentiæ* societur, ni primæ viæ vomitu & alvi fluxu sese exonerent. Periculosæ est aleæ *inappetentia* in infantia & senectute, post morbos graviores, sub alvi fluxu chronico, &c. Notavit Baglivius ingentem appetitum post diuturnum cibi fastidium, in morbis chronicis, lethalem esse; sed huic opinioni nonnunquam refragatur experientia. Nemo nescit, quod a coagulo lactis in stomacho horrenda suboriantur symptomata.

Patet e *viscerum intuitu* inculpatum sæpius stomachum a viciniorum labe in consensum trahi; nec forte ex alio fonte prodeunt variæ sordes, de quibus supra. Haud raro tamen ultra modum dilatatus, vel contractus reperitur; in quibusdam adipe quasi obruitur: in aliis materia purulenta, vel flatibus turget. Exiliores, nullisque rugis exasperatæ nonnunquam patent ejus tunicæ; quæ alias succo atro obliniuntur, vel crusta crassa & glutinosa succinguntur. Præter lapides diversæ sortis in ejus cavo repertas, occurrunt prominentiæ callosæ vel scirrhosæ, tuberculæ variæ molis, &c. Quandoque ulceribus, putredine & gangræna defœdatur stomachus, qui iisdem causis perforatur, & multifariam hiulcus proximiora viscera coinquinat. Nonnunquam demum a propria sede dimovetur illud organum & ab hærente in herniis omento versus inferiora, vel infra umbilicum trahitur. Sed frequentiores sunt, uti supra innuimus, ambientum viscerum læsiones: hepar enim scirrhosum, colorem subalbicantem vel plumbeum referens, stomacho accretum, molem ineffabilem, qua ad pelvim usque nonnunquam depellitur, exhibens; emaciatum & deforme, tuberculis obsitum, hydatidibus refertum, absessus recondens, ulcere depastum, putridum, gangrænosum, &c. deprehenditur. Lien exiguus, corrugatus & callosus sæpissime conspicitur; alias corruptus, pultaceus, vel plane absumptus observatur. Patent intestina flatibus ultra modum distenta, mutuo connexa, necrosi correpta, lacera, &c. Infarctum denique scirrhosum, suppurationem, putredinem, aliamve labem cernere licet in pancreate, omento, mesenterio, renibus, utero, &c.

Hinc jure infertur, stomachum, ferendis alimentis imparem, raro idiopathice affici; sed sæpius ab aliorum viscerum abdominalium labe, vel strage in consensum trahi; hinc patet, quam difficile sit congruam *curandi methodum* assequi, ad quam variis tentaminibus viam sibi parare nil vetat. Omnibus sane innotescunt modi, quibus occurritur diversæ primarum viarum saburræ; sed cum atra sæpius caligine obruatur ejus prosapia, mini-

minime mirum, si tot incassuma dhibeantur remedia. Haud dubitare licet, quin in hisce angustiis urgentiori sit occurendum; sordes scilicet cujuscumque sortis in stomacho nidulantes, foras incunctanter, congruo emetico-catharticorum usu, elutriando: nec minus patet, quantum conferat exquisitissima victus ratio. Quoad cætera præsidia, ea sunt eligenda, quæ bene perspectam primarum viarum colluviem subigere queunt; quæ experientia duce, sigillatim tradere expedit. 1. *Ad cruditatem acidam*, præmissis præmittendis, egregie conferunt diluentia simpliciora, vel ipsamet aqua. Specifice agunt absorbentia, lapilli nempe cancrorum fluviatilium, corallum, creta, &c. Conducunt amara, inter quæ usitatiora audiunt cortex peruvianus, gentiana, aloe, elixirium STOUGTON, &c. Juvant roborantia; rheum nempe, & extractum juniperi, elixirium proprietatis & garusi, martialia, &c. Nec inutilem opem præstant plantæ antiscorbuticæ, quæ non solum peculiari vi stomachi acescentiam oppugnant; sed etiam ad sanguinem appellentia, hujusce laticis contractam labem emendare queunt. Vetantur sub hisce circumstantiis fructus crudi, vinum, aliique liquores fermentati; farinacea & saccharata; lac & jura carnium, quæ mora & calore brevi acescunt. Num experientia, vel hypothesi ductus celeberrimus BOERHAAVIUS vinum & aquam vitæ suis ægris concederet, solertioribus examinandum relinquimus.

Alia expostulat *auxilia colluvies amara*, inter quæ primatum sane obtinent evacuantia emetica vel cathartica; circa quæ notare juvat, oris amarorem, haud semper oriri a nidulante colluvie biliosa in stomacho; cum sæpius a sola saliva inquinata ortum ducat, sub quo casu nihil proficiunt cathartica: sed summam opem conferunt vomitoria, inter quorum actionem bilis e suis receptaculis exprimitur, & pleno gurgite irruit ad stomachum, e quo foras per os amandatur. Nec leve juvamen præstant in utroque casu diluentia; imo & sæpius conducit vinum, quod saburram biliosam, aquam respuentem, felicius diluit & solvit. Quibus præmissis rarissime fallunt aquæ minerales frigidæ, Vallenses nempe, Passienses, Forgienses, Spadanæ, &c. Sed hanc saburram amaram expeditius subigere queunt medicamenta acida, tum vegetabilia, tum mineralia; in quorum censum veniunt syrupus limonum, vel granatorum; spiritus sulphuris & vitrioli, aliaque consimilia.

Quod *ad materiam mucosam* attinet, haud præcipienda sunt evacuantia, ni prius debito diluentium potu fluiditas ipsi concilietur: alias stomachus muco obductus remediorum stimulo obsurdesceret. Quibus præmissis, ad aquas Thermales, Plumberianas nempe, Bellilucanas, Vicienses, Vervonenses, &c. quibus proficue sociantur cathartica, devenire juvat. Interea pro votis succedere solent diversæ sortis stomachica, tum aromatica, ceu mentha & salvia; cortex citri & aurantiorum, cyperus, calamus aromaticus, zedoaria, cinnamomum, nux moschata, piper, caryophylli, &c. tum roborantia, uti malum cydonium, myrobalani, rheum, catechu, nux condita, vinum Cypreum, Hispanicum, aliudve generosum; martialia, &c. tum amara, absinthium nempe & centaurium minus; gentiana, cortex peruvianus, aloe, &c. tum officinalia e prædictorum miscella conflata, opiata nimirum Salomonis, mithridatium, theriaca, &c. Monendi demum hac colluviei specie conflictati, ut probe stomachi regionem cooperiant.

Emesi & catharsi etiam impugnantur *cruditates nidorosæ*: cæterum ab instituta diæta e terræ frugibus parata auspicatur *curatio*. Quibus peractis in usum sunt vocanda refrigerantia acida, quibus præstat hic gratissimus potus, quam *limonadam* vocant: prosunt quoque tamarindi, cydoniata & id genus alia. Nonnunquam etiam pro re nata contraria juvant; cortex nempe peruvianus, gentiana, absinthium, aliaque amara; non secus ac aromatica, mentha scilicet, abrotanum, &c. Suas demum meretur laudes rheum, sub hoc casu usitatissimum: nec inertes censeri debent aquæ minerales, tum calidæ, tum frigidæ, quæ præsertim visceribus digestioni alimentorum famulantibus succurrere valent.

E prolatis intelligitur, cur *cibi faſtidium*, omnium fere harumce morboſarum ſtomachi diſpoſitionum familiare pediſſequum, diverſam pro multiplicium cauſarum conſpectu *curandi methodum* expoſtulet. Nemo ſane quidem neſcit, quod quædam alimenta vel remedia appetitum in hoc promovent, & in illo proſternunt: hinc fit, ut experti clinici, ſuis præjudicatis opinionibus minime addicti, ægrorum votis ſæpius indulgeant; imo & ex illo fonte plura eruunt, quæ morbi indolem, antea occultam, prodere queunt. Pluries enim vidiſſe memini, poſt incaſſum exhauſta prioris notæ remedia, appetitum reſtitutum a cepa, allio & nucibus; ab acetariis, ab echinis marinis, a carnibus & piſcibus muria conditis, aliiſque id genus expetitis; ſed in morborum curatione plane obſoletis.

Supereſt, priuſquam manum e tabula amoveamus, ut de modo medendi *pravis crapulæ effectibus* breviter agamus; e quibus ſane, prævia & vigente quavis morboſa ſtomachi diſpoſitione, graviora vel lethalia emergere queunt ſymptomata; quorum curatio plerumque abſolvitur aquæ pro omni alimonia largo potu; vel alvi ſolutione ſpontanea, vel enematum beneficio concitata. Venæ ſectionem in hoc caſu periculoſam eſſe nemo neſcit; quare fit, ut, niſi urgente neceſſitate, nuſquam ante elapſas a paſtu viginti quatuor horas adhibeatur. Ab hacce norma nonnunquam tamen deflectere licet, ubi in ſtatu plethorico vehementior ſævit febris, cum ſomnolentia, delirio, aliove ominoſo ſymptomate. Sed cavendum, ne impeditæ cerebri functiones, quæ huic cauſæ ſubmittuntur, pro genuina apoplexia habeantur; quem errorem capite luunt plerique ægrotantes. Præſentaneam opem ferunt cathartica & emetica, quæ tutius morbi fomitem foras eliminant: cum cautela tamen ſunt præſcribenda, ne fatiſcentibus viribus vitio vertantur. Ultra omne dubium poſitum manet, ſordes primarum viarum nervos laceſſere, & truculenta excitare ſymptomata, donec foras eliminentur; hinc anxietates, cephalalgiæ, deliria, ſoporoſi affectus, &c. quibus catharticorum præſidio occurritur. His peractis nonnunquam conducunt amara vel acida, imo & roborantia: abſit tamen, ut imperitorum, vel nebulonum exemplo diutius quam par eſt proteletur curatio. Si demum *temulentia* eduliorum ingluviei ſocietur, opportune exhibetur largus hauſtus the, vel ſuccus limonum aqua copioſiori & ſaccharo temperatus: ſed in urgentiori caſu ad venæ ſectionem & emetica, cum ſupra laudatis cautelis, confugere licet.

VOMITUS.

HAud abs re erit per tranſennam annotaſſe vomitum a vi contractili & ſpaſmodica ventriculi promoveri, non vero a diaphragmatis & muſculorum abdominis ſimultanea actione, ubi tradidit alias celeberrimus CHIRAC; cui aſſenſum inconſulto præbuerunt omnes, ni fallor, Scholæ Medicæ: circa quod phænomenum vide Acta Regiæ Academiæ Scientiarum Pariſienſis anni 1752. Ventriculum exquiſitiſſimo ſenſu donari e bene perſpectis craſſioribus nervorum propaginibus, quæ ejus contextum adeunt, abunde patet: hinc minime mirum, ſi a quavis vellicatione convellatur; vel ſpontaneo naturæ niſu laceſſentes materias, duplici fibrarum lacertoſarum ſerie inſtructus, foras abigat. *Vomitus*, ut ad propoſitum revertamur, quem præit nauſea, vel os anxioſum, cum copioſa ſalivæ excretione, *concitatur* a pravis eduliis, vel majori copia ingeſtis, a vino liberalius ſumpto, a medicamentis ſtimulantibus, & venenis; atque a variis ſordibus in ſtomacho nidulantibus. Suboritur a ventriculi inflammatione, exulceratione, ſcirrho, alteriuſve ſortis labe organica: quibus addere licet herniam epiploicam, quæ ſtomachum adducendo, ejus inconditum motum ſolvere ſolet. Sed familiarior eſt *vomitus ſympathicus*, vel per conſenſum; a morbis ſcilicet capitis, lienis, renum, &c. ſoboleſcens: nullum enim eſt dubium, quin hemicrania, capitis contuſio, ebrietas a vino, tabaco, fumo carbonum, aliave cauſa, hepatitis, nephritis, &c. vomitum accerſant: neminem latet, vomitum moveri pharyngis vellicatione, ope digiti vel plumæ: ſed occultantur innumeræ aliæ cauſæ, ni ab *extiſpiciis* cadaverum innoteſcant. Apprime norunt

runt Practici *vomitum symptomaticum*, vel *criticum*, in morbis acutis, in variis colicæ speciebus, &c. nec expertos fugit hunc sæpius concitari a retrocessu materiæ arthriticæ, ischiadicæ, vel rheumaticæ, a suffl aminata perspiratione, a suppressis mensibus, urina, aliove fluxu. Conspectum postremo rerum aversarum, insolitam navigii jactationem erga inassuetos, vel maris impatientes, currus vectio erga retrorsum sedentes; casus ab alto, &c. eundem effectum edere nemo nescit.

Ad vomitum *proni* censentur infantes, helluones, & potatores; hypocondriaci & scorbutici, cachectici & valetudinarii: huic obnoxiæ sunt virgines chloroticæ, mulieresque utero gerentes. Vomitus, febrium intermittentium instar, & præsertim quartanæ, nonnunquam periodice recurrit. Plures quidem, vegeta alias sanitate gaudentes, quotidie matutinis horis, materiam ut plurimum mucosam vomituriunt. Alii hanc evacuationem patiuntur singulis hebdomadibus, mensibus, &c. nonnulli demum post pastum stomachum exonerare solent.

Vomitu deturbari quidquid in stomacho & intestinis continetur, ingesta nempe, bilis, succus pancreaticus, mucus gastricus & intestinalis, vermes, lapides, sanguis, pus, &c. nemo nescit: ut quosdam vomitus, a publico rerum ordine alienos, quorum historiæ fabulas sapiunt, silentio prætermittamus: bufones enim, lacertos, serpentes, talpas, catellos, mures, &c. in stomacho viventia latitasse, credat Judæus Apella. Proficuus est vomitus ab ingestorum copia concitatus: ac perutilis est bilis, vel materiæ mucosæ evacuatio. Sed majorem *incutit metum* colluviei nigræ & putridæ, sanioſæ vel purulentæ ejectio. Vomitio chronica, nulla accedente causa manifesta, ab stomachi, vicinarumque partium vitio organico pendere; hinc exitium portendere haud falso conjicitur. Vomitus in principio morborum acutorum non solum *periculo* vacat; sed conducibilis censetur. Aliter se res habet sub aliis morbi temporibus, cum sit ut plurimum symptomaticus: si demum, inter morbi gravioris periculum singultu stipetur vomitus, præceps exitium affert.

Constat e *sectis cadaveribus* raro occurrere pravam stomachi conformationem; hoc vero viscus, nonnunquam mole portentosum, sæpius e sede sua depellitur, cum a propria hernia diaphragmatis scilicet repagulum, vel musculorum abdominalium obicem solvens, quod tamen raro contingit, tum ab hernia epiploica, vel ab alia causa. Scirrhosus in multis deprehenditur ventriculus: sed huic vitio magis obnoxium est ostium inferius, quod, præter obstructionem a nummo, aliove corpore extraneo, in nonnullis cartilagineum, vel osseum reperitur; nec hujusce labis immune est appensum duodenum: quandoque etiam visendus se præbet pylorus phlogosi correptus; sed raro ad purulentiam vergens. Insuper observatur ventriculus præter solitum contractus, occallescens, pustulis diversæ sortis obsitus; tumoribus anomalis, nonnunquam cancrosis, deformis; phlogosi, purulentia, exulceratione & gangræna tactus; dilaceratus, vulneribus confossus, &c. Hepar, inter cætera viscera abdominalia, frequentius defœdatur; inflammatum nempe, purulentum, scirrhosum vel steatomatosum, gangrænosum & putridum; diaphragmati, stomacho, aliisve partibus ambientibus accretum; aridum, durum & quasi elixum deprehenditur. Concretiones biliosas recondit vesicula fellea, quæ alias, non secus ac vasa choledocha, bilis copia turget: insolita nonnunquam comperitur insertio ductus communis; qui scilicet prope pylorum, vel in ipsomet ventriculo implantatur. Intestina ultra modum distenta, veluti a circumducto filo arcte constricta, extra abdomen depulsa, una cum epiploo; putrida & invicem accreta; vermium glomeramine, vel invaginationibus obstructa, disrupta, &c. cernuntur. Lien, pancreas, mesenterium, omentum & renes, mole portentosa, inflammata, purulenta, scirrhosa, putrida, &c. annotantur: quibus addere licet lithiasim renum, & ureterum. Deprehenduntur tumores diversæ sortis, stomachum tubumque intestinalem comprimentes, vel lacessentes. Obvius postremo fit cartilaginis xiphoidis prolapsus; ut de hydrope cystico, aliave colluvie, variisque capitis & pectoris læ-

ſionibus, quæ ſtomachum movere queunt, ſileamus.

Curatio vomitum duntaxat immanem, vel diuturnum, nulla præexiſtente cauſa organica immedicabili, reſpicit. Venæ ſectiones, nemine ſane diſcrepante, exulare debent. Nonnunquam conferunt emetica, & præſertim ipecacuanha: ſed cum grano ſalis admittendum illud effatum, quo fertur vomitum vomitu curari, cum haud omnibus congruat hic curandi ritus; quo, experientia teſte, crabrones ſæpius irritantur, & exaſperatur morbus; præcipue ſi a vitio organico foveatur. Proficiunt laxantia: ſed raro obicem morboſum ſuperare queunt: egregiam vero opem præſtant enemata ſtimulantia. Conferunt diluentia & refrigerantia; ſerum nempe lactis, ipſumve lac; juſcula pulli leviora; aqua ſimplex vel ſucco limonum, ſpiritu vitrioli & ſulphuris imprægnata, &c. Commendantur paregorica, nitroſa nempe, ſal de duobus, & liquor anodynus mineralis: nec vetantur narcotica, laudanum nempe, diacodium, pilulæ de cynogloſſo, &c. jure deprædicantur, præmiſſis præmittendis, ſtomachica roborantia & amara, mentha ſcilicet & ſalvia; abſinthium & centaurium minus; enula campana & rhabarbarum, roſæ rubræ & balauſtia, cydonia & cortex granatorum, maſtiche, balſamum peruvianum, extractum juniperi, theriaca, confectio de hyacintho, &c. Nec poſthabenda ſunt abſorbentia; creta nempe & lapilli cancrorum fluviatilium, cornu cervi præparatum, crocus martis, &c. Minime prætermittendum, vomitui febrium ſymptomatico egregie occurrere mixturam Riverianam, ſuccum nempe limonum cum ſale abſinthii, alterove ejuſdem naturæ fermentatum, qui in pleriſque, incantamenti inſtar, vomitum moleſtiſſimum compeſcit. Poſtremo curationem claudunt aquæ Forgienſes, Vallenſes, Paſſienſes, Borbonienſes & Anſelmienſes & Arcimbaldicæ, Bellilucanæ, Cauterienſes, Amandinæ, &c. quæ cuncta permeando ſtomachi, viſcerumque ambientium morbis organicis mederi queunt.

Neceſſum quandoque judicatur, ut ægrotantes lecto ſe contineant: alias gratis obambulationibus in aere aprico ſe exerceant. Sed ſemper prodeſt, quævis cauſa incuſetur, *victus tenuis* e gelatinis, cremoribus, ovis ſorbilibus, &c. depromptus. Aquæ ſimplicis, vel variis ſtirpibus imprægnatæ largus potus nonnullos juvat; alios offendit. Si demum *vomitus immanior ab emetico* largiori doſi, vel intempeſtive exhibito ſoboleſcat, largo aquæ, vel vitriolo imprægnatæ, potu ſedatur: acida vero vegetabilia contrarium effectum edere vulgo fertur; ſed refragatur experientia. Eamdem opem conferre valent demulcentia vulgatiora, ſedantia ſtomachica & abſorbentia: raro tamen in uſum trahuntur prædicta medicamina adverſus morbum, qui ſolo odore citri vel aceti ſæpius fugatur.

Præclara munia obire valent ſub debilitate ſtomachi *topica* diverſæ ſortis roborantia, & regioni epigaſtricæ admota; pulpa nempe cydoniorum, mentha, meliſſa, abſinthium, caryophylli, crocus; aqua Reginæ Hungariæ, acetum, theriaca, aliaque id genus, e quibus conficiuntur cataplaſmata, vel epithemata, quæ pluribus optime cedunt: ſed cæteris forte præſtat panis toſtus vino generoſo irroratus, aromaticis conſperſus, & ſcrobiculo cordis impoſitus. Fauſte etiam naribus admoventur acetum acerrimum, aqua Reginæ Hungariæ, aliave cognata; aurantia, limones, &c. arte demum chirurgica curatur cartilaginis xiphoidis prolapſus. Quod *ad vomitum ſymptomaticum* attinet, morbi primarii habendam eſſe rationem, nemo non intelligit: quo fit, ut ſæpius conferant aperientia, ſudorifica, hirudines podici admotæ, cauteria cruribus vel brachiis inuſta, &c.

VOMITUS CRUENTUS.

ÆGrorum relatu, vel affinitate morbi deceptos, hæmoptyſim pro vomitu cruento, quoſdam habuiſſe jam ſupra notavimus: accuratiori tamen examine, maximum patet inter utrumque morbum *diſcrimen*: ſanguis enim e pulmonibus erumpens ſincerus, rutilans & ſpumoſus obſervatur; qui e contra ex ſtomacho prodit, nigricans & diverſis materiebus immixtus conſpicitur: præterea hæmoptyſis

tuſſi

tussi stipatur, & hacce nota a vomitu cruento facile distinguitur. Alium in autopsia errorem caveant inexperti, qui haud rite distinguunt sanguinem nigrum & corruptum per vomitum excretum ab illa caligine biliosa, atro-viridi, ad acidum vergente, quæ atra bilis Veterum audit, a recentioribus, si excipias clarisf. Lorry inter Medicos Parisienses celeberrimum, inconsulto posthabita; quæ scilicet non solum per vomitum & per sedes se prodit, sed etiam urinas suo colore inficit; ut sæpissime observatur sub diathesi humorum melancholica. Morbum, de quo in præsentiarum, prænuntiare solent æstus, dolor gravativus stomachi, hypochondriorum inflatio, anxietates, quædam artuum inferiorum inquietudines noctu invadentes; cibi fastidium & nauseæ, quibus nonnunquam sociantur motus convulsivi, vel sudores frigidi a profiliente sanguine fugandi. Febrem raro comitem habet vomitus sanguinis; quin potius pulsus in plerisque exiguus est & contractus. Interea vultus colorem pallidum, vel plumbeum induit; vires deficiunt, accedunt anxietates, lipothymiæ, aliaque graviora *symptomata* in cæteris hæmorrhagiis observari solita. Major minorve est sanguinis, nunc floridi, nunc nigricantis & fœtidi proventus, qui etiam atramenti instar per sedes egeritur, præsertim ubi vasa mesenterica, non secus ac gastrica, hunc profundunt. Dolor varium situm obtinet, e quo bene perspecto, quænam sit *pars affecta*, num scilicet stomachus vel tubus intestinalis, lien vel pancreas, &c. lædantur, licet conjicere.

Plethora a suppressis profluviis sanguineis, præsertim in sequiori sexu, vomitum cruentum sæpius concitat: hunc *promovent* soluta vivendi norma, ciborum calidiorum, vel sale & aromatibus conditorum esus; emetica, purgantia drastica, & venena. Raro epidemice grassatur hic affectus; cui *obnoxii* censentur plethorici & cholerici, melancholici, hypochondriachi, & scorbutici. Dejectiones, sub hocce morbo, sanguine aterrimo plerumque inquinari notavimus; hinc fit, ut *morbi nigri titulo* insigniatur apud Veteres: sed hanc incongruam nomenclaturam hactenus obsoletam, quibusdam vero recentioribus plus æquo forte arridentem, admittere gravamur; ne ex hoc fonte prodeant errores misellis ægris lugendi. *Vomitus* sane quidem *cruentus* haud semper dejectionibus ejusdem naturæ stipatur: ac fæces alvinæ nigerrimæ sæpius conspiciuntur, nullo prævio vomitu. Unde liquet binos hosce affectus, plerumque revera implicitos, seorsim nonnunquam existere; cum horum universa sit sedes. Quibus addere licet, quod quandoque accidat, ut sanguis e naribus prodiens, inter dormiendum in situ supino, stomachum petat; unde fit, ut ventriculus partim vomitu sese exoneret, & partim sanguinem stagnantem versus inferiora elabi sinat; unde sedes nigerrimum colorem contrahunt: turpiter sane hallucinari, qui sub hocce casu morbum nigrum se pertractare somniant, nemini haud obvium.

Haud *ominosus* est vomitus cruentus, qui a suppressis mensibus & hæmorrhoidibus fovetur; dummodo tamen sanguis haud pleniori gurgite erumpat; cum a restitutis pristinis evacuationibus desinat. Exitium e contra portendit, si febre stipetur, vel symptomatis instar in morbo acuto se prodat; si sanguis niger & graveolens profundatur; si demum, post accuratum doloris sedis examen, a lienis, pancreatis, &c. vitio quodam organico pendere videatur. Vomitus sanguinis a liene manifeste tumido, qui post vomitum in sese concidit, periculosæ est aleæ. In quibusdam vero paululum cruoris foras per os amandatur, stomacho remanente turgido, vel ultra modum distento; unde emergunt lipothymiæ, syncope, aliaque graviora symptomata; ni sanguis corruptelam mora brevi induens, inferiora versus exitum sibi paret. His addere licet, quod hoc morbo semel correpti, ejus reditum cavere debeant.

Ab institutis *cadaverum sectionibus* patet stomachus cruentus, tumore quasi cancroso defœdatus, exulceratus, maculis gangrænodeis infestatus, vix citra dilacerationem pertractandus. Ostium inferius in nonnullis infarctum, & quasi obstructum oculis subjicitur. Deteguntur hujusce visceris venæ, lieni præsertim prospicientes, plus æquo turgidæ & varicosæ; ac simili

modo afficiuntur vasa intestinorum, quæ etiam flatu distenduntur: emaciata deprehenduntur omentum & mesenterium: tumens conspicitur lien, scirrhosus, cartilagineus vel putridus. Pancreas infarctum, induratum vel putridum reperitur. Hepar, sed rarius, simili ferme modo læditur, vesiculaque fellea bile turgida annotatur. Ut de aneurismate, aliisque vitiis taceamus, quæ passim occurrunt, tum in pectore, tum in abdomine, quæ a nostro proposito ferme aliena videntur.

Quiete & diæta tenuissima in ipsis quasi incunabulis sæpius præfocatur hic morbus: quod tamen non impedit, quominus *venæ sectio* opportune celebretur; ubi scilicet excretus sanguis rutilans & coccineus oculis subjicitur; vel post consueti sanguinis profluvii sufflaminationem: alias inutilem operam ludit; vel plane improbatur. Inter *remedia* usitatiora & magis proficua recenseri debent refrigerantia & temperantia; aqua scilicet succo limonum vel nitro imprægnata, syrupus aceti, vel de berberide; serum lactis; aqua pulli, orizæ & hordei; quibus addere licet infusa vel decocta e cichorio, agrimonia, pimpinella, acetosa, portulaca, &c. Conducunt vulneraria & adstringentia blandiora; urtica scilicet, consolida major, hedera terrestris, plantago, millefolium & herbæ vulnerariæ; malum cydonium, rheum, cathecu, corallum, balsamum peruvianum, copahu, &c. multis etiam optime cessit aqua gelidissima. Quoad adstringentia validiora, lapidem puta hæmatitem, sanguinem draconis, alumen, essentiam Rabel, spiritum vitrioli, aliaque consimilia, haud nisi urgentiori casu in usum trahi debent; cum noxam, imo & lethum sæpius inferant.

Caute etiam præscribi debent *hypnotica*, diacodium nempe, trochisci de karabe, &c. ne intempestiva vomitus cruenti sufflaminatione, sanguis moram trahens in primis viis corruptelam induat; & hinc truculentiora moveantur symptomata. Nec minus sunt pertimescenda *cathartica*; si excipias mitiora, cassiam nimirum, tamarindos, rheum & myrobalanos; quæ nonnunquam post cohibitum sanguinem usurpare licet; sed maximi est momenti, ut alvus aperta servetur. Exulare debent emetica: radicem duntaxat Brasilienſem refracta dosi exhibere nil vetat. Minime demum sunt posthabenda, vigente paroxysmo, *auxilia externa*, in omnibus ferme hæmorrhagiis adhiberi solita; nempe vincula artubus injecta, frictiones in cruribus celebratæ, manuum & pedum immersio in aquam frigidam vel tepidam; lintea calida imo ventri admota; fotus ex aceto vel oxycrato paratis, &c. Quod ad remedia *prophylactica* spectat, pluris habetur diæta refrigerans, lac nimirum pro omni alimonia, cremores hordei & oryzæ, &c. Conducunt præsertim venæ sectiones: conferunt laxantia: proficua nonnunquam audiunt martialia, aperientia, aliaque bene multa primarium morbum respicientia, qui scilicet vomitionem cruentam fovet.

FAMES CANINA.

SIC vocitatur hæc *inexplebilis ciborum voracitas*, qua conflictati latrantem stomachum compescere nequeunt; quæ vomitum & lienteriam, aliaque graviora incommoda post se trahens, atrophia demum excipitur. Alia est famis indomabilis species, quæ nullam harum evacuationum comitem habet; atque dolore stomachi gravativo, spirandi difficultate stipata, *fames bovina* audit. Ab alterutra vires sensim prosternuntur; ingruit somnolentia, &c. Rarissima est genuina fames canina, sub qua nusquam saturantur ægri; licet quotidie hoc nomine ab inexpertis insigniatur hæc esuries, juvenibus, mulieribusque gravidis, melancholicis & valetudinariis familiaris, quæ nil ferme sanitati demit. Fami caninæ obnoxii sunt hypochondriaci & scorbutici: illi, qui per nives diu gradiuntur; hinc fit, ut regionum septentrionalium incolæ sint edaciores. Multa prostant exempla hominum voracissimorum, qui uno convivio quadraginta & ultra carnis libras vorabant, cum panis & vini stupenda copia. Fidem sane superat, quod traditur de variis athletis, qui integrum taurum uno die comedebant. A saburra acida nonnunquam fovetur fames canina, uti patet ex vomitu, quo rejiciuntur materies acidæ & ærugi-

no-

noſæ, ſtuporem dentibus inducentes, & vaſa ænea, quibus recipiuntur, brevi in æruginem arrodentes. Eumdem effectum non raro producit bilis reſtagnans in ventriculo: conſtat enim, plures, in quibus ductus choledochus hiabat in ventriculum, voraciores fuiſſe. Hepatis ingens moles, ſolium, & lumbricorum copia, voracitatem etiam inducunt; ut ſileamus de variis cauſis, quas patefacit autopſia anatomica.

Luſtrata cadavera exhibent ſtomachum ultra modum turgentem, vel parvum, cujus latera inſolitam craſſitiem exhibent: deteguntur in ejus cavo cruor ſtagnans, colluvies atramenti inſtar nigra; bilis æruginoſa & quaſi vitriolica; ingenſque pediculorum numerus. Pylorus laxior, vel plus æquo apertus ſe ſiſtit; ductus biliaris in ipſummet ventriculum hians obſervatur, &c. Stupendus conſpicitur lumbricorum proventus in tubo inteſtinali, qui nonnunquam etiam ſolium recondit. Adinventum fuit unicum inteſtinum recto tramite ab ſtomacho ad anum pergens; ut alia conformationis vitia ſileamus. Hepar nonnunquam infarctu ſcirrhoſo tactum vel mole ampliſſimum annotatur. Lien etiam ſtupendam magnitudinem præ ſe fert; vel pultaceus & putridus deprehenditur. Eaſdem ferme læſiones contrahunt pancreas, meſenterium, &c. Quibus addere licet ductum pancreaticum duplicem; œſophagum alterius ſtomachi inſtar in pectore dilatatum, &c.

Proficua in utraque fame cenſentur, ſi nil obſtet, *evacuantia* per alvum. Plurimum conferunt *refrigerantia* & demulcentia, aqua nempe pulli, vel oryzæ; ſerum lactis, &c. Huc reſpiciunt dapes pinguiores, vel oleo conditæ, quæ ſæpius exquiſitiorum remediorum vices ſupplent. Nec minus præſtant, præmiſſis præmittendis, *hypnotica*; diacodium ſcilicet, laudanum, pilulæ de cynogloſſo, aliaque id genus. Simili ferme ratione adhibetur nicotianæ fumus, tanquam ſcilicet præſens ſævientis famis levamen. Pro votis quandoque ſuccedunt, perſpecta morbi cauſa, mercurialia, aliaque vermifuga. A nonnullis decantatur ambra cineritia: alii ſuadent theriacam, aliave ſtomachica, aromatica, quæ ſedantium vires æmulari videntur. Nec deſpicuntur abſorbentia, corallum nempe, creta, lapis hæmatites, limatura ferri, &c. quæ, acida ſtimulantia ſubigendo, inducias impertiri queunt.

MOLESTIA STOMACHI.

DE multiplici hujuſce *morbi indole*, perfunctorie a Veteribus indagata, nil fere præter commenta effutierunt recentiores: adeo ut, quidquid de hac re in libris proſtat, animum veritatis avidum minime expleat. Ægre ſane *innoteſcit*, num hic morbus, in quibuſdam ſæviſſimus, ſit eſſentialis, vel ſymptomaticus: nec facilius nonnunquam diſtinguitur a colica hepatica, inteſtinali, nephritica, &c. *Sedem* habere videtur hic dolor in ſcrobiculo cordis, cui ventriculi oſtium ſuperius reſpondere, neminem anatomicum fugit. Sed hiſce cancellis minime continetur; quin potius nunc per tota præcordia ſe diffundit, nunc in latiorem regionem epigaſtricam propagatur; alias ad notiſſimas diaphragmatis connexiones, hypochondria nempe, dextra lævaque pertingit. Sub variis gradibus ſe profert hæc moleſta ſtomachi ſenſatio, qui ob diverſum typum, quem aſſequi videntur, ad *quatuor* referri queunt *ſpecies*, quas ſeorſim exhibere expedit. 1. Dolor obſcurus & languens, *anxietas* audit, quæ etſi mitior videtur, ægros tamen modo quodam ineffabili excruciat; unde inquietudines, quarum ſævitiem produnt ſuſpiria & gemitus. 2. Morſu quodam afficitur orificium ventriculi ſuperius, quod *cardiam* vocitarunt Veteres: hinc *cardialgia* audit hic affectus, qui pravas digeſtiones concomitari ſolet, & ſuos nonnunquam habet paroxyſmos. 3. Alius occurrit dolor quaſi urens, vel fervoris ſenſus, *ſodæ* nomine notus; *le fer chaud* a noſtratibus dicitur. Juxta œſophagum ſæpius propagatur hæc ingrata ſenſatio, & fovetur a colluvie acida quaſi vitriolica in ſtomacho nidulante, cui obnoxii ſunt melancholici, & cereviſiæ potatores, de ructibus ejuſdem naturæ perpetuo queruli.

4. Denique alia eſt doloris ſpecies lancinans, quæ ſuam tyrannidem exercens in eo-

eodem digeſtionum organo, *colica ſtomachi* dicitur: hæc ab ſpaſmo & flatulentia natales ſumit; ructibuſque ac inflatione epigaſtrii, anxietatibus & lipothymiis plerumque ſtipatur. Notare expedit, quod, ſi hic poſtremus dolor ad certum gradum evectus febrem comitem habeat, ventriculi minatur phlogoſim; quæ truculentiora poſt ſe trahit ſymptomata; & crebrius ſane occurrit quam vulgo fertur. Hiſce ſtomachi cruciatibus partes proximiores & diſſitæ in conſenſum trahuntur; & omnes fere œconomiæ animalis functiones pervertuntur; prodeunt nempe vomitus enormes, ſpirandi difficultates, cordis palpitationes, & pulſus inordinatus; rigores, tremores, lotii ſuppreſſio, ſudores frigidi, extremorum refrigeratio, convulſiones, paralyſes, &c. adeo ut nonnulli ægri, hiſce ferendis impares, deficientibus mentis & corporis viribus ad incitas rediguntur: minime ſane mirum, ſi acerbiſſimi ſtomachi dolores hanc truculentiorem ſymptomatum catervam poſt ſe trahant; cum nulla occurrat pars in corpore vivente, ratione habita molis, quæ tantum nervorum proventum excipiat, & hinc exquiſitiori ſenſu donetur: quare haud male dicitur ventriculum, & cor habenas tenere, quibus totum corpus regitur.

Suboriuntur dolores ſtomachi a materieribus ſtimulantibus, in ejus cavo latitantibus; pravarum nempe digeſtionum reliquiis, emeticis & catharticis, venenis, vermibus, &c. Soboleſcunt ab iracundia, mœrore, aliiſque gravioribus animi pathematibus; a ſuppreſſis profluviis ſanguineis, a repulſis eruptionibus cutaneis, a cohibita dyſenteria; a colica inteſtinali, meſenterica, duodenali, hepatica & nephritica; a febribus mali moris, &c. Hiſce torminibus *obnoxii* ſunt comeſſationibus indulgentes, melancholici, arthritici & calculoſi; ad hæc pronæ cenſentur chloroticæ & hyſtericæ, &c. Stomachi dolores crebro recurrentes haud *periculo* vacant: indomabiles ſunt chronici: vehementiores, vigente febre, ſtomachi inflammationem minantur: malum denique impendet maximum, ſi, his ſævientibus, exurgant ſingultus, ſudores frigidi, lipothymiæ, &c. Scire expedit, hunc morbum, *cardialgiæ* nomine notum, ſedem ſæpius habere extra ventriculum; non ſolum in œſophago, duodeno, diaphragmate & omento; ſed in hepate & liene, in pancreate & meſenterio; ac in muſculis abdominalibus. Aneuriſmata etiam & cæteri tumores ventriculum laceſſere queunt: hinc ſequitur, haud jure ſæpius incuſari ventriculum; & morbum, ſub hoc errore, præpoſtera curatione impugnari.

Secta cadavera patefaciunt bilem acerrimam vel æruginoſam in ſtomacho ſtagnantem; vel lapilli biliares, inſtar granorum mali granati, in ſtomacho deliteſcentes, atque ſanguinem extra vaſa emiſſum. Flatulentia, vel copia alimentorum in immenſam molem aſſurgit prædictum viſcus, nonnunquam a ſede depulſum; ejus tunicæ craſſiores & occalleſcentes, phlogoſi & purulentia tactæ, ulceribus intus & extus exeſæ, putridæ, gangrænoſæ & dilaceratæ deprehenduntur. Paſſim etiam occurrunt tumores anomali vel cyſtici, ſarcoſes fungoſæ, verrucæ, puſtulæ gangrænoſæ ad papulas varioloſas accedentes; aliave diverſæ ſortis tubercula. Detegitur quandoque ductus biliaris huicce organo implantatus, in quo etiam reperiuntur vermes, folliculi pediculos colligentes, lapides multiformes & diverſæ molis, pilulæ, nuclei, carbones, gypſum, aciculæ, innumeraque alia corpora extranea deglutita. Pylorus demum tumidus & ſcirrhoſus, verrucis vel ſarcomatibus obſeſſus, ac ulceroſus; in nonnullis ita relaxatus, ut omnes digitos junctim compoſitos admitteret, oculis ſubjicitur. Nec duodeno parcit hæc morboſa diſpoſitio; quod etiam a flatibus ultra modum diſtenditur; non ſecus ac alia inteſtina. Hepar ſchirrhoſum, inflammatum, purulentum & putridum reperitur: ſimilique labe defœdantur lien, pancreas, meſenterium, omentum, &c. Patet veſicula fellea ad crepaturam repleta; vel ſtupendum concretionum biliarium numerum recondens. Ante oculos verſantur herniæ epiploicæ; aneuriſma aortæ vel cœliacæ, &c. ut de mediaſtini & pericardii phlogoſi, immenſa cordis mole, aliiſque hujuſce organi vitiis ſileamus.

Ubi dolor ſtomachi acerbiſſimus febre acu-

acutiori ſtipatur, venam tundere juvat; ut imminens declinetur phlogoſis. Equidem ſub hocce caſu ſanguini minime parcendum. Alias nihil celerius expedire valet ventriculum, quam *emetico-cathartica*; cum uni eliminationi ſordium in primis viis nidulantium ante omnia ſit ſtupendum. Cum cautela tamen, vel hypnoticis immixta præſcribi debent; ne hoc ſtimulo exaſperetur morbus. Quibus peractis proficue adhibentur demulcentia; aqua nempe pulli, ſerum lactis, emulſiones, oleum amygdalarum dulcium; aliaque conſimilia, quæ præſertim emeticorum & venenorum ſpicula vellicantia obvolvere queunt: aqua alias ſimpliciſſima affatim hauſta pro votis ſuccedit: plures enim hoc chronico morbo liberantur hac ſola ratione, qua vino abſtineant. Haud inanem operam ludunt decocta e borragine, cichorio, pimpinella, fumaria, cerefolio, cancris fluviatilibus, aliiſque temperantibus vulgatioribus parata.

Prædictis medicaminibus ſociari queunt *ſedantia paregorica*, nitrum nempe & camphora, liquor anodynus mineralis, &c. Nonnunquam proficiunt antiſpaſmodica; meliſſa nempe & flores tiliæ, caſtoreum, aqua florum aurantiorum, pulvis de gutteta, &c. nec vetantur urgentioribus doloribus narcotica; diacodium nempe, guttæ anodynæ SYDENHAMI, aliave affinia. Hunc morbum etiam reſpiciunt *ſtomachica* & *carminantia*, flores nempe chamæmeli, a pluribus jure celebrati, mentha & ſalvia, aniſum & fœniculum, enula campana & rheum, cortex peruvianus & caſcarilla, extractum juniperi & abſinthii, theriaca, &c. In ſubſidium poſtremo vocantur, pro re nata, abſorbentia, anthelmintica, martialia & aperientia, ſudorifica, antiſcorbutica, &c. quibus impugnari ſolent variæ cauſæ ſtomachum in conſenſum trahentes. His inſuper obſecundant enemata demulcentia, laxantia & carminantia.

Maximi ſane eſt momenti inter haſce dolorum ſpecies curandas, ut apprime attendatur ad materiarum in ſtomacho nidulantium indolem, quam produnt recenſita ſigna; num ſcilicet ad aciditatem vel ad alkaleſcentiam vergant; ne poſt adhibitam inconditam remediorum farraginem, a juvantibus & lædentibus tota dein dirigatur medela, mere empirica. *Colluvies* enim *acida*, præmiſſis diluentibus & evacuantibus, ſolis abſorbentibus quandoque domatur; creta ſcilicet, corallo, lapidibus cancrorum fluviatilium, magneſia, aliiſque conſimilibus. *Saburra* vero *alkalina* contrariis ſubjicitur, nitro ſcilicet, limonada, aliiſque potionibus acidulis. Sed hæc omnia remedia, inertia ſæpius eſſe, haud latet ſane clinicos, qui exhauſtis officinarum fontibus ad aquas minerales, tanquam ad ſacram anchoram confugere ſolent; inter quas uſitatiores audiunt Vallenſes, Forgienſes, Plumberianæ, Bellilucanæ & Montis Aurei. Pluribus demum profecit, cæteris conſentientibus, victus demulcens, e lacte ſcilicet, cremoribus oryzæ, hordei, &c. paratus. Sed infauſta hæc eſt curatio, ni prius, uti jam innuimus, morbi primarii habeatur ratio.

Quod ad *topica* ſpectat, plura adhibentur, quæ inducias impertiri queunt; in quorum cenſum veniunt emollientia, ſub litus, fotus vel cataplaſmatis forma, regioni epigaſtricæ impoſita. Doloribus chronicis tutius occurrunt aromatica, ſpirituoſa, balſamica & camphorata, e quibus parantur ſacculi, linimenta, epithemata, cataplaſmata. Nec deſpiciantur emplaſtra e pice, tacamahaca, baccis lauri conflata. Nonnullis proſunt balnea, vel ſemicupia tepida: nec inutilem opem præſtant pediluvia. Plures demum, qui poſt longam tædioſamque curationem in pejus ruebant, nedum levarentur, omnibus remediis valedixerunt, & regione epigaſtrica rite cooperta, congruoque compoſito regimine, ſanitati ſenſim, præter ſpem, reſtituti ſunt.

INFLAMMATIO ABDOMINIS.

DE phlogoſi interna generatim conſpecta, jam ſatis ſuperque in prima Synopſeos parte: nunc operæ pretium judicamus, ut de *inflammatione abdominis*, morbo frequenti & ominoſo, ſpeciatim pro inſtituti ratione agamus. E nota imi ventris fabrica colligitur variam ſedem habere hic acutiſſimus & truculentus affectus; qui tamen inteſtina, præſertim tenuia, invadere ſolet; atque ventriculum, me-

meſenterium, aliaque viſcera in ſacco peritonæi recondita in conſenſum ſæpiſſime trahit: nec parcit, autopſia judice, ipſiſmet muſculis abdominalibus, aliiſque imi ventris involucris. Ad hunc morbum proni cenſeri debent juvenes, temperieque ſanguinea vel bilioſa præditi; qui alias inter febrium mali moris ſymptomata numeratur. Hunc promovent eryſipelatis, aliarumque efflorescentiarum cutanearum retroceſſus; devia, & ſanguini remixta materia arthritica, vel rheumatica: ſoboleſcit a fluxus hæmorrhoidalis, alteriuſve conſuetæ hæmorrhagiæ ſuffla-mination: contrahitur ab alimentis calidioribus & piperatis, a vino & liquoribus ardentibus; vel a copioſo aquæ gelidiſſimæ hauſtu, corpore intenſius calente: quibus addere licet emetica præpoſtere adhibita; cathartica vehementiora; venena acria & corrodentia; inconſultus hydrargyri uſus, &c. Præterea hoc accerſunt infortunium, corporis labores ardui, compreſſiones violentæ, contuſiones graves; dolores colici ferociores, præſertim ab hernia incarcerata; diarrhœa intempeſtive cohibita, &c.

Abdominis prominentis, diſtenti & renitentis dolor æſtuans, cum nonnullis horripilationibus; febris vehemens, nonnunquam maligna, ſemitertiana & peſtilentialis, cum ſiti moleſtiſſima; pulſu duro, nonnihil inæquali, qui haud raro obliteratur: anxietates & vigiliæ, ſæpius ſuccedente delirio; vomitus ingeſtorum, vel colluviei viridis & nigricantis, ſingultu nonnunquam ſtipato: faucium ſiccitas & ardor, cum deglutiendi difficultate; cardialgia, vel ventris dolores, præſertim circa præcordia & umbilicum; ac in quibuſdam dolor gravativus circa lumbos; alvus adſtricta, cum urina pauca, craſſa vel flammea; fæces ſubnigricantes, ac nonnunquam alvi fluxus pertinaciſſimus, vulgatiora audiunt *phlogoſeos abdominalis ſigna*. Solita exploratione innoteſcit inflammatio ventriculi & inteſtinorum: non ſecus ac hepatis & lienis. Sed ægre dignoſcitur, eadem adhibita indagatione, inflammatio pancreatis & meſenterii, ſub qua pulſus debilior, & ſymptomata mitiora obſervantur. Quod attinet ad muſculorum abdominalium phlogoſim, alias rariorem, dignoſci poteſt a dolore acerbiori, qui vel levi tactu, vel quovis corporis motu, præſertim inter tuſſim exaſperatur. Minime recipitur in hocce articulo renum, veſicæ & uteri, viſcerum extra peritonæum poſitorum, inflammatio; quæ cæteroquin notiſſimis, alibique traditis ſignis ſe prodit.

Nemo neſcit, omnes ægros *in vitæ diſcrimen* trahere, imo & plures neci dare inflammationem abdominis, cum raro reſolutione intra paucos dies abſolvenda deſinat, & ſæpius purulentiam, vel ipſammet gangrænam, aut infarctum ſcirrhoſum, diuturnitate moleſtiſſimum, ſolitumque eludere Medicorum ſolertiam, poſt ſe trahat. Proximum exitium portendit ventriculi phlogoſis, quæ gangrænam accerſere ſolet, vel in ulcus lethale faceſſere; ni emergat infarctus ſcirrhoſus plane immedicabilis. Nonnulla ſanitatis ſubit ſpes, ſi ſolus tubus inteſtinalis afficiatur, cum pus a quarto ad ſeptimum diem inibi confectum, per patentem viam exitum ſibi parare queat. Hinc ſalutis auguria deſumuntur e fœdis dejectionibus; ni obſtet ſumma virium proſtratio. Conjicere licet partem affectam in ſuppuratum abire, ſi ſtato tempore de dolore pulſatorio, & de levi frigore crebro & inordinate recurrente conquerantur ægri. Ubi vero dolor urens & acutus ſubito, vigentibus cæteris morbi ſymptomatibus, evaneſcit, cogitandum de gangræna. Dolor lancinans & contumacior ulceris ſuſpicionem movet: obſcurus demum & gravativus, poſt ſolitum morbi ſtadium, nullis præviis ſuppurationis indiciis, infarctum ſcirrhoſum denuntiat. Sed *ſæpius*, ut verum fateamur, in ancipiti verſantur prædicta ſigna, adeo ut nonniſi conjecturas de morbi exitu aſſequi liceat; vel ſola hoc morbo denatorum eviſceratione pateant defœdationes, quæ a prægreſſa inflammatione ſuboriri ſolent. Inter varia ſymptomata, quæ nil boni ſpondent, ſingultus indomabilis & lipothymiæ crebro recurrentes, cum ſudoribus frigidis, maximum terrorem incutiunt: ſub qua rerum conditione, maculæ atro-lividæ cum phlyctænis in abdomine erumpentes, pro funeſto habentur indicio.

In *ſectis cadaveribus* patent ventriculus inflammatus, maculis ſubatris, & eroſionibus

nibus deturpatus, cum liquamine subflavo & æruginoso, ac fœtido in ejus cavo fluctuante: intestina maculis sanguineis signata, inflammata, purulenta, gangrænosa & disrupta; flatu turgida, lumbricis scatentia, fæcibus infarcta, crusta quadam alba & viscida obducta; ac invicem hærentia: cæcum cruore putrido ultra modum distentum: hepar phlogosi tactum, tuberculosum, subnigrum & sideratum: vesicula fellis pseudolapidibus biliosis scatens; inanis, &c. pancreas inflammatum, infarctum & tuberosum: epiploon intestinis & peritonæo adglutinatum, vesicæ accretum, scirrhosum & putridum: peritonæum cum limbo diaphragmatis phlogosi & gangræna correptum: mesenterium infarctum, purulentum & passim putridum. Præterea occurrunt abscessus incertæ sedis; colluvies sordida & purulenta stagnans in abdomine; ut de variis herniis & pectoris læsionibus, quas exhibent cadavera, silemus.

Phlebotomia incunctanter celebrata, pro ætate & viribus pluries iteranda, præsentaneum audit remedium adversus inflammationem abdominis, quamcumque sedem habeat: sed notare expedit, quod intra primos morbi dies contineri debeant venæ sectiones; nec ultra quater, vel ad summum sexies tundenda sit vena: ideo a sanguinis missione, rationibus supra allatis, abstinendum post primum quatriduum, ni urgeat necessitas. Insuper, si imi ventris inflammatio sit symptoma febris putridæ vel malignæ jam adolescentis, vix semel, cæteris consentientibus, venam tundere licet; cum sub hac conditione periculosissimæ censeri debeant venæ sectiones, quidquid in contrarium adducant secus sentientes. Interea diæta tenuissima, vel mere aquea, quantocyus est præscribenda: huic obsecundant diluentia, temperantia & demulcentia; inter quæ præstant serum lactis, aqua pulli, emulsiones simpliciores, infusum florum malvæ, vel seminum lini; decoctum hordei & avenæ; mucilagines e radicibus althææ, seminum psyllii, &c. Nonnullis prosunt blandiora diaphoretica, borrago scilicet & buglossum; scorzonera, carduus benedictus, &c. sed caute adhiberi debent hæc præsidia, ne sanguis plus æquo incandescat. Vetantur opiata, aliave narcotica: sed exhiberi queunt paregorica, uti nitrum, camphora, liquor anodynus mineralis, sal sedativum, &c. Insuper alvus servetur libera ope enematum emollientium & demulcentium: haud tamen reformidanda laxantia mitiora, oleum nempe amygdalarum dulcium, cassia, tamarindi; vel ipsamet manna, caute & partitis vicibus adhibita: cætera vero cathartica per totum morbi stadium angue pejus sunt fugienda. Hinc obvium fit, quid sit cogitandum de emeticis, quæ haud sine præsenti vitæ discrimine propinari queunt; etsi a nonnullis, penes quos sit fides, pluries, ineunte morbo, fauste successisse traditur. Opportune præscribuntur absorbentia, si nidulet colluvies acida in ventriculo. Postremo minime despicienda medicamina externa, fotus nempe & cataplasmata emollientia, pelles animalium recens mactatorum, &c. Nec immerito deprædicantur hirudines podici admovendæ; præsertim post suppressum consuetum fluxum hæmorrhoidalem. Nil addimus de prolapsu intestini, vel de hernia incarcerata, quæ artem chirurgicam expostulat.

ILEUS.

AB intestino ileo, sæpius tamen inculpato, nomen sortitur hic affectus; qui haud raro cæcum & colon, imo & rectum obsidet. *Volvulus* etiam dicitur a volvendo, eo quod tubus intestinalis ob mutuum suarum partium ingressum ita intricatur, ut circumplicari videatur. A vomitu demum horrendo, ab anxietatibus & cruciatibus, quibus torquentur ægri, barbaro *miserere* nomine insignitur. Lento ut plurimum gradu *insurgit ileus*; sub primo enim evomuntur materies in stomacho contentæ; dein bilis projicitur, quam excipit materia chylacea: procedente demum morbo, non solum fæces alvinæ, sed etiam enemata & suppositoria per os quandoque deturbantur. Interea alvus occluditur; tumet abdomen vel in altum attollitur; sæviunt tormina umbilicum haud raro spectantia, respiratio offenditur, exsurgit singultus; ac presso pede sequuntur convulsiones, lipothymiæ, sudores frigidi,

extremorum refrigeratio, &c. Venena, emetica, aliæve materies acriores ileum accersere queunt: hunc *promovent* crapula, colica convulsiva, tubi intestinalis constrictio ab hernia, aliave causa; innumeraque vitia organica in imo ventre latitantia: quibus addere licet vehementiorem iracundiam, cursus effrænos, &c.

A probo materierum vomitu rejectarum examine facile innotescit *sedes morbi*; cum eæ tantum, quæ supra obicem colliguntur, retrogradum motum patiantur. Nec inutilis est partis affectæ indagatio, cum ab illa bene perspecta, accuratior institui possit *prognosis*; faciliorque pateat ad curationem aditus. Ileus inter morbos calamitosos numeratur; præsertim si occurrant febris intensior, dolor acutus, intumescentia abdominis, aliave inflammationis internæ indicia. Nec minorem metum incutit, si ab stranguria ortum trahat. Doloris cessatio, cæteris vigentibus symptomatibus, gangrænam portendit; quæ brevi, tertio scilicet vel quarto morbi die ægros illuc mittit unde negant redire quemquam. Nonnunquam tamen diutius protelatur hic morbus; ad septimanas nempe, imo & menses; quod sane a diversa morbi causa pendere cuivis obvium.

Patet, uti supra innuimus, ex *autopsia anatomica*, intestinum ileum haud crebrius lædi, quam cæcum, colon & rectum; ideo de omnibus intelligenda veniunt, quæ supersunt dicenda. Itaque patent in pluribus intestina ultra modum distenta, phlogosi correpta, vel gangræna tacta: dilacerata nonnunquam reperiuntur; unde a profusis materiebus, quas continebant, quædam emergit ascites, qua imus venter antea ultra modum intumescebat. Oculis passim subjiciuntur, per totum tubi intestinalis tractum, abscessus, vel protuberantiæ scirrhosæ, quibus canalis plane obturatur. Simili modo impeditur prædictus tubus a fæcibus induratis, a concretionibus quasi gypseis, a vermium glomeramine, a coalitis tubi lateribus, &c. Deteguntur intestinorum susceptiones, vel invaginationes; quibus scilicet intestini coarctati pars in partem proximam prius expansam ingreditur; quæ ita oppletur, ut nil a superioribus intestinis ad inferiora permeare possit: circa quam obstructionem illud notatu dignum occurrit, quod nunc per partem superiorem, nunc vice versa, hic mutuus fiat ingressus. Sed silentio minime prætermittendum has duplicationes observari in pluribus morbo iliaco nusquam antea conflictatis. Obvia sæpissime fiunt intestina ab herniis præclusa, vel ita coarctata, ut a circumducto filo antea constringi videantur. Nonnunquam etiam intorti, implicati & intertexti, vel nodo quasi constricti apparent horum gyri. Quandoque demum occluduntur a compressione tumoris extra tubum siti; ab ingenti hepatis, alteriusve visceris mole; a massa cujusvis liquaminis in abdomine stagnantis, &c.

Curatio hujus affectus est properanda; cum maximum sit periculum in mora. Priusquam tamen inchoetur, probe inquirendum, num ab hernia prodeat ileus; quæ haud semper conspicua est, præsertim in mulieribus: quid factu tum opus sit, nemo vel rudis & inexpertus non intelligit. Alias præsentaneam opem ferunt venæ sectiones, tam ad impugnandam, quam ad precavendam phlogosim. Depletis vasis jure celebrantur demulcentia; aqua nempe pulli, oleum amygdalarum dulcium, jusculæ pinguiora, serum lactis, emulsiones, decoctum seminum lini &c. Fauste etiam usurpantur sedantia paregorica, nitrum scilicet, camphora, liquor anodynus mineralis, &c. Nec vetantur, præmissis præmittendis, narcotica, diacodium nempe, laudanum liquidum, aliaque id genus; quorum præsidio opportune propinari queunt laxantia blandiora, quæ præclara munia obire solent. Nonnullos juvat aqua gelidissima; imo & profuit, incassum tentatis cæteris præsidiis, cortex peruvianus. *Ubi* vero nec herniæ, nec inflammationis subest suspicio, exhibere licet globulos plumbeos, vel hydrargyri libram unam, aut alteram, in aqua vel jusculo congruo. Notare per transennam expedit, mercurium crudum, sub hisce circumstantiis propinatum, ptyalismum nonnunquam promovisse.

Insuper deprædicantur enemata emollientia, purgantia vel stimulantia, per totum

totum morbi curriculum ſumme proficua. Sunt qui poſt HIPPOCRATEM aerem vel flatum, ope follis fabrilis, in anum injicere tentant; ſed haud innoxia eſt hæc methodus, quæ experientia teſte truculentiora tormina ſæpius accerſit. Nonnulli in hiſce anguſtiis inſtrumentum, quod delineandum curavit DEKKERS, excogitarunt, cujus beneficio fumus tabaci in anum inflatur; quo ſtimulo excitatur quædam revulſio, quæ plures fauſto beavit eventu. Inter uſitatiora præſidia recenſentur *topica* emollientia, fotus ſcilicet & cataplaſmata, necnon balnea vel ſemicupia ex aqua tepida, decocto emollienti, vel oleo olivarum parata. Huc coincidunt animalia ſecta; horum omentum, vel pelles cum ſuo calore nativo. Nonnullis demum celebratur linimentum ex axungia & camphora paratum: alii ſummis laudibus extollunt cataplaſma ex oleo menthæ, theriaca, &c. confectum: ſed, ut verum fatear, ſæpius incaſſum adhibentur hæc auxilia externa; quæ alias citra periculum admoveri poſſe crediderim.

CHOLERA.

FEROCIſſIMUM, velociſſimumque eſſe hunc affectum, qui ſubito invadit, & dirum in modum *ardente ſyrio* ſæpius *graſſatur*, nemo neſcit. Vomitu & diarrhœa ſimul ſævientibus, *in propatulo ſe ſiſtit* hic affectus; ſed infida cenſeri debent hæc indicia; cum utramque evacuationem, periculi plane expertem haud raro promoveat prava alimentorum digeſtio. Quare hiſce *notis* addere juvat truculentiora ſymptomata, quæ choleræ characterem produnt; dolorem ſcilicet acutiſſimum & æſtuantem interaneorum, renitentem abdominis intumeſcentiam, cardialgiam, ſingultum, anxietates, lipothymias, intenſiorem ſitim, pulſum inæqualem, contractum, intermittentem & febrilem, convulſiones, membrorum contractiones, crurum ſpaſmos, ſudores frigidos, extremorum refrigerationem, &c. Cholera vegetiores ſæpius intra nychthemeri ſpatium e medio tollit; vel ad biduum, triduumve protelatur. Materies per utramque viam pleno gurgite erumpentes bilioſæ, porracceæ, æruginoſæ, nigræ, &c. obſervantur. De alia choleræ ſpecie, quam ſiccam vocant, ab illa, de qua in præſentiarum, toto cælo diſtante, ſupra, dum de flatulentia mentionem ſubjecimus; hinc crambem recoctam haud apponemus.

Choleram, cui *obnoxii* ſunt compotationibus indulgentes, bilioſi & iracundi, *promovere* ſolent melones & cucumeres, fungi, aliaque alimenta pravæ notæ; purgantia draſtica & venena. Hanc comitem habent nonnullæ febres, imi ventris inflammatio, aliuſve gravior morbus. Sub variis gradibus ſe profert cholera, quorum leviores verum morbi typum haud præ ſe ferentes periculo vacant: ſed *calamitoſus* cenſetur hic affectus, ſi vigeant jam enumerata ſymptomata; ubi præſertim nulla prævia patet cauſa evidens, & utraque via proſilientes materies odore & colore a genuina indole deflectant. Sub qua conditione jure incuſatur bilis redundantia, vel ferocia: bilis enim pravæ indolis, porracea nempe, æruginoſa & atra, præter anxietates, cardialgias, vomitum & alvi fluxum, dolores atrociſſimos, inflammationes & gangrænas poſt ſe trahit. Atra, tenax & quaſi picea imaginationem ſæpius lædit. Atro-flava, putreſcens, & ad aciditatem vergens, veneni inſtar omnia turbat, hinc inſania, ecſtaſis, convulſiones, &c. Hæc eſt atrabilis Veterum, quæ non ſolum per vomitum & ſedes exitum ſibi parat, ſed etiam urinam ſuo colore nonnunquam inficit; quod ſane haud raro obſervatur in melancholicis.

Conſtat ab *ſcrutatione cadaverum*, bilem in propriis conceptaculis exuberare, qua redundante conſpurcantur digeſtionum organa. Obſervatur hic latex a propria natura degener; atro-flavus ſcilicet, viridis, & æruginoſus; niger, tenax, putreſcens & ad aciditatem vergens. Ductus choledochus in nonnullis prope pylorum inſeritur, cujus ratione bilem eructabat in ipſum ventriculi cavum, cui etiam nonnunquam implantatur. Hepar deprehenditur infarctum & induratum, ſteatomatoſum, phlogoſi tactum, vel gan-

græna defœdatum. Inteſtina ſe præbent inflammata vel ſphacelata. Paſſim poſtremo obſervantur aliorum viſcerum læſiones, quas recenſere e re noſtra alienum fore putavimus.

Curatio ſimplicioribus peragitur: nec hilum proficit hæc ab Auctoribus in medium adducta remediorum farrago; qua ſane quidem ſaniora medicinæ præcepta convelluntur. Peſſime ſe gerunt, qui venæ ſectionem hic confidentius adhibent; cum a detracto ſanguine fatum ſæpius acceleretur: venam tamen ſub diverſis circumſtantiis tundere licet; ſed rariſſime occurrunt, atque in his dignoſcendis plane cæcutiunt innumeri, qui Medici nomen ſibi arrogant. Currenti calcar addunt emetica & cathartica, quæ hinc exulare debent: nonnunquam tamen opportune exhibentur, ſi vires ferant, caſſia, tamarindi, aliaque laxantia blandiora. Nonnullis conferunt abſorbentia, teſtacea nempe, lapides cancrorum fluviatilium, aliaque terrea, quæ materies digeſtionum organa vellicantes intra ſinum recondere ſolent. Sed a ſanioribus Medicis abdicantur adſtringentia, præſertim ſub primis morbi temporibus, & nonniſi ab imperitis, reluctante etiam experientia, adhibentur hæc remedia: quæ declinante morbo ſuppetias nonnunquam ferunt.

Expedit, ut ad *ſalubriora præſidia* properemus, quæ depromuntur e diluentium & demulcentium claſſi; nec alia ſunt propinanda ſub hujuſce morbi procelloſis temporibus: uſitatiora & efficaciora audiunt aqua ſimpliciſſima, vel ſucco limonum, acidove minerali imprægnata: aqua pulli, & ſerum lactis; quæ ſingula pro omni alimonia, vel larga manu exhiberi debent: nec minus proſunt enemata refrigerantia & demulcentia vulgatiora. Cæterum egregiam opem præſtant lac, juſcula pinguia, oleum amygdalarum dulcium, aliaque id genus; ſi veneni ſit ſuſpicio. Proſunt, præmiſſis præmittendis, hypnotica & antiſpaſmodica, ſi incuſetur catharticum draſticum, aliave quæcumque materies ſtomachum & inteſtina vellicans: in quem ſcopum fauſte uſurpantur laudanum & diacodium, tinctura anodyna & caſtorei, &c. ſed caute cum hiſce remediis mercari expedit. Horum vices explere valent ſtomachica roborantia, diaſcordium nempe, theriaca & confectio hyacinthi, quæ tamen haud niſi elapſis octo vel decem horis a primo inſultu tuto præſcribi poſſunt. Nil ferme expectandum de topicis ſtomachicis, quæ tardius effectum ſuum exerunt in morbo velociſſimo: opportunius ſane adhiberentur emollientia, quæ admovere vix ſinunt perpetuæ ægrorum jactationes.

DIARRHŒA.

SUb triplici conſpectu ſe profert *alvi fluxus incruentus*, nunc enim genuina diarrhœa audit; nunc fluxus cœliacus nuncupatur; alias lienteriæ nomen ſortitur. *Diarrhœam* vulgatiorem prodit frequens alvi dejectio ſtercoroſa, biliosa, ſeroſa, mucoſa vel pituitoſa, adipoſa, vel colliquativa, purulenta, &c. Hanc concomitantur cibi faſtidium, anxietates & lipothymiæ, flatulentia & borborygmi, interaneorum dolores, teneſmus, ventris intumeſcentia, ſpaſmus crurum, &c. ſub quibus parciores urinæ, ſubrubræ & turbidæ mingi ſolent. Innoteſcit *fluxus cœliacus* a dejectionibus ſubalbicantibus, chylaceis & mucoſis: hunc affectum a denegato chyli ingreſſu in venas lacteas oriundum, ſequuntur inappetentia & ſitis, ructus acidi & dolores lumbis proſpicientes, quibus nonnunquam accedit febris: urinæ etiam fæculentæ, ac minori proventu proſiliunt. *Lienteria*, quam levitatem inteſtinorum vocavit Celsus, dignoſcitur ab egeſtis cibis ſemi-coctis, vel vix immutatis: diarrhœam & dyſenteriam ſæpius excipit hic morbus; quem etiam poſt ſe trahunt varii affectus chronici: quo vigente appetitus nunc proritatur, nunc proſternitur; vires deficiunt, aliaque tradita emergunt ſymptomata: lotium poſtremo craſſum & lutulentum parca copia profunditur. Hæ ſunt differentiæ, quibus obiter diſtingui ſolent alvi fluxus incruenti ſpecies: ſed innumeræ aliæ occurrunt ab ætate & temperie depromendæ; non ſecus ac a victus ratione, a ſumptis medicaminibus, aliiſque acci-

den-

dentibus vigentibus vel prægressis, e quibus bene perspectis patet genuina medendi via. Ad diarrhœam *proclives* censentur pancratice viventes, cachectici, biliosi, arthritici, &c. hanc nonnunquam *promovent* pedum refrigeratio, quædam alimenta, aquæ inassuetæ, &c. si ortum ducat a medicamento purgante per alvum, *hypercatharsis* audit, nostratibus *superpurgation*. Fluxui cœliaco obnoxii sunt infantes: scorbutici vero ad lienteriam sunt proniores. Hos demum alvi fluxus post se trahere solent incondita victus ratio, vel soluta vivendi norma.

Diarrhœa vomitu, lotii profluvio, vel sudore sæpius solvitur: recens ab aere frigido, aquis vel alimentis soboleſcens, *periculi* est *expers*, brevique desinit: sed ominosa censetur diuturna, vel a causa interna prodiens; ubi præsertim vires deficiunt. Id genus censeri debet diarrhœa, quæ a mœrore fovetur; plane incurabilis, persistente causa, atque atrophiam lethalem post se trahens. Eo periculosior existimatur diarrhœa, quo dejectiones colore, & fœtiditate magis ab statu naturali recedunt: grave demum facessit negotium, si truculentioribus symptomatibus stipetur; febre nempe, cum siti ingenti, torminibus & tenesmo, anxietatibus & singultu, sudoribus frigidis & lipothymia, &c. Biliosa ad choleram morbum quandoque accedit, vel in dysenteriam facessit: adiposa, quam *colliquativam* vocant, marasmum post se trahit: purulenta nonnunquam salubris audit; cum sæpius abscessus intus latentes, ejus beneficio, exhauriantur: alias in obitum vergit. Diarrhœa in morbis acutis pro critica sæpius habetur; sed huncce typum minime præ se fert inprimis morbi temporibus: exitialem sæpius esse sub morbis pectoris supra declaravimus. Si nullum juvamen præstet hydropicis alvi fluxus, hos in orci fauces præcipites trahit. Siniſtri est *augurii* in vulneribus, & præsertim capitis. Haud inanem metum incutit utero gerentibus: puerperasque in vitæ discrimen trahit; phthisicos postremo tabidos conficit. Quod ad lienteriam attinet, luctuosa censetur in singulis ætatibus; sed senes brevi ad libitinæ rationem ducit. Fluxus vero cœliacus fauste judicatur, si a materiæ mucosæ prædominio ortum mutuetur: ubi vero a vitio quodam organico pendet, cogitandum de exequiis.

Sectiones cadaverum patefaciunt copiosiorem mucum primas vias conspurcantem; unde chylus ægre ad lacteorum oscula appellebat. In conspectum veniunt phlogoses, ulcera, maculæ gangrænosæ & putredines, tum in stomacho, tum in tubo intestinali, cujus tunica bombycina abrasa sæpius deprehenditur. Ventriculus nonnunquam intestini instar contractus occurrit. Post diarrhœam a dysenteria prognatam conspiciuntur cicatrices numerosissimæ, vel occallescentiæ, quibus præcludebantur venarum lactearum oscula. Inveniuntur intestina mutuo connexa, vel in unam massam coeuntia, inflammata, tuberculosa, scirrhosa, gangrænosa & perforata. Hepar nunc mole ampliſſimum, nunc exiguum, vel plus æquo contractum, scirrhosum, induratum & quasi elixum, aridum & friabile; phlogosi correptum; abscessus, tumoresve cysticos & vermes recondens; tuberculis refertum vel putridum cernitur. Vesicula fellea bile æruginosa & nigricante, vel concretionibus lapideis fœta annotatur. In apricum venit lien stupendæ magnitudinis, occallescens, putridus, vel pultis instar levi attactu diffluens. Obvium fit pancreas scirrhosum, ejusque ductus secretorius lapillis scatens deprehenditur. Obstructæ & ingentes reperiuntur glandulæ mesenterii, quarum plures avellanæ molem mentiuntur. Epiploon crassissimum & scirrhosum, vel putredine confectum observatur. Tumores insuper diversæ naturæ, stagnationes sanioſas & purulentas, aliave tum abdominis, tum pectoris vitia, quæ parum ad rem nostram pertinere videntur, consulto missa facimus. Haud absimiles ferme læsiones conspiciuntur in lienteria extinctis; annotantur præsertim intestina crassa & callosa, putrida & gangrænosa; mesenterium infarctum, abscessum recondens, putridum, &c.

Sævientibus doloribus, nonnullos juvat *venæ sectio*; dummodo tamen vires ferant: alias inanem operam ludit, vel noxam

noxam infert. Vomitu ſpontaneo diarrhœam ſiſti jam ſupra notavimus; hinc proficua fore *emetica* pronum eſt credere, & experientia quotidiana teſtatur: huc ſpectat radix braſilienſis, quæ, nemine diſcrepante, adverſus alvi fluxum cæteris vomitoriis antecellit. Nec minorem opem præſtant *cathartica* blandiora, rheum nempe, tamarindi, mirobalani, manna & caſſia, quæ feceſſum blande movendo, diarrhœam ſæpius cohibent. His præmiſſis omnem implent paginam, in diarrhœa bilioſa, alterive cauſæ calidæ ſubmiſſa, refrigerantia; acetoſa nimirum, aqua ſucco limonum, vel ribeſiorum imprægnata; ſerum lactis, nitrum, &c. quæ alvi fluxum a debacchante bile tuto refrænant. In eodem caſu, æque ac ſub hypercatharſi, hac diarrhœæ ſpecie ab imperitis artificibus excitata egregie ſe gerunt ſedantia narcotica; laudanum nempe, diacodium, tinctura anodyna, pilulæ de cynogloſſo, &c. Sed inertia ut plurimum eſſe hæc poſtrema medicamina in alvi fluxu ſeroſo, aliiſve ſpeciebus, experiundo didici.

Quibus peractis, *ſtomachica* in uſum trahere licet, inter quæ pro uſitatioribus habentur abſinthium & centaurium minus, cortex peruvianus, cinnamomum & caſſia lignea, diaſcordium & theriaca, vinum cypreum, hiſpanicum, &c. Morbo hiſce omnibus remediis obſurdeſcente, præſcribere licet adſtringentia, pervincam nempe, balauſtia & roſas rubras, tormentillam & ſimaroubam, ſumac, cynorrhodon & corticem granatorum, catechu, ſanguinem draconis & acacia; ſyrupum magiſtralem, de roſis ſiccis, cydoniorum, &c. quibus addere licet martialia, quæ præter adſtringendi vim, alia munia obire valent. Nonniſi tamen ſumma cautela in uſum vocentur adſtringentia, ne lupus, ut inquiunt, ſtabulo includatur: quæ ſcilicet intempeſtive, vel citius quam par erat, uſurpata, phlogoſes, infarctus, vel obſtructiones, alvi fluxu domando longe periculoſiores, accerſere queunt: adeo ut nil felicius ſæpe excogitari poſſit inter exhibenda hæc inopportuna præſidia, quam ut nullum effectum exerant. Lac poſtremo, omnibus incaſſum tentatis, pro clinicorum votis ſæpiſſime ſuccedit; nec minus auxilium præſtant aquæ minerales, Forgienſes nempe, Plumberianæ, Borbonienſes, Arcimbaldicæ, &c. ad quas quaſi ad ſacram anchoram confugere ſolent Medici. Quod ad diarrhœam febrilem attinet, laudantur demulcentia, ſerum lactis ſcilicet, aqua pulli & oryzæ, decoctum album, &c. Proſunt quoque laxantia, caſſia nimirum & manna; nec vetantur hypnotica, diacodium puta, laudanum, diaſcordium, &c. Sæpius poſtremo conferunt lapilli cancrorum fluviatilium, corallum, aliaque abſorbentia: nec poſthabentur diaphoretica, inter quæ præſtat kermes minerale.

Eadem ferme methodo *curatur lienteria*, cui magis congruere videntur abſorbentia & ſtomachica, inter quæ uſitatiora audiunt teſtacea & corallum, abſinthium, rheum, cortex peruvianus, nux moſchata, mala cydonia, panis toſtus vino generoſo irroratus, &c. Quod ad *fluxum cœliacum* ſpectat, pluris habentur, præmiſſis præmittendis, rheum, abſinthium, centaurium minus, aliaque amara: ſed ubi, ſub hocce morbo, de meſenterii obſtructione quædam emergit ſuſpicio, martialia, aliaque aperientia opportune exhiberi queunt. Enemata inſuper demulcentia, ſedantia, vel adſtringentia pro re nata & circumſtantiis haud inanem operam ludunt in quavis alvi fluxus ſpecie. Nec deſpicienda topica roborantia regioni epigaſtricæ admota. A ſudoribus arte concitatis vel ſpontaneis diarrhœam ſæpius ſolvi, ſupra notavimus: hinc infertur proficuas eſſe corporis exercitationes, peregrinationes, & frictiones; quibus addere licet balnea calida, induſia e panno laneo tenui contexta, aliaque id genus perſpirationem promovere ſolita. Connubium denique pluribus profuiſſe nemo neſcit: ſed omnibus hactenus traditis forte præſtat exquiſita victus ratio; vetantur enim animalium carnes, fructus crudi, acetaria, &c. Conſtat inſuper innumera remedia, etſi probatiſſima, adverſus diarrhœam ſæpius incaſſum adhiberi; adeo ut ægri diuturniori & infauſta curatione pertæſi totum negotium naturæ committant; vel ad anilia medicamenta haud raro efficaciora con-

confugiant; ni agyrtarum consiliis obtemperent.

ALVI FLUXUS CRUENTUS.

NON secus ac diarrhœa, *triplicis est sortis*; dysentericus nempe, hepaticus, & gastro-mesentericus; quibus addere licet fluxum hæmorrhoidalem, quo diarrhœæ sociato plures decipiuntur. Ut a *dysenteria* exordium capiamus; nunc acuta, nunc chronica, epidemice sæpius grassatur, extrema præsertim æstate, vel sub autumnali tempestate, ac adveniente hyeme mitescit. Ab horrore & febre ut plurimum *orditur*; quæ excipiunt sitis, tormina & æstus interaneorum, dejectiones mucosæ, adiposæ, saturate luteæ, porraceæ & cruentæ; frequens desidendi cupiditas, &c. quibus *signis facile* distinguitur a fluxu hepatico, mesenterico & hæmorrhoidali. Sed haud semper dilucide patent hæc discrimina, ob innumeros propemodum gradus, quibus se proferunt prædicti affectus. *Febris dysenterica*, ineunte morbo levis, ita sensim invalescit, ut sæpius prædominium obtineat; vel morbus pro febre mali moris, alvi fluxu cruento stipata habeatur. Dejectiones primo biliosæ, dein sanguine intermixtæ annotantur: interea de ore sordido, cibi fastidio, pervigilio & virium prostratione conqueruntur ægri. Nonnullos angunt cardialgiæ, vomitus & flatulentia: quibus procedentibus secessus fiunt mucosi, pici liquidæ similes, sanioſi vel purulenti; imo & sæpius dejiciuntur carunculæ, intestinorum ramenta: nonnunquam demum lienteriæ particeps videtur prædictus affectus. Illud notandum incumbit, quod in nonnullis epidemiis dejectiones incruentæ se præbeant, vigentibus cæteris morbi phænomenis; adeo ut cholera tum parum discrepare videatur; præsertim si accedat vomitus; hinc minime mirum, si sub utroque titulo ab Auctoribus adumbretur hic affectus.

Dysenteria, alia mitis, febris scilicet expers, nullaque post se trahens procellosa symptomata, benigna vocitatur; alia truculenta & contagiosa, ob sæviora, quibus stipatur symptomata, maligna audit: qua vigente excandescit febris; sanguis sincerus nonnunquam dejicitur; lingua patet arida, muco obducta & multifariam hiulca; os ulcusculis vel aphthis defœdatur; erumpunt vomitus enormes; ac cutis exanthematibus purpureis nonnunquam signatur. Quibus addere licet singultum, delirium, convulsiones, aliaque atrociora symptomata febrem malignam concomitari solita. A doloribus circa umbilicum sævientibus, non secus ac a dejectionibus liquefactis, vel dilutioribus, intestina tenuia affici haud falso conjicitur: sed morbus sensim ad crassiora pertingit; acerbioremque tenesmum infligit, ex quo nonnunquam emergit ani prolapsus: imo & in quibusdam macie confectis paralysi tactus podex, hians vel patulus, fœdissimo aspectu, remanet. Dysenteriæ *obnoxii* sunt arthritici & scorbutici: præsertim si legum diæteticarum obliviscantur. Hanc *promovent* febris biliosa; aqua nivea, fructus horarii, aliaque alimenta pravæ notæ; cathartica drastica; aer castrorum, nosocomiorum & carcerum, vel hominum frequentia inquinatus. Notare expedit, haud jure incusari fructus inter epidemicam constitutionem; cum potius sint saluberrimi; dummodo tamen sint maturi & optimæ notæ, annuente clar. Tissot, cujus opinioni multiplici experientia edocti inhæremus.

Inter rariores morbos recenseri debet *fluxus hepaticus*: ni, uti mos est, hoc titulo insigniantur affinia profluvia. Genuinus se prodit dejectionibus subcruentis, vel loturæ carnium similibus: ac febre lenta stipatur, non secus ac cibi fastidio, & oris amaritie: præterea erumpunt flatus; minguntur urinæ biliosæ; tumet cum dolore & renitentia hypochondrium dextrum; facies colorem subluteum induit; ingruunt tussis & spirandi difficultas; sanguis demum e naribus, vel ore prosilit. Nonnulli, inter recentiores, hunc affectum pro quodam fluxu hæmorrhoidali interno perperam habuerunt: sed observationes e *cadaveribus* depromptæ arguere videntur, hepar haud immerito a Veteribus incusari. Sanguis insuper e vasis hæmorrhoidalibus, vel internis prodiens sincerus, & nusquam fæcibus alvinis intime per-

permixtus dejicitur. Adde quod icterus, hepatitis, aliique jecoris morbi fluxum hepaticum sæpius post se trahunt; cui præterea hypochondriaci de hepate perpetuo queruli *obnoxii* censentur.

Alius occurrit *alvi fluxus cruentus*, sub quo sanguis majori sæpius proventu egeritur, a dysenterico, hepatico, & hæmorrhoidali summe discrepans; quem ob suam duplicem prosapiam *gastro-mesentericum* vocitare lubet. A disruptis vasis gastricis, vel mesentericis oriri hancce hæmorrhagiæ speciem docet autopsia cadaverum: hinc intelligitur, cur vomitum cruentum plerumque excipiat. Sanguis per podicem excretus a diversa in primis viis mora, & a varia morbi sede, nunc scilicet in stomacho, nunc in gracilioribus intestinis, vel in crassioribus, sub multiplici conspectu se profert. Ideo vel sincerus & floridus deprehenditur, vel fæcibus alvinis probe mixtus & fæculentus observatur: alias inodorus & graveolens occurrit; ob minorem scilicet vel longiorem quem percurrit tractum, priusquam per podicem foras amandetur. Etenim ratione moræ in tubo intestinali diversum colorem induit; variumque fœtiditatis gradum contrahit; atque ex hocce putrido latice infensissimum quoddam haud raro emergit deleterium, quod non solum lipothymias accersit, sed etiam infert. E dejectionum atro colore *morbum nigrum* ab Hippocrate dictum fuisse fluxum gastro-mestericum, jam supra notavimus; ad quem *proclives* esse melancholicos & scorbuticos norunt practici. Traditis addere licet, sanguinem nonnunquam, trans vasorum intestinalium latera, per diapedesim, vel transudationem excerni; unde prodit fluxus quidam mesentericus dilute rubens, non secus ac fluxus hepaticus: sed utriusque signa omne dubium solvunt. Notare juvat, bilem atro-viridem nonnunquam per podicem excerni, rite distinguendam a mero sanguine; cum haud rarus de hac re sit error in autopsia.

Nil ferme *metuendum de dysenteria* miti: sub gravi vero, erumpentibus sudoribus, sanitatis spes affulget. Periculosæ est res aleæ, si exacerbetur febris, tyrannidem exerceant tormina, vires obruantur, erumpat vomitus, exsurgat singultus, se prodant aphthæ & venter subsideat: si dejectiones supra modum fœteant, vel pure scateant, cum tunicæ villosæ ramentis: si demum procedentibus cæteris symptomatibus dolores plane desinant, artus frigeant, &c. Ubi sævientibus circa umbilicum doloribus sanguis majori proventu excernitur, imminet intestinorum gracilium inflammatio, quæ ad ultimam rerum lineam ducere solet. Dysenterici, quorum dejectiones atra bile inquinantur, intra quatuor dies plerumque moriuntur; vel superato quatriduo incolumes evadunt. Gravem etiam metum incutit dysenteria infantum & senum; cachecticorum, scorbuticorum & puerperarum. Scire juvat, hunc affectum sublatum sæpius recurrere; ni congrua victus ratione præcaveatur reditus: alias in diarrhœam contumaciſſimam faceſſit. Porro ab intempestive cohibita dysenteria materiam morbosam irruere ad hepar, quod purulentia afficitur, vel ad artus, qui arthritide impediuntur, post Hippocratem observarunt clinici: quibus addere licet, asthma & hydropem similem haud raro prosapiam ducere. De *dysenteria incruenta*, (*dysenterie blanche*,) haud minus ominosa, quæ a cholera vix discrepat, supra actum fuit. Minorem sane sævitiem exercet *fluxus hepaticus*; sed longe pertinacior evadit, cachexiamque, hydropem & marasmum sæpius post se trahit. In ancipiti versatur fluxus *gastro-mesentericus* ob majus sanguinis dispendium, vel contractam a diuturniore hujusce laticis mora putriditatem; e qua duplici causa graviora emeregere symptomata supra notavimus. Calamitosa censetur, si febri putridæ, aliove morbo ancipitis eventus societur. Ejus demum reditum cavere debent, qui unam vel alteram accessionem passi sunt.

Sectis dysenteria extinctis, patet bilis porracea, fusca vel atra, nidulans in propriis receptaculis, & in intestinorum cavo. Hæc viscera chartæ pergamenæ instar arida, flatibus ultra modum turgida, phlogosi correpta, vermibus scatentia, pure deturpata, ulceribus exesa, sphacelata & dilacerata deprehenduntur. In ipsis etiam percipiuntur tubercula, scirrhi, occalle-

scen-

scentiæ, pustulæ varioloſæ, &c.: mutuo demum accreta, vel invicem agglutinata cernuntur. Multifariam læditur ventriculus, qui scilicet ulcusculis confossus, infarctus, scirrhosus, &c. conspicitur. Hepar livore affectum, a naturali magnitudine recedens, densum & firmius, necrosi correptum vel putridum, oculis subjicitur. Mesenterium infarctum, purulentia tactum, & gangræna detentum occurrit. Omentum subviride, scirrhosum & putredine absumptum se offert. Porro lien tumidus, pultis instar diffluens, annotatur. Ut de aliis læsionibus, & de varia colluvie circa viscera fluctuante sileamus.

Fluxu hepatico denati exhibent hepar partim putridum, vel hac labe plane confectum; ejusque proprium involucrum sacci instar materiem sanioſam, vel loturæ carnium similem, sæpius continens. In nonnullis inflammatum & infarctum absque putredine deprehenditur prædictum viscus: num postremi genuino fluxu hepatico laboraverint, dubitare licet. A perspecta hepatis defœdatione, nonne colligere datur fluxum hepaticum a putrida hepatis solutione præcipue pendere? Sed per quam viam hæc materia ad tubum intestinalem appellat? haud obvium fit. Si tamen conjecturæ locus sit; hanc colluviem, ductus biliaris notissimi ope, in intestinorum cavum eructari existimamus; licet haud dilucide pateat quomodo, post tantam visceris stragem, integræ serventur prædicti vasis propagines. Illud postremo minime reticendum; quod hepar simili corruptela tactum nonnunquam deprehendatur; nullo tamen prævio fluxu hepatico: quod forte a dirutis vel obliteratis prædictis ductibus secretoriis, vel a denegato hujusce materiei aditu ad intestina, referri debet.

In *fluxu gastro-mesenterico peremptis* observantur jejunum & ileum phlogosi correpta, flatibus turgida, ac maculis gangrænodeis signata: sed supra omnia annotatur colon flatulentia ultra modum expansum. Colluvies nigra, sanguinea & graveolens totum tubi intestinalis tractum conspurcat, quæ in pluribus majori copia intra ejus cavum colligitur. Annotantur omentum absumptum; hepar parvum, cum vesicula fellea flatu turgida. De sede morbi nil certi statui potest; cum nunc in ventriculo, nunc in intestinis gracilibus observetur; alias in crassioribus reperitur; sed crebrius in cæco, supra quod ne minimum sanguinis vestigium tum apparet. Insuper epiploon & mesenterium emaciata & contracta deprehenduntur: hepar in nonnullis infarctum, scirrhosum vel aridum conspicitur: lien marcidus & putridus occurrit: vasa splenica & mesenterica, nunc ultra modum turgida; nunc exinanita oculis subjiciuntur: sed notare expedit quod hæc omnia vitia in multis etiam detegantur, qui fluxum mesentericum nunquam passi fuere.

A venæ sectionibus primo auspicanda *dysenteriæ curatio*; dummodo pulsus & vires sinant, nec vetet constitutio epidemica. Depletis vasis, præsentaneam opem fert emeticum: ipecacuanha quæ in hocce casu specifici titulo gaudet, vix cæteris præstat: nec forte conducibilius vitrum antimonii ceratum; etsi nostra ætate summis præconiis celebratur; quod tamen, ni fallor, jam exolescere videtur. Tuto præcipiuntur laxantia, manna scilicet & tamarindi, rheum & catholicum. In latissimum usum trahuntur demulcentia, aqua nempe pulli & vituli, oryzæ & hordei; serum lactis; decoctum album, oleum amygdalarum dulcium, sperma ceti, &c. nonnullis arridet, ni obstet febris, lac coctum cum triplici aquæ quantitate & larga manu exhibitum. Suas laudes etiam merentur refrigerantia; aqua nimirum succo limonum vel nitro imprægnata; decoctum pimpinellæ & consolidæ majoris, &c. Plures demum curatos vidi sola adhibita aqua simpliciſſima per nonnullos dies: nonnunquam tamen expedit ut præmittantur generalia: alias omnium vices explet illud remedium, quod in majori morborum ineuntium parte par sane non habet.

His præmissis, præclara munia obeunt *sedantia*; tum paregorica, ut camphora & liquor anodynus mineralis; tum narcotica, ceu laudanum, syrupus de papavere albo, guttæ anodynæ Sydenhami, aliaque id genus, quæ etiam catharticis opportune sociantur; dummodo tamen nulla mo-

veatur gangrænæ ſuſpicio. Conducunt vulneraria & balſamica; hypericum nempe & pervinca, balſamum copahu & Lucatelli, aliaque conſimilia. Nonnullis proſunt diaphoretica, uti ſcorzonera, china radix, guaiacum, &c. Proficue etiam adhiberi queunt abſorbentia vulgatiora: ſed ſolerti manu tractari debent ſtomachica & adſtringentia, quibus opportune adhibitis curatio plerumque abſolvitur: in hunc cenſum numerantur roſæ rubræ & balauſtia, tormentilla, & ſimarouba haud immerito a neotericis celebrata, acacia, maſtiche, alumen & martialia, diaſcordium, theriaca, &c. Nemo demum non novit ſingularem diætæ lacteæ efficaciam; egregiaſque aquarum Forgienſium, aliarumve mineralium frigidarum vires, quæ poſt varia remedia, vel exquiſitiora, incaſſum uſurpata, ægrotantium vota explere valent: nec latet quantum conferat cœli mutatio, quæ ſola plures conclamatos ab orco revocavit.

Minime prætermittenda ſunt *enemata* demulcentia & detergentia, quæ ineunte morbo & per totum curationis curriculum opportune injiciuntur: demulcentia primis morbi temporibus magis congrua parari ſolent e lacte, juſculo omaſorum, vel capitis vervecini; e decocto althææ, verbaſci, ſeminum lini, &c. Hæc excipiunt detergentia, quæ ingrediuntur hypericum & pervinca; roſæ rubræ, ſaccharumque cognomine; ovi vitella, mel, terebinthina, &c. quibus haud infauſte ſæpius ſociatur camphora. Sed debilem opem præſtant *topica*, tum emollientia tum roborantia; ni quaſdam impetrent inducias. Hæc ſunt præſidia adverſus quamvis dyſenteriæ ſpeciem uſurpari ſolita; ſed ratione circumſtantiarum, ſelectu opus eſſe nemo non intelligit: ideo ſi ad malignitatem, ut inquiunt, vergat hic affectus; ad compoſitam methodum ſe conferre expedit. His addere lubet quod eadem curandi ratio haud ſingulis *conſtitutionibus epidemicis* congruat; cum raro ſibi ſimiles obſerventur: venæ ſectio, verbi gratia, pro quadam cœli intemperie, vel diverſa morbi natura, nunc ſalubris, nunc exitialis deprehenditur: idem dicendum de ipecacuanha, ſimarouba, lacte, &c. Ideo nil non movendum ut prius innoteſcat morbi, vel miaſmatum in aere latitantium, indoles: alias caute explorari debent remedia; cum ſæpe ſæpius haud niſi poſt varia tentamina, ad curationem pateat aditus. Poſtremo caveant hoc morbo convaleſcentes æſtuoſas mentis & corporis exercitationes, aerem frigidiorem, cupedias, inconditamque victus rationem; quæ ſunt totidem cauſæ morbi reditum promovere ſolitæ.

Quæ dicenda ſuperſunt de *fluxus hepatici & meſenterici medela*, paucis complecti cogit obſervationum penuria. Ut igitur a fluxu hepatico exordium capiamus; ex omnibus de hac re traditis, & noſtris animadverſionibus, colligere datur varias plantas temperantes, aperientes & amaras, haud immerito hepaticas a veteribus vocitari, cum nil forte efficacius, præmiſſis præmittendis, reperiatur adverſus prædictum morbum; dummodo tamen haud altas egerit radices: ſelectiora & uſitatiora audiunt hepatica, agrimonia, cichorium, dens leonis, & lingua cervina; centaurium minus, rheum, &c. Nonnulla etiam pro re nata in ſubſidium vocantur præſidia, nempe abſorbentia & ſtomachica, aperientia validiora & ſudorifica; quæ pluribus bene ceſſiſſe videntur. Sed lac tempeſtive adhibitum, conſentiente ſtomacho, equiſitiorum remediorum vires æmulari, experiundo didici. Quoad *fluxus gaſtro-meſenterici curationem*, primo danda eſt opera ut foras elutrietur ſanguis in tubo inteſtinali nidulans; ne diuturniori mora putredinem contrahat: ſola tamen enemata in hunc ſcopum adhibere licet; nec ſine cautela ſunt præſcribenda; ne foveatur hæmorrhagia. Quibus peractis egregiam opem conferunt antiputrida acida, quæ non ſolum hæmorrhagiam ſiſtere; ſed etiam ſanguinis ſtagnantis corruptelam inhibere queunt: aqua pulli vel oryzæ-ſucco limonum vel eſſentia *Rabel* imprægnata, cæteris ſane antecellit. Nonnullis profuerunt balſama naturalia, peruvianum nempe, tolutanum, &c. Decoctum chamæmeli intus adhibitum, vel per podicem injectum egregiam etiam opem præſtitiſſe traditur. Hanc curationem claudit medicamen catharticum; quod tamen ea lege præſcribitur, ut recidivæ periculum minime incurrant ægri.

Plu-

Plura circa hujuſce poſtremi morbi indolem & medelam accurate exarata proſtant in diario medico menſis Marti anni 1758 & Decembris 1760, quæ conſulere expedit.

TENESMUS.

Sic vocitari frequentiorem deſidendi cupiditatem nemo neſcit: nunc ſolummodo irritus eſt egerendi conatus; nunc excernuntur una cum fœcibus materies mucidæ, cruentæ vel purulentæ. Teneſmus (*épreintes*) dyſenteriam, ut ſupra innuimus, & diarrhœam concomitari ſolet. Hunc etiam *promovent* calculus veſicæ, vel ſtranguria a quacumque alia cauſa orta. Progignitur & fovetur ab hæmorrhoidibus, & aſcaridibus; ani exulceratione, fiſtula, &c. Teneſmus gravidarum haud *periculo* vacat, ob imminentem ſcilicet abortum. Cæterum ratione morbi primarii cujus eſt ſymptoma, varia inſtitui debet *prognoſis*; in cujus accurato conſpectu præcipuum verſatur curationis momentum.

Haud deſunt tamen congrua quædam *medicamina*, quæ ſub quavis cauſa vellicationem compeſcere valent: id genus ſunt emulſiones, aqua pulli vel oryzæ, ſerum lactis vel ipſumet lac, &c. nec inopportuna ſunt laxantia blandiora; manna nimirum, caſſia, tamarindi, rheum, &c. Fauſte etiam in uſum vocari queunt abſorbentia, non ſecus ac varia præſidia dyſenteriæ dicata, quæ teneſmum, cæteris conſentientibus, ſedare queunt. Sed præcipuam opem conferunt remedia externa, inter quæ primatum ſane ducunt enemata vulgatiora, demulcentia & detergentia, in quibus coquere licet, ſi nil impediat, capita papaveris albi. Felici etiam ſucceſſu uſurpantur ſemicupia, fotus emollientes & reſolventes, quibus ſane palmam præripit decoctum florum ſambuci ex lacte. Haud minus auxilium præſtat vapor aquæ calidæ, vel decocti althææ, verbaſci, aliarumque ſtirpium affinium. Pluris poſtremo habentur unguentum populeum, linimenti inſtar admotum, ſebum cervinum, oleum ovorum, aliaque conſimilia.

ALVUS ADSTRICTA.

Multi occurrunt utriuſque ſexus qui haud niſi poſt triduum, quatriduumve, alvum exonerant: nec deſunt quorum venter per decem aut duodecim dies occluditur; etſi pluries ſtimulantur ad ſeceſſum: nonnulli ob victus parcitatem, ſemel tantum, ſine ſanitatis diſpendio in hebdomada alvi purgamenta emittunt. Quidam ſani & liberaliter comedentes haud crebrius dejiciunt. Mentio ſubjicitur de quadam femina quæ intra duas treſve ſeptimanas ſemel tantum alvum deponebat: item de quodam ſacerdote, alias ſaniſſimo, qui nuſquam, ab infantia, niſi poſt viginti quatuor dies alvum exonerabat; cujus fæces caprarum ſtercori erant ſimiles. Sed rariſſima eſt diuturnior alvi adſtrictio, ni alimenta plane deficiant. Haud *periculo* vacat alvus plus æquo compreſſa; quin potius varia incommoda poſt ſe trahit; imo & graviores morbos accerſit: conqueruntur enim difficillime excernentes de flatulentia, hæmorrhoidibus, torminibus & anxietatibus; de oris amaritie & cibi faſtidio. Tumet nonnunquam abdomen cum calore moleſtiſſimo, nonnunquam accedente tympanitide; caput vertigine, doloreque gravativo afficitur; reſpiratio nonnihil impeditur; vireſque obruuntur. Sunt qui tanto niſu alvum exonerant, ut ſanguis e naribus proſiliat. In nonnullis excandeſcit febris, cum ſiti, anorexia, &c. Præterea ani prolapſum, vel ſanguinis profuſionem, animique deliquium poſt ſe trahit pertinacior alvi tarditas. Ex eodem fonte quandoque prodeunt imi ventris inflammatio, ileus, epilepſia, apoplexia, &c.: priori tamen parti nil ſanitati demit alvus ignava; quæ familiaris eſt melancholicis & hyſtericis, ſcorbuticis & arthriticis: hæc litteratis impendet morboſa diſpoſitio; quam demum promovere ſolent ſudores copioſiſſimi, diæta lactea, &c.

Ab *exenteratione cadaverum* patent inteſtina ingeſtorum copia, fœcibus induratis, materiaque quadam mucida, exſiccata, ultra modum infarcta & diſtenta; flatuumve uberrimum proventum recondentia, vel diverſimode internexa; tuberculis confer-

tim aggestis obstructa; ac lapides foventia. Duodenum præcipue digestionum reliquiis obrutum deprehenditur. Colon, cæteraque crassiora intestina fæcibus compactis & quasi lapidescentibus obstructa comperiuntur. Repertum fuit colon nucleis ceraforum & persicorum, ad trium plus minusve librarum pondus infarctum; vel ventriculi instar dilatatum, & in fine ampliationis coarctatum; ac annulo carnoso sphincteris instar constrictum. Occurrunt in intestino ileo sarcoses ingentis molis; occallescentiæ, vel tumores quidam cartilaginis naturam quasi referentes, quibus tubus coarctatur, vel plane occluditur. Annotatur tubi coalitus a mutuo utriusque lateris exulcerati contractu. Visenda se præbent prædicta organa putrida & gangræNosa; nec raro dilacerata, cum materierum huc antea collectarum stagnatione in abdominis cavo. Passim inibi observantur rugarum coalescentia, vel cicatrices quibus angustatur canalis. Colon in immensam molem assurgens a situ dimovetur. Similem ferme amplitudinem etiam assequitur rectum; quod sæpius materia quadam subalbicante, & quasi gypsea repletur; vel tumori scirrhoso obturatur; ac demum vesicæ implantatur. Insuper ventriculus, haud raro e sede depulsus cernitur. Annotatur hepar scirrhosum, cum vesicula fellea nunc exinanita, nunc bile turgida, vel lapideis concretionibus fœta. Detegitur pancreas ingens & induratum: occurrit lien mole portentosus, laxatis ligamentis pendulus. Obvium fit omentum crassissimum, putridum, & intestinis accretum. Passim animadvertuntur tumores e ventriculo, mesenterio, utero, vagina, aliisque partibus exsurgentes, quibus sæpius comprimitur tubus intestinalis. In apricum denique venit vesica lotio ad crepaturam turgida, vel ingentes calculos recondens. Quibus addere licet varias cerebri vel medullæ spinalis læsiones, quæ intestinorum paralysim post se trahunt.

Alvi adstrictio, qua functiones minime pervertuntur, *periculi* est expers, nullamque curationem expostulat: plura enim prostant longævorum exempla, vel secunda valetudine gaudentium, qui haud nisi post triduum, quatriduum & ultra, alvum deponebant. Sed aliter se res habet, si alvi pigritie, varia emergant incommoda, quæ phlogosim, ileum, colicam acerbissimam, hæmorrhoides furentes, ani prolapsum accersere queunt. Hinc nil non movendum ut opportunis præsidiis hæc præcaveantur infortunia: neminem ferme latet, quid tum factu opus sit; quod paucis perstringere expedit.

Nonnunquam conducit venæ sectio, præsertim in plethoricis, vel ad inflammationem proclivibus. Sed inter usitatoria *præsidia* recensentur diluentia & laxantia, veluti serum lactis; decoctum betæ albæ, mercurialis, lapathi, brassicæ rubræ, passularum, prunorumque damascenorum; infusum frigidum florum malvæ & althææ, oleum amygdalarum dulcium, cassia, manna, tamarindi, &c.: nonnullis prodest cortex peruvianus, refracta dosi singulis diebus exhibitus: alios juvat syrupus de gentiana, &c. Quibusdam optime cessit tartarus crudus ad ʒ VI. in jusculo exhibitus. Quod ad cathartica attinet, rheum nempe, sal polychrestum, rupellanum vel obsonienSe, folia orientalia, &c. raro præscribi debent; eo quod post absolutam, quam promovent evacuationem, alvus remaneat siccior.

Pluribus conferunt *panis fecalinus*, carnes animalium frigidæ, lac ab omni calore orbatum, olera, fructus horæi, fraga, uvæ, caricæ, poma cocta, &c. A nonnullis deprædicatur hauStus fecalinus, instar caffe paratus; vel panis tostus oleo eximio irroratus. Plures juvat aer matutinus in aprico inspiratus. Nec desunt qui cubitum ituri largum aquæ cyathum felici successu hauriunt, ut innumera anilia medicamina, haud semper despicienda, silentio prætermittam. Cæterum haud exiguam laudem merentur *enemata* emollientia & purgantia, quorum compositionem ingrediuntur oleum & butyrum; sal gemmeum vel culinare, diaphœnicum, catholicum, aliaque id genus electuaria. Sollicitatur alvus ope glandium, vel suppositoriorum e cereolis, lardo, sapone, melle cocto, butyro de cacao, &c. confectorum; quorum efficaciam augent sal gemmeum, jalapium, agaricus, aloe, colocynthis, euphorbium & id genus alia ipsis immixta, quæ alvum

vum ad ſeceſſum ſtimulant. Unguentum de arthanita linimenti forma abdomini admotum, & infantibus dicatum, parvi habent clinici: pluris vero habentur balnea & ſemicupia ſimplicia vel emollientia: ſed imparia ſunt hæc omnia præſidia ſuperando morboſo obici, ſi poſt inconſultum abſorbentium uſum, vel quacumque alia cauſa fæces ſicciſſimæ & induratæ ac quaſi lapideſcentes, inteſtino recto plus æquo dilatato hæreant; quo in caſu ſpatula lignea vel argentea, in anum immiſſa incidi debent, ut dein enematum præſidio everrantur. Novi nobiliſſimam mulierem quæ huicce auxilio ſenſim aſſuefacta, haud alia arte alvum pro lubitu bis, terve per hebdomadam exonerabat. Haud deſunt poſtremo qui miſſis omnibus præſidiis Medicis alvum ex voto referant, pedibus nudis aliquantiſper obambulando; etſi colici doloris periculum ſæpius incurrunt.

COLICUS DOLOR.

AB inteſtino cognomine nomen ſortiri hunc affectum evidens eſt: ſed poſthabita etymologia ſic vocitari ſolent quicumque fere dolores acuti abdomen obſidentes; quorum ſedes & indoles in cimmeriis plerumque latent tenebris: unde fit ut, quidquid de hac re ab Auctoribus traditur, obſcurum & intricatum, vel ſcholaſticis quiſquiliis refertum videatur. Hinc patet quam difficile ſit *genuinam colicam* ab ſpuria extricare; minime mirum ſi incauti, & judicio præcipites in errorem delabantur, quem prodit *autopſia anatomica*, luuntque ægrotantes. Inter tot ambages, Œdipo opus eſſet: ideo accuratiorem de hac re tractatum conſcribendum relinquimus iis, quibus volupe eſt hypotheſes fingere: quapropter ea duntaxat, licet nequaquam abſoluta, quæ e propriis adverſariis eruimus, rationi & experientiæ, uti nobis viſum fuit, magis conſentanea, laconico, pro inſtituto, ſermone tradenda ſuſcipimus. Itaque colici doloris nomine, hanc moleſtam vel acerbam ſenſationem intelligi volumus, quæ in hanc vel illam ſeriei inteſtinorum partem incumbit, quæ ſub quadruplici commate ſe ſiſtens, totidem *colicæ ſpecies* exhibet; *bilioſam* nempe, *flatulentam*, *ſpaſmodicam* & *ſaturninam*; de quibus ſigillatim agere expedit.

Colicam bilioſam produnt ſitis & oris amarities; interaneorum æſtus & materierum, vomitu, vel ſeceſſu ejectarum, notiſſima indoles. Dolor plerumque acerbus, nunc cuidam parti hæret; nunc ex una in aliam ſerpit, alias totum inteſtinorum tractum pervadere videtur. Circa umbilicum verſatur, ubi jejunum & ileum afficiuntur: ad dorſum refertur, ſi duodenum vel jejuni principium invadat: ſævit in epigaſtrica & hypochondriaca regione, vel ad inguina propagatur, quoties in colon irruit. Plures demum ægri de quadam conſtrictione abdominis, non ſecus ac fune arcte cingeretur, conqueruntur; & ſe præ torminibus morituros vociferantur. Vomitum & alvi fluxum ſæpius promovet colica bilioſa; quæ nonnunquam in ileum & choleram faceſſit; vel paralyſim & convulſiones poſt ſe trahit. Quidam denique, inter hæcce tormina, inteſtinorum ramenta egerunt; nec deſunt, uti obſervaſſe memini, qui integras tubi portiones foras elutriant. Breve eſt colicæ bilioſæ ſtadium; ſed ſæpius tanto cum impetu recurrit, ut inflammationem minetur, qua nil truculentius & periculoſior excogitari poteſt. Nonnunquam ob doloris ſitum pro colica nephritica habetur; ſed teſtium retractio dolorem renalem ab inteſtinali rite diſtinguit. Colica inſuper bilioſa vomitu & alvi fluxu compeſcitur; quæ evacuationes nullum ſub nephritica levamen præſtant. Urinæ poſtremo turbidæ minguntur in colica bilioſa; limpidæ vero obſervantur vel plane ſufflaminantur vigente nephreſi.

Duodenum ſæpius *adoritur colica bilioſa*; hinc minime mirum, ſi dolor in hocce inteſtino defixus pro cardialgia, colica hepatica vel nephritica ab imperitis ſæpius habeatur. Illud per tranſennam notare expedit, prædictum inteſtinum variarum febrium fomitem recondere; cujus dolores, meſenterii ope, ad dorſum tranſmitti ſolent. Ex eodem fonte etiam prodire videntur anxietates & dolores quæ vomitum bilioſum, choleramve prænuntiant. Non ſolum ab excandeſcente, vel exu-

exuperante bile infestatur duodenum; sed sæpius a vermibus inibi hospitantibus confoditur; bilis enim amarities quæ in cavum hujusce organi sincera profunditur, non impedit quominus hic commoretur verminosa progenies. Remittente morbo egeruntur fæces biliosæ; ac sæpius coagula ejusdem naturæ quæ e longinquo adspicienti sanguinea videntur.

Colica flatulenta a dispositione quadam spasmodica scaturiginem habere conjicere nil vetat; cum dubitare liceat num a flatuum præsentia, vel a constrictione quadam spasmodica, flatuum genesi favente, ortum ducat. Hinc parum, præ indole, discrepare videtur ab infra recensendis speciebus: sed ratione peculiarium symptomatum quibus stipatur; & pro diversa curandi methodo, hanc seorsim exhibere necessarium duximus. Hanc patefaciunt intestinorum rugitus & borborygmi, erumpentes ructus & crepitus, abdominis inflatio vel renitens intumescentia, quæ nonnunquam ita increscit, ut umbilicos coercendis intestinis impar ipsis egressum largiatur: hinc minime mirum, si ex hoc meteorismo emergat spirandi difficultas. Dolor plerumque vehemens raro peculiari parti infigitur: sed sæpius singulas abdominis partes pervadere videtur. Majorem tyrannidem exercet, si duodenum, cæteraque gracilia intestina obsideat: sed in plerisque, coli supremam partem, vel ventriculo incumbentem, impedit: unde ab stomachi, & hepatis doloribus ægre distinguuntur hæc tormina, præsertim si cum cardialgia implicentur. Oscitatio denique & alvi segnities; ac nonnunquam ileus, colicam flatulentam concomitari solent: nec raro cordis palpitationem, lipothymias, extremorum frigus, &c. post se trahit hic dirus affectus.

Colica spasmodica morbus haud infrequens causæ in ipsis nervis latitanti, qua ab affinibus discrepat, innititur. Cognitu sane difficilis est, ob variam sedem quam occupat, etiam in eodem insultu; adeo ut nunc colicam stomachi, nunc intestinalem; alias hepaticam vel nephriticam æmuletur: ac tanta est ad errorem proclivitas, ut iisdem ferme symptomatibus stipentur hæ singulæ dolorum species, vomitu nempe, alvo pigra, lotii suppressione, tremoribus, virium prostratione, anxietatibus, lipothymiis, sudoribus frigidis, singultu, convulsionibus, delirio, &c. Interea pulsus sub hocce morbo, parvus & durus, ac nonnunquam febrilis deprehenditur; respiratio fit anxiosa; dolores qui, uti jam innuimus, per totum abdomen divagantur, sæpius pacantur, ut recrudescant: citius tamen solvuntur, quam si a causa huic vel illi visceri hærente soboleſcerent. Sed minime reticendum sæpius implicari prædictos dolores; adeo ut hisce enucleandis impares plane sint vel solertiores; ni ægri constitutionis, vivendi generis, omniumque antecedentium sint rite conscii. Sæpius periodice invadit colica spasmodica, quam aliarum specierum instar, promovere solet soluta vivendi norma, præsertim in melancholicis & litteratis qui huic obnoxii censentur. Ut de pedum refrigeratione, aliisque causis fugacibus sileamus.

Colica saturnina, vulgo *colique des Peintres*, quæ pace Boerhavii, aliorumque celebriorum Auctorum, multum discrepat a colica Pictonum, in spasmodicorum classi locum sibi vindicaret, ni peculiarem, notissimamque causam agnosceret. Dolores ut plurimum remittentes sub hac specie, quandoque epidemice grassante, non solum stomachum, tubum intestinalem & mesenterium peragrant; vel peculiari horumce organorum parti, præsertim circa umbilicum, instar terebræ, obnixe hærent; sed etiam ad inguina, dorsum, pectus, &c. haud raro propagantur. Cæteris speciebus ferocior & contumacior observatur colica pictorum; cum ad duodecimum vel decimum quartum diem nonnunquam proteletur; & tanta sævitie misellos ægros discruciet, ut animum plane despondeant. Pulsus, hac vigente, contractus & apuretos exploratur: nausea vexantur ægri; vel ingentem saburræ biliosæ & subviridis copiam evomunt. In potiori parte, erumpunt ructus & crepitus: urinæ parce fluunt, vel sufflaminantur. Alvus sæpius ita occluditur, ut ægre injiciantur enemata. Venter subsidet, & umbilicus versus dorsum quasi retra-

trahitur; adeo ut musculi abdominales tetano laborare videantur; quod postremum signum pro pathognomonico nonnulli habent; cui addere licet ipsiusmet podicis introtractionem clysterum administratoribus summe conspicuam. Anxietatibus torquentur decumbentes, quæ non solum somnum arcent; sed etiam delirium cum furore, vel somnolentiam comatosam prænuntiant. Nonnulli horrore corripiuntur; alii dolores, contractionem vel stuporem in artubus patiuutur, quæ paralysim minantur: nonnullis a paroxysmi primordio contingit paralysis, quæ in aliis, declinante, vel prorsus cessante colica, subnascitur. Caput insuper exerit singultus: exsurgunt convulsines; erumpunt sudores frigidi & glutinosi: accedunt lipothymiæ, aliaque atrociora symptomata, in gravioribus morbis solemnia. In quibusdam erumpunt tubercula in dorso manuum, quæ si post fugatam colicam non evanescunt, recidivam minantur, ac periculi nusquam expers est subitus horum recessus: nec omnes sublato morbo pristinæ sanitati restituuntur; quin potius incidunt in asthma convulsivum pertinacissimum, ictterum, alvi fluxum, emaciationem, paralysim, &c. *Hisce signis* addere licet causam hujusce morbi notissimam; nempe virulentam plumbi materiem, quæ subjecta organa diversimode lacessit. Hoc virus hauriunt pictores qui varias plumbi præparationes in suis pigmentis adhibent: hoc caveant chymici & pharmacopolæ qui varia saturnina parant. Huic submittuntur operarii, diversis hujusce metalli operationibus indulgentes; necnon figulini qui illud pertractant. Hoc vitium demum contrahitur vino lithargyro adulterato, ut scilicet acidum, vel immaturum, plumbi ope gratiosus evadat; aqua in vasis plumbeis recepta & collecta; butyro demum cui immixta fuit cerusa, ut sub penuria ponderosius evadat.

Præter has *colicæ species* essentiales, innumeræ occurrunt *symptomaticæ*, quæ cum prædictis coincidunt: hypochondriacæ nimirum, hystericæ & scorbuticæ; non secus ac quæ ab alvi fluxu & dysenteria, ab hernia, imi ventris inflammatione, febribus malignis, &c. pendet. Colicam præterea accersunt præpedita perspiratio, mensium & hæmorrhoidum sufflaminatio, eruptionum retrocessus, materia arthritica & rheumatica sanguini remixta, calculus renum, dentitio, partus, &c. Hanc *promovent* emetica, purgantia drastica & venena; vinum acescens vel immaturum; vermes in tubo intestinali nidulantes; ingestorum copia, fæces coercitæ, pedum refrigeratio. Hæc tormina nonnunquam præeunt febrium intermittentium insultum, mensium profluvium, &c. Sed in hunc censum minime veniunt dolores hepatis, lienis, pancreatis, stomachi, renum, uteri, &c. qui pro colica sæpius perperam habentur. Addere lubet quod omnes fere colicarum, aliorumve dolorum abdominalium & fugacium species a soluta vivendi norma, quæ delitescentem causam evolvit, ut plurimum promoveantur.

Tanta vehementia & ferocia miseros ægros discruciat *colica saturnina*, ut vix effari possint: atrocissima etiam censeri debet *spasmodica*: alterutra enim correpti ejulatu totas ædes explent; quare minime mirum, si in vitæ discrimen nonnunquam trahantur. Haud tantam sævitiem exercere solet colica *biliosa*, minoremve *metum* incutit *flatulenta*, quæ brevi ut plurimum fugatur. Pro periculosiori & *pertinaciori* sane habetur colicus dolor, cujusvis sit sortis, partem quamdam dilanians, huicque obnixe hærens, quam is qui ex uno loco serpit in alterum. Singultus, horror & febris, anxietates, lipothymiæ, &c. inter colicæ cruciatus emergentes pro calamitosis symptomatibus habentur. Nemo nescit colicam nonnunquam facessere in ictterum, dysenteriam, choleram, phlogosim abdominis, ileum, &c. Vehementior insuper epilepsiam aliumve morbum convulsivum, stuporem & paralysim, cæcitatem, &c. post se trahit. Sudores postremo; sanguis erumpens e naribus, ano & utero; efflorescentiæ scorbuticæ, insultus arthritici, &c. colicam solvere queunt.

Fecundissima sane prostat *cadaverum historia* ad nostram rem exarata; qua patent non solum variæ strages huc pertinentes; sed etiam diversæ viscerum læsiones, quæ perperam ad colicum dolorem antea referen-

ferebantur. Itaque viſenda ſe præbent inteſtina ſcirrhoſa, pituita infarcta vel obducta; vicinioribus partibus, vel invicem accreta; phlogoſi correpta, abſceſſum recondentia, ulcuſculis exeſa, vel ſtigmatibus gangrænoſis defœdata; eorum vaſa plus æquo infarcta, & juxta horum viſcerum ambitum ſumme conſpicua. Inteſtina & præſertim duodenum, colonque, pellucida videntur; flatibus ſupra modum turgida, & nonnunquam dilacerata. Obiter de hac re notare juvat tubum inteſtinalem, non ſecus ac alia viſcera cava, nuſquam fere, poſt enormem dilatationem, priſtinum tonum recuperare: quod nuperrime obſervavi in viro quinquaginta annorum qui acerbiſſimam colicam quatuordecim abhinc menſibus paſſus fuerat: a quo tempore interaneorum dolore, obſcuro ſane, conquerebatur; cujus cadaver cultro anatomico ſubjectum exhibuit præcipuam jejuni partem ob ſtupendam dilatationem e genuina ſede depulſam, in decliviori parte ſideratam & dilaceratam; uti evenire ſolet in tympanitide. Gracilium inteſtinorum cavum, ut incœpta proſequamur, bile porracea, æruginoſa & nigricante; vel materia glutinoſa & purulenta ſcatet. Craſſiora ſcybalis compactis & exſiccatis impediuntur: ac colon in nonnullis ſenibus a coſtis ſpuriis plus æquo incurvatis ſuggillatum deprehenditur. Paſſim occurrunt per totum tubi tractum vermes; concretiones tum bilioſæ, tum lapideæ; diverſa corpora extranea deglutita; varii nuclei, nunc nudi, nunc cruſta quadam obducti, &c. tenuia inteſtina mutua adhæſione glomeramen quoddam ſæpius mentiuntur. Obviæ fiunt in utrorumque contextu occalleſcentiæ quibus tubus anguſtatur. In conſpectum denique veniunt coarctationes abſque cauſa manifeſta, quaſi a circumducto filo conſtringeretur canalis; ejus laterum coalitus. Crebrius hæc annotatur conſtrictio in fine duodeni; & familiaris eſt iis qui, dum viverent, inteſtinorum fragmenta egeſſerunt.

Præter hanc multiplicem *inteſtinorum labem*, patet ſtomachus phlogoſi tactus, flatulentia turgens, maculis gangrænoſis ſignatus. Reperitur meſenterium ſcirrhoſum & ſideratum; abſceſſus, tumores anomalos & hydatides recondens. Ante oculos verſatur peritonæum inflammatione, purulentia vel gangræna defœdatum; cruoremve in contextu cellulari colligens. In apricum venit epiploon craſſiſſimum, ſideratum vel putredine abſumptum; in glomeramen quaſi convolutum, colluviem cruentam vel ſanioſam continens: ejuſque vaſa infarcta & varicoſa occurrunt. Se offert hepar decolor, infarctu vel phlogoſi detentum, putridum ſtupendæ molis, tuberculis vel hydatidibus refertum; e quo nonnunquam prodeunt tumores cyſtici, alteriuſve naturæ: repertum fuit hoc viſcus in thorace ſitum. Veſicula fellea nunc bile tumet, nunc recondit concretiones lapideas; quibus ductus communis haud raro obturatur: alias exinanita, & corrugata, vel diſrupta, cum ſtagnante bile in abdominis cavo, conſpicitur. Cernitur lien pallidus, tumens, e loco depulſus, & ad pelvim quaſi delapſus. Pancreas ſcirrhoſum, inflammatum, pus colligens, ulceroſum, ſphacelatum vel putredine confectum annotatur. Nonnunquam demum invenitur aorta, e qua originem ducunt cœliaca & meſenterica ſuperior, ultra modum dilatata. Ut de varia renum, veſicæ, capſularum atrabilarium, &c. labe, de variis tumoribus & abſceſſibus incertæ ſedis, & diverſis ſtagnationibus familiaribus, tum in abdomine, tum in pectore, vel in theca ſpinali; de viſceribus tranſpoſitis, ſileamus. Sed minime reticendum quod poſt colicam ſpaſmodicam recentem, nil vitii, præter flatulentiam conſpiciatur. Equidem haud multis abhinc annis graſſabantur Verſaliis inſultus colici, qui plures rapiebant, ſub quorum exenteratione nil notatu dignum occurrebat. Ad ſummam luce clarius patet a tradita cadaverum e colica denatorum hiſtoria, licet contracta, plura organorum vitia, de quibus poſt ſcriptores mentionem ſubjecimus, ad nullam colicæ ſpeciem pertinere.

Nemo neſcit omnes fere colicæ ſpecies iiſdem telis impugnari, nempe venæ ſectionibus, emeticis & catharticis; diluentibus, lubricantibus, demulcentibus & anodynis; balneis, topicis emollientibus, lin-

linteis calidis, &c. Nec adversus sola tubi intestinalis tormina usurpantur hæc *præsidia*, sed etiam adhiberi solent sub renum, hepatis, aliorumque viscerum abdominalium doloribus. Nec futilia, sub hisce omnibus morbis, censeri debent; cum horum ope compescantur cruciatus abdominales, cujusvis sint sortis & cuicumque parti hæreant: atque eo pacto minus sint pertimescendi imperitorum, a veri tramite circa morbi naturam & sedem deflectentium, allucinationes. *Diversa* tamen debet esse *curandi methodus*, non modo pro parte affecta & morbi indole; sed etiam ratione innumerarum circumstantiarum, quæ citra piaculum a clinicis posthaberi nequeunt. Hinc medendi rationem singulis colicæ speciebus congruam tradere consultius nobis visum fuit.

Experientia constat magis profuturas esse *venæ sectiones in colica bilioſa*, quæ sæpius inflammationem minatur, quam sub cæteris; licet temperie biliosa præditi sanguinis missionem ægre ferant; sed urgentiori succurrendum. Conferunt diluentia & demulcentia, aqua nempe pulli & vituli, serum lactis, oleum amygdalarum dulcium, sperma ceti, &c. quorum vices supplere valet aqua simplicissima larga manu exhibita. Nonnullis prosunt aqua succo limonum vel aceto cum tantillo mellis imprægnata; decoctum tamarindorum, acetosa, nitrum, cremor tartari, &c. Danda præsertim est opera, ut foras elutrietur saburra biliosa, si nil obstet, emeticorum & catharticorum ope. Haud exiguam sane laudem merentur hypnotica: quæ præmissis congruis evacuationibus, dolorum ferociam reprimunt: sed caute sunt exhibenda; quidquid in contrarium adducant varii ptioris notæ Auctores, vel ipsemet Sydenhamus. Efficaciora & usitatissima sunt enemata emollientia, anodyna & laxantia; non secus ac fotus; vesicæ lacte semiturgidæ, lintea calida, balnea, &c. Multum postremo celebratur chamæmeli usus internus vel externus; nec forte immerito. Hæc sunt *præsidia* adhiberi solita, vigente paroxysmo: sed alia, *prophylactica* nempe, in usum vocantur contra colicam biliosam chronicam; lac nimirum, & aquæ mine-

rales; aperientia, sudorifica, antiscorbutica, aliaque bene multa; ratione morbi primarii vel implicati, aliarumve circumstantiarum, quæ peculiarem curationem sibi vindicant.

Ad colicam flatulentam nonnunquam confert venæ sectio: sed semper proficue adhibentur diluentia, demulcentia & sedantia; de quibus supra: nec inutilem opem præstant laxantia. Quibus præmissis, conducunt *carminantia*, quæ perperam a nostris coætaneis despiciuntur; id genus sunt folia melissæ, salviæ, botryos & abrotani; flores chamæmeli; semina anisi, coriandri, & feniculi; balsamum commendatoris & Fioraventi; extractum juniperi, opiata Salomonis, theriaca, orvietanum, &c. quibus addere licet enemata emollientia, lubricantia, anodyna & carminantia; nec non varia topica supra tradita, quæ partibus rigidioribus & dilaniatis flexilitatem & mollitiem conciliare valent.

Venæ sectione plerumque exasperatur *colica spasmodica*; ne dum compescatur; ideo sanguini parcendum: sed larga manu sunt propinanda diluentia & demulcentia; serum nempe lactis, & aqua pulli; oleum amygdalarum dulcium & sperma ceti, aliaque silentio premenda, ne prius dicta recoquamus. Cæteris præstant *sedantia*, tum hypnotica, tum antispamodica; mixtura nempe e guttis anodynis & tinctura castorei parata; laudanum, diacodium, &c. quorum ope ut plurimum domatur hæc doloris species, cujus causa extra primas vias sævitiem suam exercet, dum solatium duntaxat impetrant in cæteris colicæ speciebus a materia quadam stimulante prognatis: tanta est horumce postremorum efficacia, ut plures viderim ad incitas quasi redactos, lecto axffios, veluti morituros jacentes, qui haud citra adstantium admirationem, post haustam prædictam mixturam, surgebant & obambulabant. Præsentaneam opem conferunt laxantia tempestive propinata; præsertim si flatus & fæces intra colon, a tubi intestinalis constrictione spasmodica sufflaminentur; quod sæpius in hacce specie accidere expertos clinicos nequaquam fugit. Hisce peragendis præsto sunt emol-

lientia, anodyna & carminantia; quibus addere licet sal gemmeum, si fæces retentæ incusentur. Nec inertia censeri debent fotus & cataplasmata emollientia, balnea & semicupia, lintei calidi, vesicæ lacte tepido semirepletæ, &c.

Peculiarem medelam sibi vindicat *colica saturnina*, etsi spasmi est particeps: sub qua, haud nociva censetur venæ sectio, quæ tamen sæpius incasum adhibetur. Prosunt sicuti in præcedentibus speciebus diluentia, demulcentia: oleosa, & antispasmodica: sed narcotica haud nisi summa cautela, vel cardiacis immixta, præscribi debent, ne paralysim, ad quam proclives sunt ægri, accelerent. Cæteris palmam præripere videtur emeticum, vel repetitum; quod, præmissis diluentibus, conducit ad eradicandam causam in primis viis latitantem; & hinc ad compescendos stomachi dolores. Quibus peractis, identidem, vel singulis trihoriis, propinatur olei amygdalarum dulcium uncia una aut altera, cum æquali quantitate aquæ vulnerariæ; quod euporistum, etsi empiricum, acceptum habuit clariss. Senac, Archiatrorum Comes: dein ad laxantia, cæteris consentientibus, devenire expedit. Nec desunt alia remedia ab Auctoribus decantata, nimirum emulsiones camphoratæ, succus mitiorum antiscorbuticorum, balsamum copahu, sapo venetus, aliaque bene multa, quæ pro re nata adhiberi queunt. Quod ad enemata attinet, laudantur emollientia & demulcentia, quibus immiscentur oleum nucum, terebinthina, balsamum copahu, oleum anisi, &c. Sed pro efficacioribus habentur stimulantia, quæ scilicet ingrediuntur vinum emeticum, colocynthis, &c. ut de topicis emollientibus supra laudatis nihil addam. Qui ex hocce morbo pluries evaserunt, experientia edocti, a vino temperant: vinum enim, licet non adulteratum, particulas metallicas antea inertes dissolvit & in motum agit. Insuper oleum tartari per deliquium, antiacidum, uti nemo nescit, præstantissimum, inter efficaciora *prophylactica* numeratur. *Paralisis*, uti supra innuimus, saturninæ præsertim colicæ speciem excipit: hanc nervorum resolutionem plerumque fugant aquæ minerales; quibus deficientibus ad solita præsidia, de quibus suo loco, confugere licet. Dolores vero artuum, qui etiam inter hujusce morbi reliquias numerantur, aperientibus & saponaceis impugnari solent; summis laudibus sub hoc casu deprædicatur tartarus martialis cum juscula aperiente sumptus. Frigus postremo omni studio arceant, tum hunc morbum perpessi, tum ex hoc decumbentes; ac præsertim a congrua victus ratione minime deflectant; cui plus sane quam pharmaciæ tribuendum.

Alia methodo colicam saturninam aggrediebatur Parisiis expertissimus Dubois in Nosocomio dicto *de la Charité*. A venæ sectione scilicet, oleosis, cæterisque lubricantibus & demulcentibus, alibi larga manu usurpari solitis, plane abstinebat; sed ptisanam diaphoreticam pro potu præcipiebat. Et primo morbi die enemata emollientia, anodyna & laxantia injici curabat. Postero die vitrum antimonii, alterumve emeticum præscribebat; & theriacam cum grano opii serotinis horis exhibebat; quod narcoticum tertio die repetebatur; ut catharticum stimulans quarto die adhiberetur; quo omnem curationem absolvi autumabat laudatus Auctor. Sed num hæc methodus semper pro votis succedat, singulisque congruat? expertis examinandum relinquimus.

Ut nil intactum prætereamus, nonnulla, mantissæ instar adjicere lubet de morbo quodam, ni fallor, commentitio, quem endemium esse apud Pictones, quasi solos conterraneos invaderet, falso traditur; unde *colica Pictonum* a recentioribus multum celebrata vocitatur. Citesius primus mentionem subjecit de hacce colicæ specie, clinicis duntaxat forte occurente qui nubem pro Junone amplecti solent. Hanc ad bilioſas pertinere existimat prædictus Auctor: quæ, inquit, virium prostratione subito ingruere solet: frigent extrema, & accedunt lipothymiæ. Interea cardialgia anguntur ægri; bilem porraceam evomunt & exsurgit singultus. Apurexia non impedit quominus sitis urgeat: alvus interea obturatur, & parce fluit lotium. Conqueruntur decumbentes de acriori æstu in regione epigastrica, & in hypo-

pochondriis; ac de doloribus acerbissimis qui per totum abdomen divagantur; sæpiusque ad pectus, dorsum & scapulas pertingunt. Coarctatur abdomen quasi, ut ipsis videtur, a fune constringeretur. In propatulo fiunt arteriæ cœliacæ, vel ejus propaginum, pulsationes. Dolores demum excipit artuum *paralysis*, incolumi sensu, quæ ad plures menses protelatur; alias ingruit epilepsia ad obitum vergens, vel cætitatem plurium dierum, libero perstante judicio, post se trahens. Hæc colicæ species, paralysi, plerumque judicanda, majorem tyrannidem exercere solet in sequiori sexu; ac demum ætate provectos in vitæ discrimen trahit.

Addit laudatus Auctor *colicam pictavienſem progigni* a vinis austeris & immaturis, ab exercitationibus immodicis, vigiliis & animi pathematibus; familiaremque esse iis qui raro stimulantur ad secessum. Ejus curationem venæ sectione inchoandam esse opinatur; eo quod proficuum pluribus fuisse mensium & hæmorrhoidum profluvium experientia didicerit: sed publico coætaneorum clamore nonnihil perterritum fuisse candide fatetur. Depletis vasis laxantia proponit: validiora vero cathartica, etsi a veteribus decantata, haud citra periculum adhiberi posse perperam credidit. Incassum tamen pluries adhibitis purgantibus bladioribus, efficaciorem forte fore crocum metallorum aliudve emeticum haud falso conjicit: narcotica denique in usum adhibebat. Præcipiebat insuper enemata demulcentia, e lacte scilicet, jusculo omasorum, vino & oleo, &c. parata; non secus ac fotus emollientes, semicupia, &c. Curationem absolvebat temperantibus, aperientibus, aquis mineralibus martialibus, acidulis, &c. E quibus, ni fallor, inferre licet huncce morbum, in ista regione tunc temporis epidemicum, haud peculiari commate a supra recensitis colicæ speciebus distingui posse; quas ad ultimum gradum devectas eamdem faciem præ se ferre, ex jam habitis satis superque constat. De simili affectu per totum Imperium Romanum grassante, quem sequebantur paralysis, morbus comitialis, &c. mentionem subjecit Paulus Ægineta. Variæ paralyseos a colica historiæ prostant apud Schenckium, aliosque scriptores Medicos: unde patet haud crebrius observari apud Pictones hanc ægritudinis speciem, quam in cæteris orbis regionibus; vel colicam cujuscumque indolis acerbiorem, colicæ Pictonum nomine, pro curantium mente salutari.

Nec adversatur clariss. Tronchin, qui de hac re nuperrime scripsit: cum in ea sit opinione hanc colicæ speciem in paralysim vel epilepsiam facessuram, sub diversis sane titulis Veteribus innotuisse: atque signis a Citesio allatis addit ægros de quodam graviditatis sensu per triduum ante morbi accessionem conqueri: quo sæviente umbilicus versus spinam deprimitur; exsurgit tenesmus, ingruit raucedo, ac visus obnubilatur: paralysim demum, ex laudato Auctore, prænuntiant artuum dolores, vel epilepsiæ insultus solito longior. Exhinc colligitur *colicam pictavienſem haud morbum esse*, uti vulgo fertur, *sui generis*; & huic sententiæ adstipulari videtur agregius Auctor; juxta quem variæ occurrunt torminum species quæ ad colicam Pictonum referri queunt; licet a diversis causis oriantur, & peculiarem medendi methodum sibi vindicent; quorum seriem transcribere, & paucis perstringere, haud abs re nostra fore putavimus.

Prima *species* excipit *febres præpostere curatas*; atque paralysim, lethargum & convulsiones post se trahit adversus quam futilia sunt, asserente nostro Auctore, emetica & purgantia drastica; nec non narcotica; sed antispasmodica, semicupia, fotus, cataplasmata & enemata emollientia laudat: quamdam opiatam etiam præscribit e manna, cassia & oleo amygdalarum dulcium simul subactis paratam; cujus alternis horis drachma una in sero lactis diluta propinatur. Succum postremo beccabungæ, vel taraxaci suadet, aquisque mineralibus acidulis curationem claudit.

Secunda *species* originem ducit *a plumbo*, cupro, cinnabari, cerusa, viride æris & antimonio; ac crebrius a vino, saccharo saturni, vel lithargyro adulterato: ad quam venæ sectio sub ætate

juvenili & vegeta congruit. Huic ineunti confert vomitorium; dein usurpari debent hypnotica, haud posthabitis fotubus, cataplasmatibus & enematibus emollientibus, balneis, &c. Laxantia demum, quorum basim præbet serum lactis, commendantur; quibus addit vesicatoria cruribus imposita.

Tertia *species* respicit, pergente Auctore, *vina austera & immatura*; necnon liquores acidos: adversus quam venæ sectionem, emetica & purgantia drastica respuit: unum aut alterum duntaxat tartari stibiati granum in majori aquæ copia solutum haud improbat, dummodo vespere exhibeatur narcoticum. Enemata & topica emollientia minime despicit; sed dubia ipsi videntur balnea. Oleum amygdalarum dulcium, cæteraque laxantia proponit: non secus ac demulcentia, aquam nempe pulli, vel lac aqua Selterana dilutum. Aquis postremo martialibus per mensem & ultra propinatis, simul accedente equitatione, medelam absolvit.

Quarta *species*, *arthritica & rheumatica* audit, quæ paralysim & convulsiones sæpius post se trahit: sub qua specie conducit juxta laudatum Auctorem, venæ sectio, si vires sinant. Supervacanea sunt emetica & purgantia validiora: summam opem præstant vesicatoria illico cruribus admota; quorum suppuratio diu protelari debet. Suppetias ferunt cucurbitulæ siccæ plantæ pedum mane & sero admotæ; opportune etiam foventur crura decocto emolliente, vel vapore aquæ calidæ. Huc quoque pertinent laxantia & enemata lubricantia. Pluris habet denique lacticinia, equitationem, aliasque corporis exercitationes: nec vinum prohibet debilibus.

Quinta *species* *suffaminatæ perspirationi* natales debet; sub qua venæ sectionem plerumque utilem autumat præcitatus Auctor. Egregie se gerunt laxantia & oleosa; cucurbitulæ siccæ abdomini impositæ, vel ipsamet vesicatoria, enemata, demulcentia, &c. Felici successu usurpatur infusum sassafras; alterve haustus diaphoreticus. Inducias agit laudanum refracta dosi; sed pluries exhibitum; cui camphora ad duplum immiscetur: quæ omnia excipiunt aquæ minerales sulphureæ.

Sextam *scorbuticam* vocitat; sub qua a venæ sectione abstinendum: huic congruunt laxantia, serum nempe lactis, cassia, manna, & oleum amygdalarum dulcium; quibus addere licet enemata vel topica emollientia. Suam opem præstant vesicatoria cruribus admota; ac demum aquæ minerales; ut de specificis & antiscorbuticis nil addam.

Septimam *melancholicis familiariorem* ad colicam *biliosam* proxime accedere existimat; sub cujus medela inertia sunt venæ sectiones, emetica & cathartica stimulantia: sed omnem implent paginam demulcentia & laxantia; aqua nempe pulli, serum lactis, cassia, &c. Nec reformidandum ipsi videtur unguentum de arthanita abdomini admovendum: atque postremo ad aquas minerales acidulas, equitationem, &c. deveniendum esse censet.

Octava denique *ab animi pathematibus* prognata familiaris est hystericis & hypochondriacis: inter quam curandam exulare debent venæ sectiones, vomitoria & cathartica. Omni ope antea enitendum, ut mentis & corporis quieti indulgeant ægri; nec vetantur in huncce scopum narcotica. Pro votis interea succedere solent enemata laxantia & lubricantia; fotus & cataplasmata emollientia, pediluvia cucurbitulæ femoribus impositæ; sinapismi cruribus admoti. Haud prohibentur laxantia; nec despicienda sunt lacticinia. Postremam insuper manum huic curationi imponit cortice peruviano, cæterisque roborantibus. Haud reticendum aeris mutationem plurimum conferre non solum in hac specie, sed etiam sub cæteris chronicis.

Quod ad *paralysim* spectat, omnium ferme harumce specierum haud raro pedissequam; balnea, fictus, & corporis exercitationes commendat. Membra paralytica pelle animalium recens mactatorum calide involvuntur; quod pluries iterare expedit: in usum internum & externum trahuntur aquæ thermales: fiunt linimenta cum unguento martiato, &c. Haud inutilem opem conferunt balsamum peruvianum, gummi ammoniacum, vi-

num

num generosum, &c. Hi sunt *morbi* quos *sub generali colicæ Pictonum titulo* comprehendit clariss. TRONCHIN; quibus subjungimus ejus medendi methodum; quam etsi rationi & experientiæ minime absonam, cum grano tamen salis accipiendam esse censemus.

FLATULENTIA ET TYMPANITES.

Cuivis, etiamsi physicam a limine salutaverit, obvium fit quomodo emergat in primis viis *meteorismus*: incalescentia enim ingesta ob diuturniorem moram, aliamve causam, quamdam patiuntur solutionem; unde aeris moleculæ subactis materiebus immixtæ & quasi incarceratæ extricantur & evolvuntur: sui juris factæ prædictæ particulæ, ratione affinitatis brevi adunantur vel in bullas coeunt, quibus ingressum denegant vasa lactea; quo fit ut ad certam molem assurgentes per superiora vel inferiora egressum sibi parent; plura de hac re non addimus, ne noctuas Athenas adsportasse insimulemur. Haud dubitare licet, ut ad propositum veniamus, quin flatus in stomacho & intestinis collecti, & calore loci ad rarescentiam proni, molestissimam horumce organorum dilatationem moliantur; unde exsurgit *colica flatulenta*, non solum intestina respiciens; sed etiam ipsummet ventriculum, qui quandoque mire ab hacce causa dilatatur; etsi alimenta libere permeant: sed sæpius immerito incusantur flatus; ubi scilicet dolores a causa spasmodica soboleseunt; qua retardatus egerendorum gressus flatulentiæ innocuæ ansam præbet. Nonne quotidie occurrunt homines ad flatus procliviores; borborygmis, ructibus, & crepitibus majorem strepitum concitantes; qui, vel inflato abdomine, doloris sunt plane expertes; dum cæteri de flatibus vix queruli tormina atrociora patiuntur.

Ructus & *crepitus* crebro & confertim erumpentes; *borborygmi*, vel intestinorum rugitus; stomachi, hypochondriorum, totiusque abdominis inflatio *flatulentiam* sane *produnt*; quæ, dummodo a febre non promoveatur, leviora parit incommoda; si utrumque guttur ipsi exitum largiatur. Sed aliter se res habet, ubi constrictione quadam spasmodica cohibetur, & ad ulteriorem expansionem cogitur; unde abdomen in altum attollitur, alvus occluditur & acerbiores exsurgunt dolores. Ex eodem fonte etiam prodeunt nauseæ, anxietates, lipothymiæ, cephalalgia, vertigines, spirandi difficultas, &c. A ructibus insipidis, acidis & putridis innotescunt digestionum vitia; quæ etiam prodit diversa crepituum fœtiditas. Choleram siccam in flatuum per utramque viam creberrima eruptione versari jam supra notavimus: tanta enim copia sæpius expelluntur, ut meram æolipilam mentiantur ægri; qui si illos inconsulto coercere velint, colicæ attrociss simæ, vel tympanitidis periculum incurrunt; nec desunt varia horumce infortuniorum exempla.

E præhabitis colligitur *tympanitidem* ultimum flatulentiæ, vel colicæ cognominis gradum præbere; quem prodit stupenda abdominis inflatio, vel intumescentia, qua musculi abdominales & cutis ita distrahuntur & distenduntur, ut nonnunquam perculsus imus venter sonum instar tympani edat: sed multum abest quin in omnibus illud annotetur phænomenum, licet ab Auctoribus, quorum plerique cæco brutorum more, aliorum vestigiis instare solent, pro *signo pathognomonico* habeatur: quod falsissimum deprehendimus, & pluries nonnullis clinicis, hisce præjudiciis antea obcæcatis examinandum præbuimus, qui se aliorum fide delusos fuisse fateri haud erubuerunt. Ventris intumescentia sub tympanitide minor ac in ascite: eamdem in quocumque corporis situ formam & molem servat; nullaque deprehenditur fluctuatio: nec sensim & uno tenore incrementum capessit hic tumor, uti observatur in ascite: sed sæpius in maximam molem brevi exsurgit, nec in eodem statu remanet, ut in hydrope; sed alternos subit gradus. Præterea renitet hic utricularis tumor, ad sensum & ad stateram hydrope levior: sursum, versusque umbilicum magis prominet: in quibusdam percussione facta obscure tinnit; pressus mox se attollit & contumaci ventris adstrictione stipatur; pulsu pleniore & duriore quam in ascite.

Inter

Inter morbos chronicos numeratur *tympanites*, etsi ægros nonnunquam brevi e medio tollit. Hysterim & hypochondriasim, asthma, convulsiones, infarctus meſenterii, ventris pigritiem, icterum, febres diuturnas, partum difficilem, lochia ſuppreſſa, abortum, &c. nonnunquam excipit hic ingens abdominis tumor flatulentus, qui doloribus circa umbilicum in variis abdominis partibus, & in dorſo, ſævientibus ſtipatur: *quo procedente* accedunt cibi faſtidium, nauſeæ & vomitus, æſtus interaneorum, & ſitis ingens; anxietates & vigiliæ: inſurgit tuſſis; reſpiratio læditur; pulſus fit frequens & inæqualis, cutis areſcit & alvus occluditur. Inſuper irrita flatus eructandi cupidine premuntur ægri, qui tamen ſeneſcente morbo omnia ingeſta evomunt, & in merum ileum delabuntur, quem excipit integra virium proſtratio & atrophia. Notandum incumbit flatus ſub tympanitide haud ſemper in ſtomacho & inteſtinis coerceri; ſed haud raro extra hæc viſcera & in ipſo abdominis cavo contineri, vel, quod familiarius eſt, utrumque locum occupare. Si præcipuam in ſtomacho *ſedem* habeat hic morbus; rubore perfunditur facies: ructus magis conducibiles facilius erumpunt, & epigaſtrica regio ſupra alias tumet; adeo ut diſruptionem minetur. Ab eadem cauſa oriuntur deglutiendi difficultas, ſuffocatio, palpitationes, anxietates & vertigines, &c.

Nemo neſcit *flatulentiam* familiariſſimam eſſe hypochondriacis & hyſtericis, litteratis & ſenibus, infantibus & mulieribus. Huic *obnoxii* cenſentur nephritici & arthritici; cachectici & ærumnoſi: hanc fovent cruditates acidæ & nidoroſæ, alvus durior, profluviorum ſanguineorum ſuffl aminatio, &c. Promovetur a prægreſſis gravioribus morbis, ab hæmorrhagiis immodicis, a febribus intermittentibus præpoſtere curatis, &c. *Hanc pariunt* legumina, fructus cucurbitacei, piſces, pluraque alia notiſſima edulia. Cæterum vigente febre extricantur moleculæ aereæ non ſolum e materiebus putridis in ſtomacho & tubo inteſtinali nidulantibus; ſed etiam ex ipſomet ſanguine, cujus receptacula ſæpius, uti ſupra notavimus, flatibus turgida reperiuntur.

Cohibita flatulentia graviores morbos inferre poteſt, colicam nempe, ſuffocationem, tympanitidem, ileum, apoplexiam, &c. *Meteoriſmus* hypochondriorum vel totius abdominis, intumeſcentia conſpicuus, *febrium pertinaciam* arguit, quæ nuſquam ferme ſolvuntur, ni prius ab hacce materia expediantur primæ viæ: quod luce clarius patet ab ingenti hiſce febribus ſublatorum abdominis inflatione. *Inter morbos ominoſos* jure recenſetur *tympanites*, quæ ſæpius aſcitis inſtar, ad menſes protrahitur; nullamque curationem admittit, ſi ab inteſtinorum enormi & diuturniori dilatatione, horum tonus frangatur. Sitis, hac procedente, ſuffocatio, corporis ambitus & interaneorum æſtus, tumor crurum œdematoſus, urinæ lixivioſæ, vires proſtratæ, animi abjectio, anxietates, lipothymiæ, extremorum refrigeratio, &c. pro gravioribus ſymptomatibus haberi, vel rudibus & inexpertis, obvium fit. E bene enim perſpectis hujuſce morbi prodromis, & ſymptomatibus, necnon auſpicatiori medendi methodo; tympanitidem merum eſſe affectum ſpaſmodicum, in atoniam faceſſurum, facile intelligitur. Ubi diutius protelatur tympanites, cum aſcite implicari ſolet; & hinc *ſolutu difficilior* evadit.

Cadaverum ſectiones exhibent ſtomachum flatibus ultra modum turgidum, inflammatione vel ſideratione tactum, & in quibuſdam diſruptum. Eamdem labem oſtendunt inteſtina nonnunquam callo coarctata, vermibus infarcta, innumeriſque tumoribus ſæpius obducta; quæ alias parciſſimam fæcum copiam recondunt. Sed ad hanc ſtupendam dilatationem proniora ſunt cæcum & colon, quæ in nonnullis, femoris craſſitiem æmulantur. Minor, majorve vermium copia reperitur in hiſce canalibus, quorum gyri diverſimode etiam internecti deprehenduntur. Flatulentia, uti jam innuimus, in abdominis cavo, & extra viſcera nonnunquam colligitur; adeo ut in immenſum tumens abdomen, prima ſectione ſubſideat & complanetur; ni inteſtina quamdam aeris copiam contineant. Semel duntaxat vidiſſe memini in tympanitide totam aeris maſſam a peritonæo cohiberi, plane inculpatis inteſtinis. Inſuper

in

in apricum venit hepar scirrhosum & putridum, contractum & induratum, cum cystide fellea atra bile ad crepaturam turgente: simili quoque modo quandoque afficitur lien, qui nunc mole amplissimus, nunc ita exiguus ut renem succenturiatum vix superet, observatur. Epiploon in quibusdam inflammatum; vel putredine plane absumptum, quasi desideratur. Pancreas scirrhosum, tabidum vel putridum detegitur; mesenteriumque infarctum deprehenditur. Quibus addere licet colluviem serosam in abdomine, parco tamen proventu stagnantem. Varias pulmonum, renum, aliorumque viscerum defœdationes, parum ad nostrum propositum pertinentes, consulto prætermittimus.

Ut recta ineatur *curatio*, ad compescendum interaneorum æstum, primasque vias lubricandas & laxandas, ut facilior fiat flatuum explosio, converti debent clinicorum curæ. Hinc pluris habentur serum lactis, aqua pulli, aliaque diluentia & vulgatoria, in quorum censum veniunt aquæ Vallenses, Reginenses, Meynenses, Monferinenses, cæteræque cognatæ, quæ proficue adhiberi solent. Suas laudes merentur temperantia; inter quæ, selectiora audiunt sumaria & cichorium; nitrum, tartarus vitriolatus, &c. A sanioribus Medicis abdicantur emetica; ni urgeant nauseæ; sed fauste usurpari queunt laxantia, oleum nempe amygdalarum dulcium, manna, sal epsomense, rupellanum, &c. Opportune dein exhibentur stomachica amara, inter quæ haud infimum locum obtinent cortex peruvianus; tinctura amara *Stougthon*; syrupus de absinthio, de gentiana, &c. Suas laudes etiam merentur martialia, caute, vel servatis servandis, exhibenda. Quod ad *carminantia* olim decantatissima, a nostris coætaneis posthabita, attinet; semina anisi & feniculi; flores chamæmeli, zedoaria, &c. haud inutilem, præmissis diluentibus, opem præstant. Hæc medicamina plane inepta ad demandatos effectus peragendos, nonnullis rationum momentis adducti, declararunt varii recentiores: sed horum opinionem firmioribus experimentis impugnavit clarissim. Hales, in rebus naturalibus perscrutandis nulli secundus. Ideo num flatus discutiant, vel pariant carminantia cæteris examinandum relinquimus; sed praxi edocti asserere minime dubitamus hæc medicamina ex aromaticorum classe petita, vi quadam sedante pollere: haud latuit sane Veteres hæc carminantium vis anodyna; cujus ratione, hasce materias fragrantes purgantibus drasticis opportune immiscebant: nec inconsultus erat hic usus, qui nescio quo fato apud recentiores jamdudum eviluit: ad summam, hypnoticorum & antispasmodicorum, quæ haud raro sub hac rerum conditione vetantur, vices supplere valent carminantia. Postremo incassum adhibitis remediis supra traditis, ad venæ sectionem confugere licet; dummodo vires & ætas ferant: proficue vero adhibentur per totum morbi stadium enemata emollientia, purgantia & carminantia; balnea, fotus emollientes, anodyni & aromatici, cucurbitulæ siccæ abdomini impositæ, &c.

Cum tympanites ultimus flatulentiæ gradus audiat, eadem ferme medendi ratione impugnatur; ni præ gravioribus symptomatibus exquisitiora *remedia* expostulet. Quamobrem crebro usu recepta sunt diluentia, lubricantia & temperantia, de quibus supra. Nonnulli penes quos sit fides aquam gelidissimam summis laudibus extollunt. Pro votis succedere solent laxantia; inter quæ præstare videtur oleum amygdalarum dulcium, bis per diem exhibitum: sed imparia plerumque sunt emetica superando morboso obici; hinc satius est ab illis abstinere, ne irritentur crabrones. Expeditis, ope diluentium & laxantium, primis viis, opportune exhiberi queunt stomachica, roborantia & carminantia: salvia nempe, chamædrys & enula campana; vinum Hispanicum, extractum juniperi, elixirium proprietatis, &c. hunc morbum etiam respiciunt antispasmodica, melissa nimirum, castoreum, assa fœtida, aqua florum aurantiorum, &c. sed hæcce remedia nil sæpius præter quoddam juvamen præstant; quare fit ut ad efficaciora, quæ scilicet intimiora corporis penetralia adire valeant, sit confugiendum: quam opem præstant aperientia & diuretica; ceu sal tartari & genistæ, tartarus martialis & arcanum duplicatum, saponacea & martia-

tialia, quibus forte præcellunt aquæ Vallenſes, Forgienſes, Paſſienſes, &c. Nonnullis profuit ſanguinis detractio ope phlebotomi, vel hirudinum: ſed notare juvat quod ſæpius ab intempeſtivis venæ ſectionibus fatum acceleretur. De antiſcorbuticis, antivenereis, aliiſque præſidiis, quæ pro re nata in ſubſidium vocari queunt, nil addimus.

Quoad *remedia externa*, quæ internis obſecundare ſolent, parantur fotus emollientes, cataplaſmata, &c. Nonnulli nivem vel glaciem contuſam imo ventri imponunt: ſed cum hocce topico caute mercari expedit; quod tamen haud infelici ſucceſſu, me detractante, ſuaſit circumforaneus quidam. Tutius ſane celebrantur fricti cum pannis calidis, cum oleo amygdalarum dulcium camphorato, &c. quibus omnibus irritis, & imminente interitu, ad opem chirurgicam devenire nil vetat. Nullum quidem eſt dubium quin *paracenteſis* apprime congruat: ubi flatus extra viſcera colliguntur; & plures forte ſupremum diem obierunt, qui hocce auxilio ſani evaſiſſent. Equidem nulla hactenus nota arte dignoſcitur hic caſus: ſed in re ancipiti & urgentiſſima, nonne ſatius eſt experiri remedium quam nullum: nec conſtat præterea lethalem fore hanc operationem, etiam vulneratis inteſtinis; quin potius innumeræ proſtant obſervationes chirurgicæ, quæ contrarium arguere videntur: adde quod temeritas nonnunquam præſtat, quod prudentia nequit.

VERMES.

NEminem latet *lumbricos*, *aſcarides*, *cucurbitinos* & *tæniam* eſſe hoſtiles primarum viarum incolas: ut ſileamus de variis inſectis a naturali rerum ordine alienis, quorum accuratam hiſtoriam tradiderunt Vanislieri, Andry, Leclerc & Blanchi, qui hanc materiam penitus exhauſiſſe videntur; quæ ut verum fatear rem potius phyſicam, vel naturalem, quam medicam reſpicit. *Lumbricos* a ſexto ætatis anno ad pubertatem familiares, ſed nulli ætati parcentes, *produnt* halitus acidus, cibi faſtidium, vel fames inexplebilis; ptyaliſmus noctu erumpens, ore interdiu remanente ſicco; oculi flammei, genarum livor; dentium ſtrepitus inter ſomnum: vel peculiaris labiorum & faucium motus deglutitionem æmulans; ſudores nocturni graveolentes; terrorque inter dormiendum, quo ſubito expergiſcuntur ægri. Interea inſurgunt vomitus, cardialgia, borborygmi; moleſtiſſima punctionis vel eroſionis ſenſatio, paſtu compeſcenda, teneſmus, fluidæ & albicantes dejectiones; tuſſis, ſingultus, &c. abdomen tenſum, nunc in altum elevatur, nunc deprimitur, & ultra modum complanatur. Excandeſcit in quibuſdam febris, cum horroribus inordinate recurrentibus; pulſus in aliis æqualis & obſcurus deprehenditur; imo & nonnunquam plane obliteratur. Hiſce notis adjicere licet, varia ſymptomata a verminoſa progenie oriunda; ileum nempe, ſuffocationem, vertigines, inſultus convulſivos, affectus comatoſos, ſtupiditatem, delirium, aphoniam, cæcitatem, paralyſim, ſyncopem, &c.

Cæteris ſignis vel evidentioribus palmam præripiunt ipſimet vermes per os, nareſve ejecti, vel per podicem foras deturbati, e quo nonnunquam agminatim prodeunt. Sed ſæpius deſideratur hoc indicium, eo quod vermes in primis viis enecati brevi putredine ſolvuntur; unde nil præter materiam viſcidam & glutinoſam fæcibus immixtam, egeritur. Tanto ſæpius impetu ingruunt *inſultus verminoſi*, ſenſationes impedientes, ut pro genuina apoplexia habeantur; ni attendatur ad pulſum contractum & extremorum refrigerationem, quæ genuinæ cauſæ ſuſpicionem movent: ſed difficilius diſtinguuntur vermium acceſſiones convulſivæ, infantibus familiares, ab epilepſia, adeo ut Œdipo ſæpius opus ſit; ni a bene perſpecta morbi hiſtoria, ejus expiſcetur indoles. Vermes præterea inter graviorum morborum ſymptomata numerantur: horum enim geneſim fovent variolæ & morbilli; non ſecus ac febres putridæ, malignæ, petechiales, epidemicæ, &c. quæ hinc a medica plebe verminoſæ dicuntur. Lumbrici nonnunquam perterebrant ſtomachum & inteſtina, e quibus exitum ſibi parant, & in abdominis cavum devolvuntur; vel ulterius pergendo, peritonæum, muſculoſque abdominales perforant;

rant: in corpore adipoſo nidulantes phlogoſim accerſunt, in abſceſſum faceſſuram; e cujus ſectione prodeunt vermes, quod pluries accidiſſe circa umbilicum & inguina, teſtantur ſcripta medica.

Aſcarides, caſeoſorum vermiculorum inſtar, teretes & exigui, una cum fæcibus alvinis excreti, oculis viſendi, ſe præbent. Inteſtinum rectum obſident; hinc teneſmum vel pruritum moleſtiſſimum in podice concitant. Tanto ſæpius agmine hanc ſpeluncam infeſtant, ut alvo non reſerata, exitum ſibi parent, & vicinas partes defœdent. *Cucurbitini* ſic nuncupantur, ob cucurbitæ ſeminis formam, quam ſat accurate referunt: magis ſunt conſpicui quam aſcarides; tæniæque ſignum haud infidum præbent. Diſtincta ſerie invicem quandoque hærent, & concatenantur; qui ſimul juncti ægre diſſociari patiuntur. Pruritum quandoque moleſtiſſimum hæc pariunt inſecta in ano, qui ipſis viventibus, æque ac aſcaridibus, etiam retentis fæcibus egreſſum largitur.

Tænia, vel ſolium, *le Solitaire*, eſt vermis latus & depreſſus, innumeris nodis diſtinctus, ſtupendæ longitudinis, & in primis viis hoſpitans; hujuſce inſecti accuratæ deſcriptiones, iconeſque nitidiſſimæ proſtant in variis libris. Vix tamen conſtat de ejus longitudine; cum nuſquam integer excernatur hic portentoſus vermis, quem ad viginti quinque ulnas Gallicas accedere, conjicere licet: imo & hanc menſuram quandoque ſuperare teſtantur PLINIUS, TULPIUS, RUISCHIUS, BOERHAAVIUS, &c. Solitarium eſſe hoc inſectum vulgo fertur: nullum tamen eſt dubium quin plura hujuſce ſortis occurrant in canibus, nonnulliſque aliis quadrupedibus: multiplicem etiam fuiſſe in homine variis rationum momentis adducti, nonnulli conjiciunt. Capite quodam donari prædictum vermem ex iconibus & deſcriptionibus colligitur; quod tamen nuſquam inter innumeros noſtro examini ſubjectos, vidiſſe contigit: quin potius illum in ſectione cadaverum, utrimque acuminatum reperimus: ſed illud dubium in medio relinquimus, ut ad certiora properemus.

Obſcura ſane eſt ſolii & cucurbitinorum affinitas: liquet tamen, uti jam innuimus, horum excretionem, illius præſentiam arguere. Sed haud deſunt alia *ſigna* quibus ſe prodit hic moleſtiſſimus incola: id genus ſunt nauſeæ, cibi faſtidium vel voracitas, os fœdum, ructus acido-nidoroſi, ſputatio frequens, & nauſeæ; faciei livor, viſus debilitas, quædam gravitatis ſenſatio in abdomine, dolores qui nunc ſtomacho, nunc hepati vel dorſo infigi videntur; dejectiones mucidæ & torminoſæ, &c. imus venter in nonnullis mulieribus, in altum attollitur; depravatur appetitus, & ſufflaminantur menſes; adeo ut pro utero gerentibus nonnunquam habeantur. Graviora demum promovet ſymptomata hic infenſiſſimus vermis, lipothymias nempe, cephalalgiam contumaciſſimam, vertigines, convulſiones, affectus comatoſos, &c. Per totum inteſtinorum tractum porrigitur tænia, quæ haud raro ab ſtomacho ad fauces aſcendit, haud ſine ægrotantium anxietate & terrore: nec deſunt qui ejus fruſta ampliſſima foras per vomitum deturbant. E gravioribus poſtremo morbis convaleſcentes priſtinæ ſanitati ægre reſtituuntur, ſi tæniam geſtent.

Quoad *prognoſim*; e jam traditis obvium fit grave quandoque periculum portendere *lumbricos*, ob paralyſim ſcilicet, maniam, convulſiones, epilepſiam, ileum, aliaque atrociora ſymptomata, quæ accerſere queunt: emunctoria nutricum organa nonnunquam exhauriunt; tantamque ſævitiem, præſertim rubri, cæteris longe ferociores, quandoque exercent, ut *febres* periculoſiſſimas, *verminoſas* jure nuncupatas concitent; ſed in hunc cenſum minime venire febres putridas & malignas, quæ vermium progerminationi favent, jam ſupra notavimus; ſub quibus bene ominandum, ſi per podicem expellantur: ſed aliter ſe res habet, ubi per os foras elutriantur; præſertim ſi ſecum devehant laticem ſubatrum & fœtidum. Periculo vacant *aſcarides*, qui moleſtam duntaxat ſenſationem in podice concitant. *Cucurbitini* haud ominoſi per ſe cenſentur; ſed tanquam tæniæ prodromi haud levem terrorem incutiunt. *Lumbricus* vero *latus*, quem congenitum plures arbitrantur, atrociora movet ſymptomata, quæ pro totidem morbis periculoſiſſimis haberi debent:

bent: præter enim jam recenſita; febrem lentam, maraſmum, hydropem, aſcitem, tympanitidem, &c. poſt ſe trahit. Ex eodem fonte nonnunquam prodire pleuritidem nonnulli exiſtimarunt: an recte? ſolertioribus penſitandum relinquimus.

Autopſia anatomica exhibet *lumbricos* in faucibus & œſophago, in ſtomacho, & paſſim per totum tubi inteſtinalis tractum. Nonnunquam includuntur prædicti vermes intra folliculos diverſæ molis, vel in glomeramen denſo agmine convolvuntur, quo haud raro obturatur tubus inteſtinalis. Subeunt in nonnullis ductum biliarem vel pancreaticum; inibique impediri deprehenduntur. Occurrunt in cavo abdominis, in abſceſſibus, &c. Pluries tamen evenit ut poſt integram diſſolutionem, ne minimum quidem horum veſtigium percipiatur, præter mucum quemdam, in quem faceſſunt. Reperiuntur poſtremo phlogoſes, pullulæ a tunica villoſa prognatæ; purulentiæ & putredines in ſtomacho, & in inteſtinis; horumce invaginationes, &c. Quod ad *aſcarides* & *cucurbitinos* ſpectat; nuſquam poſt obitum conſpiciuntur; nullæ horum annotantur reliquiæ. *Tænia* vero, haud immutata forma, in ſtomacho & inteſtinis reperitur; &, non ſecus ac lumbrici, apicem ſuperiorem in ductum choledocum quandoque immittit: ut ſileamus de variis viſcerum læſionibus, quæ a jam exaratis minime diſcrepant, & mera audiunt producta morboſa.

In immenſum creſceret pagina, ſi omnia huc attexeremus *anthelmintica* ab Auctoribus tradita; inter quæ nonnulla, etſi celebriora, occurrunt de quorum viribus, multis experimentis ſuffulti, plane dubitarunt primi ſubſellii ſcriptores, quibus vero alii haud inferioris notæ, praxi edocti, refragantur; adeo ut adhuc ſub judice lis ſit. Sed miſſis hiſce controverſis, ſelectiora duntaxat vel uſitatiora ex immenſa vermifugorum farragine, pro inſtituto depromemus. Primatum ſane ducunt *purgantia per alvum*, rheum nempe, folia alexandrina, julapium, aloe, diacrydium, pulvis Cornachini, ſyrupus florum perſicorum, trochiſci alhand, confectio Hamec, &c. quæ non modo vermes ejicere queunt; ſed etiam, vel vivos, foras eliminant. Catharticis minime cedunt *mercurialia*, vermium hoſtes infenſiſſimi: aquila nempe alba, panacea, æthiops mineralis, &c. Sed parum fidendum decocto hydrargyri ex aqua, vel quavis ptiſana, quod infantibus ad vermes enecandos pro potu ordinario præſcribi ſolet. Haud infimum locum in athelminticorum ordine tenent *amara*; ut ſemen ſantonicum, abrotanum, abſinthium, tanacetum, gentiana, nuclei perſicorum, &c. Pluris etiam habentur *abſorbentia*: corallum ſcilicet, cornu cervi præparatum, &c. Viribus ſpecificis pollere videntur *olea* ex olivis, nucibus & amygdalis expreſſa; petroleum, aſſa fœtida, &c. quæ reſpirationis, uti fertur, ſpiracula obſtruendo, vermes interimunt. His addere licet ſaponem album qui, cæteris conſentientibus, doſi congrua, ad plures ſcilicet drachmas ſingulis diebus, pluribus optime ceſſit. Suum gradum etiam obtinent, in vermifugorum cenſu, acida; omphacium nempe, ſuccus limonum, ſpiritus ſulphuris, &c. Nonnulli demum aquam gelidiſſimam, quæ vermibus adverſari dicitur, ſummis laudibus extollunt; nec forte immerito: ut de vino, cepa, allio, theriaca, aliiſque innumeris a plebe & mulierculis celebratis conticeamus.

Nec inutilem opem præſtant *remedia externa*: proficue enim injiciuntur enemata e lacte & ſaccharo, quibus alliciuntur vermes, & verſus inferiora ducuntur; vel e decocto filicis, gratiolæ, abſinthii, tanaceti, &c. parata; quibus adduntur oleum nucum vel olivarum, theriaca, &c. Admoventur epithemata, quorum compoſitionem ingrediuntur aloe, myrrha, fel bovinum, ſuccus abſinthii vel centaurii minoris, petroleum, unguentum de arthanita, fuligo, &c. Hiſce materiebus etiam confici ſolent ſuppoſitoria longe ſane efficaciora. Hæc ſunt vermifuga interna & externa a ſanioribus Medicis adhiberi ſolita: nuſquam tamen, uti evidens eſt, indiſcriminatim ſunt uſurpanda; quin potius ob diverſum effectum quem exerunt, ſelectu pro circumſtantiis opus eſt: vitetur in primis horum ineptum connubium; cum pleraque mutuo colluctentur, vel in-

invicem contranitantur. Sed ad demandata munia peragenda inepta cenſeri debent hæc utriuſque ſortis medicamina, ſi vermes cuicumque febri mali moris natales debeant: quo in caſu urgentiori ſane ſuccurrendum; haud poſthabitis dein vermifugis, quæ opportune in ſubſidium vocari queunt.

E nota *aſcaridum* ſede facile intelligitur parum conferre remedia interna; ſi tamen excipias cathartica aloetica, hiſce enecandis & foras abigendis apta. Sed præſentaneam opem ferunt *enemata* ex oleo, colocynthide, mercurialibus, &c. parata: quorum vires æmulantur, & forte ſuperant ſuppoſitoria e lardo, vel goſſypio confecta, unguento neapolitano illita; vel in fel bovinum, aloes ſolutionem, &c. priuſquam indentur, immerſa. Nec hiſce remediis ſuperſedendum, etiam fugatis aſcaridibus; cum innumera relinquant ovula, quæ ſerius ocyus ſtupendum horumce inſectorum proventum edere ſolent; ideo aliquandiu protelari debet curatio, ut *nova præcaveatur geneſis*.

Inutilem opem præſtat potior prædictorum vermifugorum pars, adverſus *tæniam* & *cucurbitinos*: ſed proficue adhiberi queunt *emetica* & *cathartica*; tartarum nempe ſtibiatum, vel vinum emeticum, aloe, diacrydium, mercurius dulcis, &c. Pro ſpecifica venditatur *radix filicis*, cujus pulvis ad drachmam unam vel alteram, ex melle vel vino in adulta ætate, perſcribitur; poſtridie exhibito cathartico. Cum filice viribus convenire radices mori plures arbitrantur, quas a drachmis duabus ad duplum, in decocto aqueo præcipiunt pro duobus doſibus, mane & ſero hauriendis; quo medicamine alvum nonnihil ſolvi fertur. Silentio minime premere debemus anthelminticum adverſus tæniam in diario Medico anni 1757, *pag.* 305; & 1761, *pag.* 214, laudatum; quod nil aliud eſt quam oleum nucum cum vino Hiſpanico, vulgo *d' Alicante*, mixtum. Alia ad lumbricum latum proponuntur remedia quæ multis optime ceſſiſſe videntur; ſemen ſcilicet rutæ, corallina, æthiops mineralis, martialia & aquæ minerales ferri participes, &c. quæ, etſi diverſæ naturæ, proficue adhiberi queunt; dummodo horum uſus a juvantibus & lædentibus dirigatur: plura addere vetat anguſtior pagina.

COLICA HEPATICA.

Conſtat veſiculam felleam, aliaque bilis receptacula eſſe hujuſce morbi acerbiſſimi *ſedem*: inibi enim concreſcunt pſeudo-lapides, qui vel mole & figura hæc laceſſunt organa: vel hoſce tubos obturando, impediunt quominus bilis ſolitum alveum petat: eumdem effectum præſtat lenta & glutinoſa bilis, qua infarciuntur prædicta emiſſaria. Hinc fit ut veſicula & canales biliares ſupra obicem, ad crepaturam, ob bilis regreſſum, dilatentur; unde dolor emergit acutiſſimus. Nec ſemper ab obſtructo vaſe ſecretorio, laticis amari fluxus intercipitur; ſed ſæpius comprimitur prædictus canalis a mole infarcti pancreatis, vel a quovis alio tumore vicinarum partium: nonnunquam etiam conſtrictione ſpaſmodica ita coarctatur, ut bili ad duodenum appellenti ingreſſum plane deneget: nec ab hac affectione ſpaſmodica immunis eſt tubus inteſtinalis, qua ita conſtringitur canalis biliaris oſtium, ut ne guttam quidem bilis eructet. Cognitu difficilem ſæpius eſſe *colicam hepaticam* jam ſupra notavimus: varia tamen ſe produnt *ſigna* quæ hunc morbum proferre queunt, nempe æſtus plus minuſve moleſtus circa partem affectam; dolor & renitentia hypochondrii dextri & proximioris epigaſtricæ regioni; flatulentia, nauſea & vomitus, anxietates, præcordiorum & pectoris anguſtia, &c. Interea tormina, quæ nunc ſtomachum, nunc renes, alias dorſum obſidere videntur, atrociores exacerbationes patiuntur. Quibus ſævientibus *febris* excandeſcit, & nonnunquam ad duodecimum vel decimum quartum diem protrahitur: in quibuſdam tamen pulſus apuretus obſervatur, & febris nonniſi fugatis doloribus exſurgit, haud ultra biduum perſiſtens. Facies in pleriſque colore flavo vel ſubviridi perfunditur; vel in genuinum icterum incidunt ægri. Alvus utplurimum obturatur; vel clyſmatum ope egeruntur excrementa caprinis ſimillima: urinæ ſuf-

flaminantur, vel parce fluunt, & non nisi post insultum, turbidæ & lutulentæ minguntur. Plerique demum ægri *pseudo-lapides*, vel concretiones bilioſas, diverſi coloris, leves, inflammabiles, & in aqua calida ſolubiles, tum per vomitum, tum per alvum excernunt. Calculum biliarem ad ovi gallinacei magnitudinem accedentem per ſedes expulſum ſe vidiſſe teſtatur clar. IMBERTUS.

Notare expedit veſiculam felleam a retenta bile in tantam molem quandoque aſſurgere, ut *tumor extus promineat*, quem pro abſceſſu nonnunquam habent imperiti; licet tumor a bile magis ſit circumſcriptus, & ejus fluctuatio, ineunte morbo, ſit magis evidens. Præterea ſedes tumoris, color albicans dejectionum, lotium ſaturate flavum, oris amarities cum ſiti intenſa, & nonnunquam color icteritius, hujuſce tumoris indolem produnt. Cujus erroris immeritas pœnas luunt miſelli ægrotantes, qui poſt præpoſteram ſectionem fiſtula, nulla arte exhaurienda, conflictantur; vel bilis profuſione in cavum abdominis ad libitinæ rationem ducuntur. Nec ſemper facile eſt verum a falſo extricare, cum uterque tumor iiſdem ferme phænomenis ſtipetur; imo & quandoque implicentur prædicti morbi; nam præviam abdominis inflammationem nonnunquam ſequitur hic veſiculæ infarctus: hinc minime mirum ſi ab incautis pro abſceſſu habeatur: de quibus plura notatu digna legere eſt, in prima & tertia collectaneorum Chirurgicorum parte. Alii inſuper paſſim exurgunt tumores ex eodem ferme fonte oriundi; ubi ſcilicet inflammata & exulcerata cyſtis fellea dilaceratur, & latici bilioſo egreſſum largitur, qui contextum celluloſum ſubiens late ſpargitur, ac ſæpius phlogoſim & abſceſſum extus prominentem in hac vel illa abdominis parte concitat; e quo aperto pus una cum bile educitur; nonnunquam etiam prodeuntibus concretionibus bilioſis; unde emergit ulcus fiſtuloſum ab indeſinenti bilis fluxu nullis repagulis coercendum.

Colica hepatica haud raro periodice recurrit, ſingulis ſcilicet ſeptimanis, menſibus, annis, &c. paroxyſmi ſtadium intra aliquot horas continetur; alias ad unum vel alterum diem & ultra cum nonnullis tamen induciis protelatur. In ancipiti verſatur hujuſce morbi *eventus*, qui graviores morbos quandoque infert; phlogoſim nempe hepatis, icterum, febrem lentam, hydropem, phthiſim, tabem, &c. Sæpiſſime tamen brevi vel ſponte evaneſcere e clinicorum relatu colligitur; ſed num ſemper genuinam colicam hepaticam pertractaverint, dubitare licet; quandoquidem hepar, non ſecus ac alia abdominis viſcera, affectu mere ſpaſmodico ſæpius laboret, qui colicam hepaticam accurate mentitur; imo ſæpius icterum fugacem poſt ſe trahit. Nonnunquam evenit ut colica hepatica, ſub primo conſpectu, vix diſcrepet a nephritide, ad quam converti ſolent clinicorum curæ; qui ſolis cadaverum extiſpiciis a veri tramite ſe receſſiſſe tacita mente revolvunt.

Sectiones anatomicæ minorem vel majorem calculorum biliarium proventum patefaciunt: de trecentis repertis in veſicula fellea, quorum nonnulli avellanæ magnitudinem æquabant, mentio ſubjicitur. Non raro obſervantur prædicti *pseudo-lapides*, qui molem caſtaneæ ſuperant, vel ad uncias duas, & ultra, accedunt; ac ideo totum cyſtidis cavum replent. Præterea illud receptaculum bile glutinoſa, vel tenaciſſima, ſæpius ſcatet, aut vermes, hydatides, &c. recondit; in quibuſdam cruſta quaſi lapideo obducitur; vel variis ſepimentis in cellulas dividitur. Alias in immenſam molem exſurgit prædictus folliculus, ob uberrimum ſcilicet bilis proventum ad quatuor, ſex vel octo libras accedentem. Eamdem dilatationem patiuntur ductus biliares; qui alias lapidibus, vel verminibus, ſæpius obſtructi reperiuntur. In propatulum venit hepar ſcirrhoſum, inflammatum, purulentum, putridum, &c. in nonnullis protuberat infarctum pancreas, cujus mole comprimitur ductus communis oſculum: ſimilem effectum exerunt alii tumores a meſenterio, tubo inteſtinali, &c. prognati. Haud dubitare licet quin jure inſeratur colica hepatica ſub conſpectu prædictarum læſionum: minime tamen contra-

cen-

cendum eamdem ſtragem conſpici in cadaveribus variorum, qui dum viverent, prædictæ colicæ plane fuerunt neſcii, quid hinc ſit inferendum ſolertiorum examini ſubmittimus.

Eadem ferme methodo *curari* ſolet colica hepatica, ac cætera imi ventris tormina. Haud profutura, vigente paroxyſmo, remedia bilem moventia, e præhabitis conſectarium manet; quæ tamen præſidia, ſuperato paroxyſmo, proficue adhibentur; cum horum ſcilicet præſidio reditus præcaveatur. Ineunte morbo quantocyus *tundenda eſt vena*; ſibi enim par non habet illud auxilium ad declinandam imminentem phlogoſim. Incunctanter etiam ſunt propinanda diluentia & demulcentia; aqua nempe pulli, ſerum lactis, emulſiones, oleum amygdalarum dulcium, & ſperma ceti; infuſum florum althææ, ſeminum lini, &c. Nec minus proſunt, remittentibus doloribus, laxantia; caſſia nimirum, manna, tamarindi, &c. quibus incaſſum adhibitis, ad narcotica confugere expedit; inter quæ uſitatiora audiunt ſyrupus de papavere albo, utrumque laudanum; aliaque conſimilia, quibus dolores conquieſcunt. Præſentaneam etiam opem ferunt in ſingulis morbi temporibus enemata emollientia & anodyna, cum oleo, butyro, althæa, malva, ſeminibus lini, &c. nec poſthabenda fotus & cataplaſmata, balnea, ſemicupia, aliaque topica, de quibus ſupra ad nauſeam. In re demum urgentiſſima, vel ægro in extremum vitæ periculum adducto, veſiculam felleam extus protuberantem, Celsi effati haud immemores, pertundendam eſſe cenſemus; licet exigua circa hanc operationem verſetur curationis ſpes.

Sublato morbo, aliud curanti impendit munus, ut ſcilicet ejus reditum præcaveat. Sub hoc conſpectu in uſum vocantur laxantia, quibus præſtare videtur rheum. Inſuper gramen, aſelli, nitrum, martialia, ſaponacea, aliaque diverſæ ſortis aperientia & diuretica, vel bilem moventia, omnem, uti ſupra innuimus, implent paginam. Suas laudes etiam merentur abſinthium, chamædrys, gentiana, cæteraque amara, quæ peculiarem affinitatem cum hepate habere dicuntur. Sed omnibus hiſce remediis palmam ſane præripiunt aquæ minerales frigidæ & thermales; Vallenſes puta, & Paſſienſes, Vicienſes, Plumberianæ, Bellilucanæ, &c. Nonnullis poſtremo proſunt lacticinia, quæ, cæteris conſentientibus, aliorum *prophylacticorum*, vel exquiſitiorum, vices explere valent.

HEPATITIS.

Sic vocitari *hepatis inflammationem* nemo neſcit; quæ vel totum viſcus impetit, vel cuidam ejus parti inſidet. Nunc ſolum hepar læditur; nunc vicinæ partes in conſenſum trahuntur; quo fit ut ſub diverſo intuitu ſe præbeat hic affectus, ægre ſæpius a cognatis diſtinguendus. Ab horrore & rigore exordium capit hepatitis, quos excipit febris acuta; qua procedente conqueruntur ægri de æſtu & dolore gravativo hypochondrii dextri, quod renite & nonnunquam prominet. Alvus ſub hoc morbo, nunc obturatur, nunc ſolvitur: cum torminibus & dejectionibus bilioſis. Parca copia minguntur urinæ croceæ & tubidæ. Facies pallore ſubviridi, ab expertis notiſſimo, perfunditur. Lingua primo arida, ſenſim amurca quadam ſubflava, vel nigricante obducitur; ſitis urget, tuſſis inſurgit, reſpiratio fit difficilior, ingruit ſingultus, ac mens obnubilatur: nonnulli demum in icterum delabuntur.

Notandum incumbit quod nauſea & vomitu plerumque vexentur ægri; præſertim ſi lobus hepatis ventriculo incumbens afficiatur; ſub quo caſu de *morbi ſede* ſæpius dubitant clinici, vel oculatiores. Ubi vero phlogoſis convexam hepatis ſuperficiem occupat, dolor ferocior ad ſcrobiculum cordis porrigitur, aut verſus pectus ſe diffundit; imo & ad claviculas, ſcapulaſque pertingit; hinc fit ut ægri in latus affectum decumbere nequeant; unde pleuritidem mentitur hic affectus. In muſculos abdominis ſæpiſſime etiam diſſeminatur dolor; hinc de horumce organorum phlogoſi, haud levis emergit ſuſpicio. E bene perſpectis tamen ſingulorum horum morborum ſignis facile

eſt

eſt expiſcari, affectus de quo in præſentiarum, naturam & ſedem; dummodo hepatitis viciniorum viſcerum phlogoſim haud ſibi comitem adjungat: alias in ancipiti verſari, vel arduæ eſſe indaginis morbum implicitum candide fatemur.

Ubi *hepaticis ad ſuppurationem* vergit, dolor cum pulſatione recrudeſcit, æſtus fit intenſior, parſque affecta magis renitens protuberat. Tum horrores exſurgunt inordinati; ac *febris* exacerbatur; donec a confecto pure, vel diſrupto abſceſſu, in lentam, frequentiori lipothymia ſtipari ſolitam, faceſſat. In propatulo fit puris fluctuatio, ſi *abſceſſus* in parte antica hepatis ſitum habeat: ſed cavendum, uti jam inculcavimus, ne intumeſcens veſicula fellea pro puris collectione habeatur. Alias abſceſſus alte immerſus tactum plane fugit. Silentio prætermittere minime debemus, pus clanculari ſæpius in hepate confici, abſque prævia, uti videtur, inflammatione; poſt variolas ſcilicet, febres mali moris, &c. Purulentiam etiam notu difficillimam pariunt icterus & chronica hepatis obſtructio, quam produnt tuſſis nonnunquam ferocior, ſed intermittens; & tabes: non ſecus ac vetus hujuſce partis contuſio. Hoc infortunium denique accerſunt ulcerum capitis, cæterarumque partium, exſiccatio; eruptionum retroceſſus, &c. Notare juvat quod ab obſcura hac puris geneſi ſæpe emergat abſceſſus immenſæ molis, quantum vidiſſe memini viro quinquaginta annorum, & habitus athletici, qui abhinc biennio, poſt repulſum herpetem, tumorem in hypochondrio dextro geſtabat, qui ſenſim tantum incrementum ſumpſit, ut dimidium abdominis occuparet, haud ſine moleſta ſpirandi difficultate; donec pus viciniora ſenſim confodiens, trans diaphragma, viam ad pectus ſibi cuderit; unde emerſit ſtupenda, vomicæ inſtar, puris evacuatio, qua viribus exhauſtis poſt quatriduum occubuit miſellus æger. Hæc materia ad ſex vel octo libras adſtantium judicio accedens, fæcum vini colorem & craſſitiem referebat, ac tantum fœtorem ſpargebat, ut totas ædes tetro odore infecerit.

Inter calamitoſos morbos jure recenſetur hepatitis: quædam tamen ſubeſt curationis ſpes, ſi phlogoſis externam hepatis partem, certis terminis coercita, invadat: ſed ubi altius defigitur & late ſe ſpargit; ægrum in orci fauces præcipitem trahit. Nonnunquam aliarum inflammationum inſtar reſolutione judicatur: ſed ſæpius in abſceſſum faceſſit, vel ſcirrhum poſt ſe trahit, quibus imminet interitus. Delirium, materierum nigricantium vomitus, lipothymiæ, ſingultus, ſudores fridigi, &c. exitium portendunt. Si demum dolores, cæteris perſiſtentibus ſymptomatibus, ſubito evaneſcant, ad libitinarium mittere licet. Hæc inflammatio, reſolutione ſolvenda, haud ultra triduum quatriduumve protelatur: ſi vero ad ſeptimum diem protendatur, de purulentia & infarctu ſcirrhoſo nullus eſt ambigendi locus. Maximum ſane impendet periculum a confecto abſceſſu: haud tamen animo plane deſpondendum; cum nonnunquam accidat ut ſpontaneis naturæ viribus fiat puris avacuatio per vomitum, vel per ſedes. Haud raro etiam tabum reſorptum mingitur; vel ſputa purulenta promoventur: ſed tum imminet pulmonum exulceratio vel phthiſis; præſertim ſi a partium intermediarum eroſione, latex purulentus in hepar collectus, recto tramite pulmones adeat. In potiori ægrorum parte, pus diſrupto abſceſſu intra cavum abdominis profunditur; unde emergit *aſcites purulenta*, qua brevi contaminantur abdominis viſcera; unde febris lenta, maraſmus, &c. Abſceſſus in quibuſdam extus prominente, tabum, feliciſſimo ſane eventu, exitum per cutem ſibi parat; unde emergit ulcus poſt nonnullos menſes tralatitiis Artis Chirurgicæ præſidiis agglutinandum. Coronidis loco addere licet abſceſſum, ab hepatis phlogoſi ortum, proximum minari exitium; diuturniorem vero evadere, ſi morbo chronico natales debeat.

E ſectione cadaverum in apricum venit hepatis inflammatio; nunc anguſtis cancellis coercita; nunc late diffuſa: portentoſum ſæpius deprehenditur hoc viſcus, vicinioribuſque partibus accretum, abſceſſum vel plures diverſæ molis recondens. Ab eroſis partibus intermediis patet puris com-

commercium cum pulmonibus, ſtomacho & inteſtinis: tabum nonnunquam in inteſtina eructat ductus biliaris; nec deſunt hujuſce phænomeni exempla; ſed ſæpius reperitur abſceſſus integer variæ magnitudinis; vel prævia dilaceratione in abdominis cavum hians. Hepar præterea exulceratum, ſideratum, vel putredine confectum deprehenditur; vel ſacci inſtar vacuum & collapſum reperitur. Obvium in quibuſdam fit tabum in ſuo receptaculo concretum vel exſiccatum: in aliis pure ſcatet cyſtis fellea; coſtæ carie læduntur, &c. Diaphragma demum, pleura & pulmones phlogoſi, purulentia aut gangræna ſæpius defœdantur. Eamdem labem præ ſe ferunt ſtomachus, inteſtina, pancreas epiploon, renes, &c. Ut de variis ſtagnationibus ſanioſis, purulentis & fœdiſſimis, in pectoris & abdominis cavo, crebro occurrentibus ſileamus.

Sub hac inflammatione, non ſecus ac in aliis internis, a venæ ſectione auſpicanda eſt *curatio*; quæ pro ætate & viribus pluries iterari debet; dummodo haud ultra quatriduum, ni urgeat neceſſitas, proteletur. Nec minus conferunt diluentia, demulcentia & temperantia; ſerum nempe lactis, aqua pulli vel vituli, emulſiones, decoctum ex agrimonia & herbis cichoraceis paratum; ſperma ceti, &c. Pluris habentur ſedantia e nitro & camphora deprompta: ſed caute præſcribi debent hypnotica, quæ torporem inducendo infringunt vires vaſorum hepaticorum, quorum infarctus diutius protelatus ſcirrhoſam indolem contrahere ſolet. Ubi dolores miteſcunt & remittunt ſymptomata, circa ſcilicet ſextum vel ſeptimum morbi diem, proficue adhibentur laxantia; caſſia nimirum, manna, &c. A nonnullis laudantur ſudorifica, & præſertim antihecticum Poterii: ſed caute cum hiſce remediis mercari expedit; ne ab horum præpoſtero uſu ſanguis plus æquo excandeſcat: levem opem etiam conferunt vulneraria & balſamica; ni de hepatis exulceratione conſtet.

Quoad *remedia externa*; crebro injici debent enemata emollientia & laxantia: ſuppetias ferunt fotus, cataplaſmata, aliaque topica emollientia reſolventia & maturantia, pro re nata & vario morbi ſtatu uſurpanda. Ubi vero abſceſſus ante oculos verſatur, vel digitis contrectatur, nullum eſt dubium quin ferro vel cauſtico mature ſit aperiendus: hæc operatio, quam pluries celebrandam curavi, periculo vacat, dummodo abſceſſus partibus ſecandis connectatur: alias metus eſt ne quædam puris portio intra abdominis cavum, peſſimo ægrotantium damno, profundatur. De ictero, ſcirrho, ulcere, aliiſque hepatitidis reliquiis nihil addimus; cum de ſingulis hiſce affectibus, a quavis cauſa oriundis, alibi actum ſit.

ICTERUS.

PRæter cutis & conjunctivæ colorem flavum, quo ſingulis obvius patet hic morbus, qui alias *aurigo*, *morbus regius*; & noſtratibus *la jauniſſe* audit, aliis ſignis ſe prodit; totius nempe corporis pruritu, ore amaro, inappetentia, urina crocea vel fuſca quæ e longinquo adſpicienti ſubnigra videtur; ſubalbicantibus alvi dejectionibus, &c. Objecta nonnunquam lutea ab ægris percipiuntur; ſaliva & ſudor ſimilem quandoque referunt colorem, quo etiam infici omnia viſcera docet ſectio cadaverum. Vomitus, cardialgia, anxietates, dolor & renitentia hypochondrii dextri; ſpirandi difficultas, laſſitudo ſpontanea, lipothymiæ, &c. vulgatoria audiunt ſymptomata quibus ſtipatur *ictterus*, qui febrem haud raro comitem habet: alias pulſus tardus & debilis exploratur. Curis hoc ſeneſcente morbo, colore plumbeo, vel cæruleo-viridi, livido aut fuſco defædata, oculis nunc intenſe flavis, nunc quaſi coloris fuliginoſi; uriniſque colorem caffeti referentibus, *ictterum nigrum* exhibet, in quem flavus faceſſere ſolet: cujus cauſa erui debet a bilis porraceæ corruptione; quæ hinc ad acidum vergit. Sed pro ictero nigro minime haberi debent maculæ nigræ ſcorbuticæ, faciem aliamve partem deturpantes, cum aurigine legitima; nec color ille fuſcus nonnullis melancholicis familiaris, qui ſplenis vitio laborare dicuntur; qui affectus icteri nigri ſpleniici nomine ſalutatur; ſub quo vultus, quaſi fer-

ferrugine tinctus nigricat. Icterum *promovent* colica hepatica, hysterica, hypochondriaca, alteriusve naturæ; hepatis inflammatio, abscessus & obstructio, ileus, retardatus vel impeditus bilis ad duodenum appulsus. Suboritur a purgantibus mochlicis vel emeticis, a venenis, morsu animalium a retrocessis morbis cutaneis; a mensium hæmorrhoidumve sufflaminatione, a quartana aliisque intermittentibus præpostere curatis, ab intempestiva venæ sectione, a cachexia atque vehementioribus animi pathematibus. Hunc etiam accersunt helluationes, immodicus chocolatæ usus, cibi crassiores, vel pejoris notæ, &c. His addere licet mœrorem & tristitiam, vementioraque animi pathemata; haud enim fugit praxi edoctos affectum sensorium commune hepar in consensum plerumque trahere.

Haud *periculi* expers est icterus flavus; sed multo secus se res habet sub nigro, præsertim in provectiore ætate. Si icterus, sub febribus acutis, ante septimum diem se proferat, tristis est augurii: ubi tardius se prodit, criseos instar, faustum exitum pollicetur. Icterus a colica, emetico-catharticis & iracundia, brevi desinit; in gravidis vero partu solvitur. Pertinacissimus censetur, si cachexiæ vel scorbuto natales debeat, vel nullam causam evidentem agnoscat: haud aliter ominandum, ubi hepatis purulentiæ vel infarctui submittitur. Procedente morbo, exitium portendunt ventris intumescentia, tympanites, vomitus purulentus, & sedes ejusdem naturæ; suffocatio, lipothymiæ, marasmus, hydrops, &c. Ab urinis turbidis, atro-viresentibus, vel bile saturatis, salutis spes affulget; haud inanem vero metum incutiunt limpidæ. Icterum postremo solvunt sudores, fluxus hæmorrhoidalis & dysenteria, &c. Sed hoc semel affecti ejus remedium caveant.

Constat ex *observationibus anatomicis* non solum contextum cellularem, omniaque viscera; sed etiam cartilagines & ossa colore flavo tingi; non secus ac cutis. Sed innumeras ferme læsiones & defœdationes cernere licet in hepate, præcipua morbi sede: etenim livore affectum, subviride vel plumbeum, phlogosi correptum, infarctum & scirrhosum, firmius & exsiccatum, exiguum & contractum; vel immensæ molis deprehenditur: nunc exulceratione confossum, gangræna defœdatum, aut putredine confectum annotatur. Alias abscessus numero & magnitudine diversos recondit: tuberculisque quasi lapidescentibus, imo & vermibus scatet. Obvia fit vesicula fellea, nunc subsidens & exinanita; nunc bilem atro-viresentem, crassam & glutinosam, serosam & insipidam continens: in ipsa etiam latitant *pseudo-lapides* bilioſi, nunc ferme innumeri, nunc mole amplissimi, vel ad ovum gallinaceum accedentes; ac cystidem accurate replentes. Sic reperiuntur vasa biliaria ultra modum dilatata, lapidibus infarcta; vel sarcosi ex eorum lateribus prodeunte impedita: nonnunquam etiam a prominentibus pancreate & mesenterio, ab enormi coli magnitudine, aliove tumore compressa deteguntur. Ita demum in quibusdam exsiccantur hæc bilis receptacula, ut cartilaginum ossiumve duritiem æmulentur. Inter varias pectoris læsiones, quas recensere supervacaneum foret, notatu dignus occurrit tumor ingens pleuræ adnatus, quo pulmones & hepar obruebantur. Annotatur insuper ventriculus flatulentia in immensam molem assurgens; & sua sede distractus; vel peliculorum acervum colligens. Portentosam etiam assequitur amplitudinem colon: haud tantam dilatationem patiuntur cætera intestina; quæ verminosam etiam progeniem recondunt: flatu alias turgida, crassa & callosa apparent. Lien nunc mole amplissimus & scirrhosus; nunc exiguus & ad nihilum ferme redactus se præbet: alias tuberculis & lapillis refertus; putredine confectus, vel disruptus occurrit. Pancreas deforme, infarctum & putridum observatur. Omentum crassissimum, sphacelatum & plane corruptum se offert: præter varios tumores circa hepatis vicinia sitos, prædictum viscus comprimentes; diversas stagnationes, & innumera alia vitia parum ad nostrum argumentum pertinentia, & in omnibus morbo chronico extinctis observari solita.

E præfatis intelligitur icterum innumeris propemodum causis submitti; quibus posthabitis, incongrua tenetur *curandi methodo*

thodus. Ex his vero bene perſpectis & trutinatis patet quid ſelectu opus ſit, inter varia præſidia quæ clinicorum judicio ſubmittimus. Itaque recentis icteri curatio ſimplicioribus peragitur; ſed haud plus æquo eſt properanda. Diutius etiam ſub chronico eſt protelanda; ne intempeſtiva feſtinatione ægrotantium res, ſub utroque caſu, in pejus ruant: quod pluries accidiſſe norunt experti. Inertem vel noxiam eſſe venæ ſectionem experientia docet; ni tamen certiora adſint plethoræ vel phlogoſeos indicia; aut ſufflaminetur ſolita ſanguinis profluvia. Inter ſalubriora adverſus icterum medicamina jure recenſetur emeticum, dummodo ſtomachi vires ferant: confert enim in omnibus morbi temporibus; ſed pluris habetur in principio; nec raro evenit ut hoc ſolo præſidio exulet prædictus morbus. Haud minorem opem præſtant cathartica pluries per totum morbi curriculum repetita: ſed blandiora ſunt eligenda; rheum nempe, caſſia, manna, tamirindi; ſal epſomenſe, ſedlicenſe, Glauberi, &c. quæ per ſe, vel remedis infra recenſendis ſociata, proficue exhiberi ſolent.

Summe, nec immerito deprædicantur *diluentia*, *temperantia* & refrigerantia: id genus ſunt ſerum lactis, aqua pulli, emulſiones & aqua ſucco limonum imprægnata; decocta graminis, borraginis, cichorii, agrimoniæ, fumariæ, capillorum Veneris, linguæ cervinæ, lapathi, acetoſæ, fragariæ, aliorumque conſimilium: quibus addere licet cancros fluviatiles, pulverem temperantem, &c. Haud inanem operam ludunt ſedantia antiſpaſmodica, ceu crocus, pulvis de gutteta, &c. ſed annuentibus celebrioribus practicis caute præſcribi debent hypnotica, quorum intempeſtivus uſus infarctum hepatis producere ſolet. Nonnunquam etiam conferunt amara & ſtomachica, veluti abſinthium, centaurium minus, gentiana, enula campana, cortex peruvianus & cinnamomum: extractum juniperi, confectio de hyacintho, theriaca, &c. Sed haud plus æquo, vulgatiorum Medicorum exemplo, hiſce remediis confidendum. Præclara denique obeunt munia aperientia & diuretica; parietaria nempe, chelidonium, apium, aſparagus, rubia tinctorum & iris florentina; nitrum, ſal geniſtæ & tamariſci, crocus martis, globulus martialis, gummi ammoniacum, borax, ſapo, terra foliata tartari, arcanum duplicatum, tartarus martialis ſolubilis, aſelli, &c. quæ omnia haud forte inconſulto *hepaticorum* titulo inſignierunt Veteres. Non ſecus enim, facem præferente praxi, diſtinguuntur pectoralia & uterina, a demulcentibus, vulnerariis incidentibus & diureticis, e quorum claſſi depromi ſolent; ſic e temperantium, aperientium & ſtomachicorum tam amarorum quam acidorum agmine nonnulla colliguntur remedia magis hepati dicata. Num quamdam affinitatem habeant hæc medicamina cum hocce viſcere, vel latice inibi ſecernendo? cæteris penſitandum relinquimus.

Nec hiſce cancellis continentur *remedia antictherica*, etſi jam numeroſiſſima, quin potius plura alia in uſum trahuntur ſuccedanea; abſorbentia nempe, diaphoretica, depurantia, & antiſcurbutica, quæ pro re nata, variiſque circumſtantiis & implicationibus nonnihil ferre valent auxilii in diuturniori curatione, ad quam ſæpius haud niſi poſt varia tentamina, paratur via. Hanc demum claudunt aquæ minerales, tum frigidæ acidulæ & martiales, tum thermales; Paſſienſes nimirum, Forgienſes & Vallenſes, Vicienſes, Plumberianæ & Bellilucanæ; quæ poſtremæ maximi æſtimantur, nec immerito. Interea alvus per totum hujuſce morbi curriculum ſervetur libera, ope præſidiorum congruorum. Nonnullis ſuppetiantur fotus emollientes: quoſdam juvant ipſamet balnea, præſertim ſi urgeat pruritus; quæ etiam ſublato morbo opportune adhibentur; ut ſcilicet priſtinus nitor cuti, fœdo colore imbutæ, reſtituatur. Cæterum nemo neſcit oculos poſt abſolutam medelam, has morbi reliquias ægre ſæpius deponere; quibus delendis fumum aceti prodeſſe fertur.

NEPHRITIS.

Diverſa ſane eſt hujuſce *morbi indoles*, cum nunc pendeat a renum phlogoſi, vel ab horumce organorum conſtrictione ſpaſmodica, nunc a calculis & arenulis in pelvi hoſpitantibus, vel in ure-

teres adactis; a mucoso lotio prædicta receptacula obturante, &c. sed a quacumque causa ordiatur hic affectus; longas inducias concedit & præpostera victus ratione recurrere solet. Hinc intelligitur cur sint varii dolorum gradus; qui tantam ut plurimum tyrannidem exercent, ut totas ædes suis clamoribus repleant miselli ægrotantes; donec remittant, vel absoluta intermissione plane quiescant cruciatus nephritici. Lumbis infigi, vel stomachum obsidere videntur dolores, qui in plerisque ad radicem penis, vel ad ulterutrum inguen propagantur; imo & ad ipsum testem, qui retractionem quamdam patitur, pertingunt. Nec raro evenit ut crus ejusdem lateris torpore afficiatur. Interea urinæ sufflaminantur; vel parce, & cum stranguria fluunt: *vigente paroxysmo* limpidæ minguntur; sub finem vero turbidæ, mucosæ, sabulo refertæ se præbent. Alvus sævientibus doloribus obturatur; atque moventur nauseæ & vomituritiones. Febre plerumque stipatur nephritis, cujus stadium, ab aliquot horis, ad plures dies protelatur: ejus solutionem prænuntiant largus lotii proventus, vel cujuscumque calculi exitus.

Quibuscumque *indiciis* se prodat nephritis; nonnunquam tamen ægre innotescit; eo quod ejus schema sæpius mentiantur variæ colicæ, hepatica nempe, & duodenalis, eadem furentes sævitie: haud absimilem etiam faciem præ se ferre valent dolores colon obsidentes; cum hoc intestinum, uti neminem anatomicum latet, ad inguina utrinque protendatur. Varii præterea occurrunt abdominis dolores qui nephritidem æmulantur; id genus sunt nonnulli cruciatus rheumatici, arthritici, scorbutici & hysterici; non secus ac tormina quæ ineuntibus febribus intermittentibus, vel erumpentibus catameniis, renibus defigi videntur. Pro nephritide sæpius habetur lumbago, licet sola motuum organa afficiat; quæ ideo pertractatione, vel quovis spinæ motu exacerbatur; quod nusquam evenit sub vera nephritide, ni cum doloribus ischiadicis implicetur, uti haud raro accidit: quo fit ut varii nephritici a corporis inflexione quoddam solatium experiantur.

Nephritide ab affectibus cognatis accurate distincta; aliud clinicis impendet munus, ut scilicet *genuinam morbi indolem* expiscentur: num a phlogosi, calculo, spasmo, vel muco prosapiam ducat. Itaque renum inflammatio dignoscitur a dolorum vix remittentium pertinacia; a febre acuta; ab urina primo flammea, dein limpidissima, &c. sub renum calculo, (circa quem per transennam notare expedit quod renem ut plurimum sinistrum obsideat). Nulla vel mitior adest febris: quasdam intermissiones subeunt dolores, qui alias a varia calculi dimotione, ita sæpius recrudescunt, ut phlogosim accersere queant. Tormina ab spasmo orta acerbiora evadunt; sed ad varias abdominis partes propagantur, & brevi desinunt: insuper urinæ a plus æquo constrictis suis organis secretoriis subalbicant, guttatim stillant, vel plane sufflaminantur. Tantas neutiquam concitat procellas nephritis, a mucoso lotio oriunda: dolores nimirum placidiores vel obscure ingruunt; omniaque remissiora observantur symptomata. Nusquam *periculo* vacat hic morbus, cujuscumque sit naturæ, cum ægros haud raro in vitæ discrimen trahat. Si dolor ultra septimum diem proteletur, ac invalescente febre, horroribusque inordinate recurrentibus, pulsativus evadat; de puris confectione cogitandum. Subitanea cruciatuum cessatio; pulsus depressus & intermittens; sudores frigidi, atque urina nigricans & fœtens, certissimas gangrænæ notas præbent. Ad nephritidem *proni* existimantur litterati, & otio recumbentes; baccho & veneri litantes; melancholici & arthritici, &c. huic demum obnoxii censeri debent qui unum aut alterum insultum jam passi sunt; si sit præsertim labes hæreditaria.

Institutæ *cadaverum sectiones* exhibent renes mole amplissimos, vel marcidos & corrugatos; compactiores & firmiores; vel ad cartilagineam duritiem accedentes; inflammatos vel absessum recondentes; ulcere confossos; putriditate & gangræna conspurcatos; scirrhosos & tuberculis refertos, horumque ambitum granulis vel pustulis obductum; varicibusque exasperatum, &c. In quibusdam cadaveribus, nil præter saccum materiam subviridem, sa-

nio-

niosam & purulentam, & nonnunquam hydatides, imo & vermes, continentem conspicitur. Nonnunquam unicus prostat ren, multiformis; dextra lævaque, vel in medio situs. Præterea familiarissime occurrunt in pelvi arenulæ, calculi, & lapides, diversæ molis & figuræ, quibus sæpius infarciuntur ureteres, vel plane obturantur: hinc fit ut a sufflaminato lotio in immensam quandoque molem assurgant prædicti canales: nec desunt lapides tunicati diversæ molis. De rene portentoso, triginta quinque horas pendente, mentio subjicitur: alter annotatus fuit mera flatulentia supra modum dilatatus: nec desunt historiæ renum putrefactorum, & albastri instar albicantium. Sed mirari profecto subit lapides diversæ molis, vel ingentes in renum pelvi nidulantes, vel maximam in alterutro rene stragem, nonnunquam reperiri inter rimanda cadavera quorundam, qui dum viverent, arenularum, muci & puris excretionis plane nescii, nullum nephritidis insultum passi fuerant: quod stupendum phænomenum pluries me vidisse memini. Ægre etiam intelligitur cur læso alterutro rene, dolor sæviat in alio latere; quod non raro mihi vidisse contigit. Nec inculpata occurrunt alia viscera in nephritide extinctas; pancreas enim scirrhosum, purulentum, vel lapides recondens nonnunquam detegitur: mesenterium infarctum vel tabo conspurcatum se offert. Lien firmior & compactus, e situ depulsus, renique sinistro incumbens, vel pultis instar contrectatus diffluens deprehenditur. Ut de tumore ilei scirrhoso; aortæ, ejusque propaginum aneurismate; vertebrarum carie; abscessibus passim occurrentibus; serosa circa medullam spinalem colluvie, aliisque vitiis a nephritide plane alienis; nil addam.

Eo collimandum, vigente insultu nephritico, ut dolores compescantur; flexilitas scilicet & mollities lacessitis organis concilientur. Utrumque præstant *venæ sectiones* quantocyus celebrandæ; ac pro ætate, temperie & viribus; vel febris vehementia & dolorum acutie, plus minusve iterandæ. In hunc etiam scopum larga manu propinantur *diluentia* & *demulcentia*; serum nempe lactis, aqua pulli & oryzæ, infusum e floribus malvæ & seminibus lini; oleum amygdalarum dulcium & sperma ceti: emulsiones vulgatiores, vel e seminibus papaveris albi paratæ; syrupus violaceus, de nymphæa, &c. nec minus prosunt *hypnotica*, uti diacodium, laudanum liquidum, pilulæ de cynoglosso, syrupus de karabe, &c. Sed certis cancellis contineri debet narcoticorum usus; cum sæpius horum præpostera administratione frangantur organorum vires, ad calculorum excretionem apprime necessariæ: ac exulare plane debent, ubi vel minima gangrænæ emergit suspicio. Dilutum cassiæ, aliaque laxantia blandiora, haud nisi remittentibus torminibus usurpari queunt. Si diutius proteletur urinæ suppressio, cum imminente vitæ discrimine, ad emeticum, tanquam ad sacram anchoram, confugere expedit: plures enim ad incitas redactos ab orco quasi revocasse illud remedium multiplici constat experientia, & ipsemet pluries vidi; periculo tamen minime vacat sub hac rerum conditione emeticum; cum nonnunquam obici morboso superando impar, præceps exitium afferat: sed in hisce angustiis; vel in casu desperato, haud vetantur tentamina, quibus nonnulla eluceset curationis spes. Quidam postremo summis præconiis celebrant semen fructus exotici, nomine *sapotille*, quem fert arbor Americana, achras apud Plumerium dicta: sed num cæteris jam traditis præsidiis antecellat, dubitare licet.

Fugato paroxysmo ad *prophylactica* devenire expedit; in quorum sane recta administratione præcipuum versatur curationis momentum. Diuretica sævientibus doloribus summe reformidanda, egregie conferunt, ad præcavendum horum reditum; selectiora audiunt & usitatiora pareira brava, lignum nephriticum, parietaria, herniaria, radices helenii & calcitrapæ; semina dauci sylvestris; nitrum, balsamum peruvianum, terebinthina, &c. Celeberrimum fuit, præsertim in Occitania remedium antinephriticum bavillianum; quod sane minime despiciendum, præcipuas vires mutuatur a radice calcitrapæ, foliis parietariæ & ligno sassafras; de cujus processu in materia medica. Sed experientia judice, omnibus hisce remediis præstant

pilulæ lithontripticæ STEPHENS; quæ etiam tuto usurpantur vigente insultu; dummodo tamen morbus ab arenulis, vel calculo concitetur; alias inutilem operam ludunt. Insuper exquisitiorum prophylacticorum vires æmulatur, & forte superat diæta lactea, quæ haud reluctante stomacho, rarissime fallit. Felici etiam successu in usum trahi solent aquæ Vallenses, Forgienses, Amandinæ, Balneolenses, Motenses, Bellilucanæ, Vicienses, Baregienses, Vervonenses, Granenses, aliæque minerales forte innumeræ, tum frigidæ, tum thermales; quæ majori impetu ad renes appellendo, arenulas secum rapiunt. Nec despicienda aqua communis tepida, singulis matutinis ad libras duas circiter epota: plures enim hoc solo domestico præsidio imminentes accessiones inhibuisse multiplici comitat experientia. In subsidium etiam vocari debent, sub omnibus curationis temporibus, enemata emollientia & demulcentia, ex althæa scilicet, seminibus lini, oleo, butyro, aliisque affinibus, parata. Haud minorem opem conferunt fotus, balnea, semicupia, &c. nonnunquam postremo podici admoventur hirudines, quæ sub quibusdam circumstantiis mira præstare queunt; ubi scilicet sanguis præfervidus circa urinæ incernicula stagnare cogitur. Silentio minime premere debemus a nonnullis celebrari quemdam *lapidem*, *nephriticum* dictum, quem regioni renum alligare solent; qui ad jaspidem accedens coloris obscuri, viridis & variegati, ac superficiei quasi subpinguis affertur ex Hispania & Bohemia: sed jam exolevit hoc remedium, de cujus viribus dubitare licet.

LITHIASIS.

ARenulæ quæ in renum pelvi efformantur, præterfluente lotio rapi, & foras placide abigi queunt: sed si inibi morentur & certam molem adipiscantur; vellicationes sæpius molestissimas tam in pelvi, quam in ureteribus quibus adiguntur, pariunt; unde nephritis de qua supra. Ab arenularum coalitu, vel ulteriori incremento emergunt calculi, qui etiam ab urinæ profluvio in vesicam blande detrudi; vel dolorem tantummodo obscurum concitare valent. Sæpius tamen acerbiores cruciatus promovent, qui dorso, stomacho, inguinibus, &c. infigi videntur: sed calculi grandiores renibus impacti qui a sede minime dimoveri patiuntur nullam vel levem molestiam inferunt, ni e suis typis divellantur. *Renum lithiasis innotescere* valet a prævia nephritide, a lotio mucoso, furfuraceo, arenulisve referto, & ab excretis lapidibus; a prægressis insultibus arthriticis, ischiadicis, &c. quibus adde stranguriam cum mictu cruento post equitationem, vectionem in rheda, aliamve insolitam exercitationem; sed *calculum* potius *vesicæ* prodere videtur hoc postremum signum; præsertim accedente dysuria, cum dolore ad extremum penem, post mictum pertingente. Nec desunt alia lapidis in vesica latitantis indicia; tenesmus nempe qui singulos mingendi conatus concomitatur; quidam gravitatis sensus in perinæo; crebra genitalium titillatio, vel pruritus, ad quem compescendum, manum, gestu sane indecoro, sæpius admovere cogitur uterque sexus: quod præsertim annotatur in infantibus qui penem sæpissime contrectant, & distrahunt, ut urinæ exitui faveant, vel dolores leniant. Interea prosiliens urina sæpius sistitur; vel per vices, alternatimque inter tormina mingitur; ni ægrotantes experientia edocti, in unum vel alterum latus decumbentes vesicam exonerent; ut scilicet lapis vesicæ cervicem obturans, proprio pondere, ad hujusce organi fundum vel latera devolvatur.

Haud conticendum vesicæ phlogosim, abscessum, exulcerationem, scirrhum, &c. etiam respicere tradita *signa*, quotquot se proferant; adeo ut in ancipiti versetur hujusce morbi diagnosis; ni vesicæ calculus digito in anum immisso exploretur, vel catheterе in vesicam adacto attingatur. Raro tamen digitus podici inditus ad vesicam adultorum pertingere valet licet de infantibus nullum sit dubium. *Catheterismus* vero nonnunquam fallit, ubi scilicet lapis circa vesicæ latera delitescit, inibique sibi foveam cudit; quo recessu, fistulæ argenteæ apicem fugit. Dolores quidem, cujuscumque sortis sint, continui vel intermittentes inter *indicia fallacia*

rint numerari debent, cum, uti jam inculcavimus, ab alia causa suboriri queant, & nonnulli occurrant ægri, qui longissimis induciis gaudeant. Nec desunt doloris expertes; qui scilicet insciі ingentes lapides tam in renibus quam in vesica gestant; & nil patiuntur quod calculi suspicionem movet. In quodam viro, notante Rega, de dolore genuum, dum viveret, perpetuo querulo, reperiebatur ingens calculus in rene, antea doloris plane experte. Minime sane mirum si lapis superficie lævi intra foveam sensim & processu temporis insculptam, in renum & vesicæ molli & flexili contextu defigatur, ita ut nequaquam obstet urinæ profluvio; vel peculiari capsula ita includatur & alligetur, ut immotus & iners inibi jaceat. Caveant sub hocce casu cystotomi, ne inter trahendum lapidem, nonnullam vesicæ portionem divellant, quam pro farcosi fungosa fatuis adstantibus ostentare solent; quod pluries, haud citra cordolium vidisse memini; ac nullus, ni fallor, eorum qui hoc infortunium passi fuerunt, sanitati restitutus fuit. Hinc intelligitur cur plures calculosi ætatem citra incommodum trahant; quod etiam quandoque accidit, si lapis, etsi grandior, ambitu glabro & lævi, nullam in vesica molestiam creet, præter quandam ponderis sensationem, de qua parum curant ægrotantes. Sed si ejus superficies sit inæqualis, scabra, vel aculeis horrida; summos cruciatus singulis vesicæ contractionibus infert; e quorum diuturnitate emergit phlogosis, quam excipit ulcus; quo sensim non solum vesica; sed etiam confines partes depascuntur: hinc fit ut lapis in scrotum haud raro devolvatur; vel intestinum rectum subeat, & per podicem foras amandetur.

Nemini parcit diathesis calculosa, quæ sæpissime a parentibus in prolem propagatur: infantes tamen & ætate provectos huic morbo magis esse *obnoxios* nemo nescit. Ad hunc proclives sunt admissarii, vel qui, immatura ætate, veneri petulantius se addixerunt. Impendet laute victitantibus, qui cupediis delectantur; sæpissimeque attingit poculis deditos. Rarolithiasi immunes sunt arthritici, quorum-

urinæ sedimentum gypseum deponere, vel arenulis scatere solent; hinc cum genuina nephritide sæpius colluctantur; præter quosdam insultus, qui hunc affectum, æque ac dolores e calculo vesicæ oriundos, accurate mentiuntur. Sed nothas, tum colicæ nephriticæ, tum calculo vesicæ, accessiones, etiam comite stranguria, crebro patiuntur hystericæ, hypochondriaci, scorbutici, profluvioque hæmorrhoidali obnoxii; alias genuini calculi minime expertes.

Secta cadavera lapides multiformes & grandiores, sæpius inexpectatos in renibus patefaciunt: imo & mole portentosi haud raro occurrunt in quibusdam qui, uti jam inculcavimus, nullam dum viverent de hocce morbo suspicionem habuerant. Purulentiam, putredinem, aliasque læsiones de quibus supra, etiam exhibent urinæ incernicula; quorum dextrum hepati, vel colo, agglutinatum nonnunquam annotatur. Ureteres deteguntur lapillulis infarcti, plane obturati, ultra modum dilatati, tortuosi, callosi, &c. patet vesica densa & compacta, calculum ita obvolvens, ut vix supersit cavum ad urinæ effluxum; lapidibus fœta, phlogosi correpta, ulcere exesa; subnigra & siderata; duplicemque saccum, cucurbitæ lagenariæ instar, effingens. Observatur quandoque illud organum vaginæ prolapsu a sede dimotum; alias ulcere confossum, & in intestinum rectum hians detegitur; vel ab inducta cicatrice intestino firmiter hæret. Lapides in quibusdam occurrunt stupendæ magnitudinis, ad malum scilicet aurantium; ad ovum struthio-camelinum; vel ad pueri caput accedentes; aut ponderis quatuor circiter librarum. Nonnulli lapides medio foramine excavantur; vel strix, canaliculusve ipsis insculpitur, ut appellenti lotio aditum largiantur: nunc perpoliti & quasi lævigati observantur; alias asperi, scabri, tuberculis obsiti, spiculis quasi horridi, &c. in apricum veniunt. Ratione firmitatis; plures adinveniuntur molles & friabiles, vel quasi gypsei; alii vero densiores ad silicis duritiem accedunt, e quibus chalybe percussis scintillæ prodeunt igneæ. Diversum etiam colorem referunt; alii enim sunt subalbidi, sublutei vel virescentes; alii fusci, nigri, &c.

&c. deprehenduntur; nec desunt qui quadam pelluciditate donantur. Calculi urinarii, utplurimum liberi in vesica fluctuantes reperiuntur: nonnulli tamen, uti jam innuimus, deteguntur ita lateribus vesicæ defixi ut capsula includi videantur; quo fit ut explorantem catheterem fugiant. Præsertim ubi sub parte postica trigoni, ut pluries observavi, latent; cujus exemplum præbent Acta Chirurgicorum Parisiensium, pag. 399. tomi primi. Nemo non novit nucleum prædictorum lapidum; cujus vices nonnunquam explent aciculæ, acus, funiculi, cereoli, specilla plumbea, aliaque corpora extranea circa quæ sensim efformantur & concrescunt lapides. Reperiuntur postremo calculi in urethra, vel extra repagula; in corpore scilicet celluloso perinæi, scroti, &c.

Haud difficili marte fugantur, uti supra innuimus, *renum arenulæ*; sed aliter se res habet de calculo certæ molis, & formæ inconditæ hisce visceribus impacto, qui nulla hactenus nota arte se expugnari patitur; ac ideo *curam* mere *palliativam* duntaxat admittit; si excipias *nephrotomiam*, de qua multum controvertitur: vix sane concipere licet quomodo, absque præsenti vitæ periculo, vulnus infligi possit in partem reconditissimam: nec facilius intelligitur modus urinam deflectendi a sauciato rene prosilientem, & hinc cicatrici obstantem: de hac controversia consulere licet tertium Academiæ Chirurgicæ volumen, in quo varia prostant curiosa, & scitu digna. Ubi vero calculus in pelvi renum latitans ad orbicularem formam accedit; ac certam molem nondum assecutus est; facile a præterfluente lotio rapitur, & per ureteres ad vesicam devolvitur. Quibus sic se habentibus, nil efficacius reperitur, quam *largus aquæ potus*, quo urina pleno gurgite e vesica exiens corpus illud extraneum secum rapiat; constat enim quod nonnulli lapides ad olivæ vel avellanæ magnitudinem accedentes sæpius per hancce viam foras amandantur: ad quod opus etiam conferunt enemata emollientia, balnea, &c. Quandoque evenit ut calculus grandior, superandæ vi contractili urethræ impar, inibi moretur & mictum plane præpediat; donec ab aqua affatim hausta major lotii proventus, & impetus, hunc obicem tollat: quo tamen irrito præsidio ad *urethræ sectionem* incunctanter devenire licet; quæ operatio simplicissima periculi est plane expers. Faciliorem esse calculi ejectionem in sequiori sexu neminem ferme latet: etenim traditur quamdam mulierem quinquagenariam, lapidem uncias duas pendentem per urethram expulisse. Ubi *calculus in vesica* latitans insignem assequitur magnitudinem, & nulla spontanei exitus spes supereſt; ad *curam palliativam*; nimirum ad enemata, injectiones in urethram, & topica cujuscumque sortis emollientia; accedentibus paregoricis internis, congruoque vitæ regimine, converti solent clinicorum curæ; ni cruciatus, quibus torquentur ægri, ad *cystotomiam* devenire cogant; cujus periclitationem, jubente Ludovico XI. primus, prospero successu, subiit Parisiis anno 1474, quidam pro suis flagitiis capite damnatus: quo inaudito tentamine e truculento morbo evasit, & probrosam mortem effugit. Hæc tamen operatio cujus varias methodos nemo non novit, licet nostra ætate, cura & studio cujusdam Monachi Parisiis celebratissimi, aliorumque de re Chirurgica bene meritorum, omnibus ferme numeris absoluta, periculo minime vacat; quin potius plures illuc mittit unde negant redire quemquam; præterquam quod lapis, præ mole, extractioni ineptus sæpius evadat; sed *hoc* periculum adire quasi coguntur doloris impatientes

Haud desunt tamen *lithontriptica* ab Auctoribus, penes quos sit fides, plurimum decantata; virga nempe aurea, alkekengi, cepa, raphanus rusticanus; succus limonum, pareira brava & lignum nephriticum. In hunc usum etiam veniunt aquæ Baregienses, Borbonienses, Passienses, aliæque minerales haud immerito celebratæ; magis tamen exturbandis arenulis, quam lapidis solutioni promovendæ, aptæ. Uvam ursi summis laudibus extollit clariss. DE HAEN, qui inter artis proceres haud infimum locum sibi vindicat; sed num inducias, quibus inter hujusce remedii usum fruuntur ægri, haud potius paregoricis & injecto in vesicam oleo

oleo lini, referri queant? solertioribus examinandum relinquimus. Præterea post diuturniorem hujusce remedii usum, calculus, annuente ipsomet Auctore, intactus remanet; & post varias inducias recurrunt symptomata, vel truculentiora. Multum etiam a recentioribus deprædicatur aqua calcis e conchis ostreorum parata, tam pro usu interno, quam ad injectiones in vesicam: de egregiis hujusce aquæ viribus innumeræ jam prostant historiæ; quibus saltem constat haud noxiam fore; quod tamen ulterioris experientiæ incudi submittendum esse censemus. Cæterum inter varia lithontriptica paucis abhinc annis publici juris facta, sibi par forte non habet *remedium stephensianum* e sapone & calce præcipue confectum; cujus præstantia validis argumentis impugnata, accuratioribus experimentis clinicis comprobatur: quibus bene perspectis & trutinatis, lapides molles vel gypseos, hocce præsidio solvi; neutiquam vero saxeos luce clarius patet. Minime mirum si, posthabito hoc discrimine, multum & perperam de hac re dissentiant; vel hoc remedium plane abdicent etiam primi subsellii Auctores, inter quos gravamur numerare clarissimum MEAD. Sed missis hisce disputationibus ad rem, vel minimam, elucidandam nil conferentibus; quid e nostris observationibus tam publicis, quam privatis sit colligendum candide aperiemus; prius tradita historia cujusdam ægrotantis jam præ morbi diuturnitate & sævitie ad incitas redacti; hocce lithontriptico ultra omne dubium ab orco revocati.

Vir quinquagenarius, haud infimæ conditionis, febre lenta, & doloribus a calculo vesicæ oriundis attritus cystotomiam obnixe efflagitabat. Jam diu indesinenti stillicidio fluebant urinæ; appetitus plane prosternebatur; somnum arcebant dolores identidem ferociores, atque viribus fatiscentibus ad ineluctabile fatum properabat. Quibus sic se habentibus, & lapide catheteris ope pluries explorato, remedium Anglicum, jam crebro usu receptum, ipsi reluctanti proposui, & quantocyus exhibendum curavi. Sub secundo mense quoddam levamen expertus fuit: tertio melius se habuit; quarto majores erant induciæ; atque urinam ad horam integram & ultra cohibebat; quod pluribus abhinc mensibus nusquam ipsi contigerat. Quid opus est verbis; omnibus rite succedentibus circa octavum mensem voti plane compos fuit, nullo remanente morbi vestigio. Notare expedit quod per totum curationis stadium innumera lapidis ramenta, materiamque lutulentam & gypseam, una cum lotio, minxerit; quod dein limpidum evasit; & non secus ac in vegetiori sanitate, vesica obsequentiori, coercebatur; ac pro nutu absque minimo dolore prosiliebat. Id temporis, appetitum, somnum & vires recuperavit: saginatus demum, cum facie florida, tam vegetus fuit, ac si nusquam mali passus fuisset. Licet de integra, omnibusque numeris absoluta hac curatione nullus fuisset ambigendi locus; haud tamen incongruum fore putavi, ut publica fieret exploratio ope catheteris; qua, post omnium adstantium tum Chirurgorum, tum Medicorum, præsertim Chirurgi cui sectio ante septem menses commissa fuerat, tentamina; calculum vesicæ plane fugatum fuisse, vel in frusta, quæ secum devehebat lotium, facessisse nemine discrepante, constitit.

Cæteras de hac re observationes, tum vesicæ calculum, tum renum lithiasim respicientes quæ in nostris prostant adversariis: recensere longum & fastidiosum esset opus: ideo quid ex illis collatis sit inferendum paucis, parergi loco, perstringere haud inconsultum nobis visum fuit. Primo itaque e pluribus qui calculo vesicæ laborabant, & nostræ curæ se commiserunt, quatuor duntaxat pristinæ sanitati, intra octo vel decem mensium spatium restituti fuerunt: alii diuturniori curatione pertæsi, medicamen quotidie tergeminum, palato ingratum & nauseosum ægre ferentes, præceptis Medicis, etsi melius se habebant, obtemperare plane recusarunt: inter quos unus modo senex, qui octogesimum ætatis annum agebat; & cujus calculus cautis instar forte induruerat, tantum levamen ab hocce remedio accipiebat, ut per plures annos ab hujus usu minime recesserit, donec senio confectus &, nescio quo morbo, ad superos migraverit: alter fuit qui præter calculum vesicæ, ul-

cere

cere renum & febre lenta, una cum marasmo laborabat, quibus ad incitas redactus occubuit; cui hoc remedium haud ultra mensem ipsi submini stratum fuit; stupendum tamen effectum in lapidem, cupidem, cujus icon prostat in actis Academiæ Regiæ Scientiarum, jam exeruerat; quem scilicet per totam superficiem erosum omnes in publica cadaveris sectione mirati sunt; haud discrepantibus ipsismet cystotomis. 2. Haud minorem præstarunt opem pilulæ ejusdem Auctoris, nephitidi dicatæ, quæ scilicet hunc morbum in potiori ægrorum parte plane fugarunt; & in cæteris summe leniebant. 3. Secus se res habuit erga renum lithiasim: bini duntaxat hoc morbo, uti videbatur, afflicti meæ curæ se tradiderunt; quibus aliquid tulit auxilii prædictum remedium: sed nil aliud præter remissionem, qua tamen summe oblectabantur, experti fuere. E quibus colligere datur hocce remedium, præter vim fabulum expellendi qua egregie pollet, merum esse *lithontripticum* erga calculos in vesica delitescentes; dummodo haud saxeam duritiem assequantur; & ideo in præstantiorum medicaminum censu haud infimum gradum mereri, quidquid obganniant qui turpi lucro inhiantes, alias methodos vituperare solent. Nec me movet assertum clariss. Huxham, qui arbitratur prædictum medicamen labem scorbuticam inferre; & hinc hoc morbo affectis nusquam congruere, quod haud observasse memini: sed tanti viri auctoritate ductus, ulterius inquirendum esse censeo.

MICTUS CRUENTUS.

HAud dilucide quandoque patet, num *sanguis* sua repagula transiliens, lotiumque inficiens, *e renibus vel vesica* prodeat; etsi haud desunt *utriusque stratus indicia*. Etenim nullo plerumque dolore stipatur hic affectus, si cruor e renibus stillet, ni implicetur cum lapide, aliove vitio organico; vel intercipiatur urinæ fluxus a sanguine grumoso, alterutrum ureterem impediente; unde moventur dolores a superato obice compescendi: sed acerbiores concitantur, ubi cruor e vesicæ lateribus erumpit; quoties scilicet lotium exhisce latebris expellitur. Periodice nonnunquam, vel statis temporibus, singulis nempe mensibus, recurrit mictus cruentus ab utroque organo prodiens; sed a consueta norma recedunt insultus, si ægri helluationibus & compotationibus indulgeant; varia prostant exempla apud Scriptores Medicos fluxus cujusdam menstrualis per veretrum. Alterius est indolis hæmorrhagia urethræ, doloris expers, & ganeonibus familiaris, qua cruor sincerus e pene guttatim stillat; lotio remanente limpido. Calculo renum & vesicæ plerumque submittitur mictio cruenta, quæ etiam sobolescit a varicibus quibus exasperantur vesicæ vascula. Præterea a cantharibus intus sumptis, vel extus admotis, ab aloeticis, a balsamo sulphuris terebinthinato; aliisque stimulantibus, ortum quandoque ducit hic affectus: quem etiam *promovere* queunt ictus, casus ab alto, inconsulta corporis molimina, exercitationes immodicæ, castra veneris, vinum liberalius sumptum, iracundia ferox, &c. Hunc morbum accersere solet mensium sufflaminatio a casu, vel ætate, orta: idem evenit a suppresso hæmorrhoidum profluvio. Insuper melancholici & scorbutici urinas atrorubentes, vegeta sanitate, sæpius mingunt, parum a cruentis discrepantes. Quid simile accidit ab hepatis infarctu, e quo alias prosapiam nonnunquam ducit morbus de quo in præsentiarum. Constat præterea quo sanguinem esse fervidiorem, eo urinam excerni rubicundiorem; lateritiam mingi sub febribus intermittentibus, &c. Pro varietate demum assumptorum urinas multifariam tingi neminem latet.

Nusquam sane *periculo* vacat mictus cruentus; præsertim si febre & dolore stipetur: sed maxima plerumque est curationis spes: urinas saturate rubras, vel subatras, diu & absque nulla molestia plures mingere nemo nescit: imo & pro salubri nonnunquam habetur mictus cruentus sub febre ardente erumpens. Secus se res habet in aliis febrium speciebus; quin potius inter procellosa symptomata numeratur sub variolis & morbillis, ac febribus malignis. Haud ominosus censetur mictus cruentus periodicus, dum mensium & hæmorrhoidum vices supplet: nec majorem me-

metum incutit, si ab exercitatione immodica, aliave causa fugaci suboriatur; ni tamen diutius protractus exulcerationem in læsis organis minetur. Ubi calculo, aliave horumce viscerum labe soboleſcit; clinicorum artes eludere, ægrorumque ærumnas protelare solet.

Numerosissimæ prostant *historiæ anatomicæ* hunc morbum respicientes; e quibus colligitur mictum cruentum sæpissime progigni a calculo renum & vesicæ; inter quæ rimanda, ad vulnerata vasa facillime ducunt sanguinis reliquiæ, supra quas incruentæ reperiuntur partes. In apricum venit sanguis concretus in vesica fluitans, vel ureteribus impactus: haud absimilis etiam detegitur obex in urethra. Renes insuper inveniuntur exulceratione defœdati, vel putredine plane confecti. Se præbent vesicæ vasa, ejus imprimis cervicem irrigantia, sanguine turgida & varicosa. Præter calculos mortiformes, vermes inibi nidulantes nonnunquam recondit hoc viscus; quod crebro maculis gangrænodeis signatum observatur, intus exfoliatum, &c. Cæterum alia occurrunt labefactata viscera: oculis nempe subjicitur hepar inflammatum, scirrosum, purulentia tactum, & sideratum. Lien mole portentosus, vel infarctus sese offert. Cor tabo conspurcatum, vel concretiones lapideas recondens, in conspectum venit; ut de aliis innumeris vitiis taceamus quæ a nostro argumento plane aliena videntur.

Nullum est dubium quin sanguinis missio; cæteraque *præsidia* hæmorrhagiis dicata plurimum conferant sub mictu cruento: neminem fugit saphenam secandam esse, si menses vel hæmorrhoides cohibeantur. Sed præclara munia obeunt *diluentia*, *refrigerantia* & temperantia; serum nempe lactis, & decocta e borragine, cichorio, agrimonia, pimpinella, lingua cervina, herbis capillaribus, urtica & symphyto parata. Haud minorem opem præstant *demulcentia*; flores nempe & radices althææ, semina lini; lac, emulsiones, sperma ceti, &c. Opportune exhibentur *sedantia* e nitro & camphora deprompta; præsertim, ubi mictus cruentus febris symptoma audit: non vetantur, cæteris consentientibus, laudanum, diacodium, cæteraque narcotica; si ægri insomnes noctes ducant. Cum adstringentibus caute mercari expedit; etsi plures audacter proponunt mala cydonia; catechu, bolum armenam, &c. experientia enim edoctus, hæc haud citra periculum adhiberi posse crediderim.

Opportune exhiberi queunt *vulneraria*; hypericum scilicet, veronica, hedera terrestris, trochisci Gordoni, &c. sed balsama & terebinthinæ, licet inter traumatica celebriora numerentur, raro sub hac rerum conditione, ex voto succedunt. Proficue, pro re nata, in usum trahuntur rheum, manna, cassia, aliaque laxantia; nec exulare debent cathartica validiora, jalapium scilicet & diacrydium, dummodo refracta dosi, mitioribus socientur. Fauste etiam sub nonnullis casibus, usurpari queunt *aperientia*, ceu crocus martis, tartarus chalybeatus, aselli; & id genus alia innumera: nec minus prosunt, si nil obstet, aromatica & roborantia; videlicet cassia lignea, & cinnamomum; salvia, mentha, calamintha, &c. licet mere empirica videantur: pluries enim observarunt clinici prædicta remedia, in alium scopum præcepta, quasi forte fortuna mictum cruentum plane cohibuisse: hunc stupendum effectum notare mihi contigit in nobili muliere, quæ duobus abhinc annis, ni fallor, mictu cruento laborabat; cujus curatio, post varia incassum adhibita præsidia, naturæ tradita fuit; quem tamen mictum evicit salviæ usus, cui ad refocillandum stomachum, tunc temporis inhærebat. Ut in orbitam revertamus, si inania sunt memorata medicamina, ad aquas minerales, ut inquiunt, acidulas, quibus lac opportune immiscetur, confugere juvat; in hoc enim auxilio versatur noviſſima spes. Postremo in subsidium etiam vocari solent remedia externa; injectiones nempe ex aqua frigida, aquis bellilucanis, aliisque thermalibus; enemata demulcentia & laxantia; æque ac balnea; hirudines vasis hæmorrhoidalibus admotæ; aliaque innumera quæ tempestive adhibita, pro votis succedere queunt.

MICTUS PURULENTUS.

A Lapidibus angulosis aut aculeatis sæpius vulnerari renes & vesicam, cuivis obvium fit; nec minus intelligitur cur hæc vulnuscula, quæ ab eadem causa inibi hærente foventur, brevi in ulcus facessant: sed arduum fit inquirere, cur cantharides intus sumptæ, aliaque medicamina diuretica stimulantia, similem effectum exerere valeant. Hanc labem etiam contrahunt hæc organa, non secus ac alia viscera; a parva sanguinis humorumque diathesi. Nullum est dubium quin sub hoc morbo urinæ fæculentæ, purulentæ & graveolentes se præbeant: mendax tamen illud est *signum;* cum sæpius nil præter metastasim, vel tabi intra viscera delitescentis ad renes translationem, indicet: quod phænomenum haud raro accidere jam supra inculcavimus. Præterea urinæ sæpius minguntur turbidæ, albicantes, imo & fœtentes, vel puris faciem referentes; quæ tamen alterius sunt naturæ; circa quas quotidie deluditur plebs medica. Itaque haud nisi bene perspectis antecedentibus innotescit *renum exulceratio;* hæc versantur circa nephritidem, vel phlogoseos, lithiasisque renum *indicia;* quibus addere licet persistentes æstus, & dolores obscuros ad lumbos referri solitos, febrem lentam, aliaque exulcerationum internarum signa, e quorum syndrome renes labefactari haud falso conjicitur. Quod ad vesicam spectat; hypogastricæ regionis renitentia & dolor qui attrectatu, vel micturitione, recrudescit, stranguria, urina cruenta, pure conspurcata & fœtida, tenesmus, molesta genitalium titillatio, quam excipit pruriginosa libido, haud fallacia *erosionis vesicæ* præbent *indicia*. Hinc intelligitur ægre innotescere urinam purulentam; quæ tamen nonnullis signis se prodit, præter fœtorem in plerisque teterrimus. Ubi igitur movetur puris suspicio sinenda est primum quiescere, donec totum crassamentum subsederit: post decantationem, sedimentum tenax & viscidum, pituitosum audit: si vero facile dissolvatur pro pure habetur. Pus scilicet commotum minutim funditur per totam urinam; minime vero pituita. Semen insuper in urina circa summa natat; pus vero & pituita fundum petunt; sed ad minimum motum pus omnino dissilit & urinam galactoidem exhibet, pituita vero gyratur: sed lotio quiescente utraque materia subsidet. De latice purulento ab ulcere urethræ e pene, non secus ac in gonorrhœa seorsim stillante, alibi.

Ulcus, dummodo haud altas egerit radices, facilius curatur in renibus quam in vesica: indesinens enim hujusce postremi organi motio impedit quominus carnes glutine nutritio ferruminentur; etsi injecta vulneraria & detergentia exquisitiora ad partem affectam appellunt. Uno verbo *ulcus renum ægre sanatur*: nulla vero arte evinci potest eadem *vesicæ labes;* præsertim in provecta ætate. Quo magis fœtent urinæ, uberiorque fit puris proventus, & crebrior caruncularum vel membranæ interioris ramentorum exitus; eo *majorem metum* incutit morbus: cum sub hoc rerum statu, de ulcere late fuso, vel mali moris, cogitare proclive sit. Notare tamen expedit renum ulcerationem, *non* secus ac stragem pulmonum, sæpius in obscuris latere, & vitæ placidæ insidiari. Exemplo sit quidam juvenis, qui binis abhinc mensibus a nephritidis insultu liberatus, vegeta sanitate frui videbatur; imo & uxorem duxerat; dum secunda nephritidis accessione intra quatriduum rebus humanis vale supremum dixit. Hac repentina morte commotus, cadaver secandum curavi; in quo detectus fuit ren sinister luto purulento & gypseo, atque lapidibus numerosissimis fœtus; cujus substantia ulcere depasta, vel putredine plane confecta erat: unde sane sequitur hunc morbum jamdiu *immedicabilem* & exitialem fuisse; qui tamen nullis signis innotuit, propter obturatum scilicet ureterem sinistrum, qui materiæ purulentæ exitum denegabat; organo dextro, morbosi vices gerente.

Ut incœpta prosequamur; constat e multiplici *cadaverum historia*, ulcus renum frequentissime prosapiam ducere a calculo. Sacci instar nonnunquam deprehenditur alterutrum urinæ incerniculum; nunc collapsum & depressum, nunc ultra modum expansum; urina scilicet purulenta & saniosa, fluitantibus calculis, turgidum: ac

ac tanta copia quandoque huc colligitur lotium fæculentum; ut ad libras duodecim accedat; quod quandoque in alterutro uretere etiam ad libras duas coercetur. Præterea conſpiciuntur renes aridi & corrugati, partibus conterminis agglutinati; vermes recondentes, putridi & abſumpti, &c. Annotatur in veſica ulcus plus minuſve prorepens; non ſecus e lapide multiformes & diverſæ molis. Reperitur lotium lutulentum, cui innatant carunculæ, vel membranæ alterutrius viſceris ramenta. Conſpiciuntur receſſus vel capſulæ pure, lapidibus & arenulis ſcatentes. Deteguntur ulcera ſinuoſa in inteſtinum rectum hiantia, &c. nonnunquam demum reperiuntur renes inculpati, aliis viſceribus, tum plectoris, tum abdominis, ſed plerumque pulmone & hepate, purulentia defœdatis.

Parum diſcrepat horumce affectuum *curatio*, ab illa quæ cæteris exulcerationibus internis, de quibus ſupra, congruit. Ne tamen aliquid prætermiſiſſe videamur, uſitatoria ad hoc opus medicamina tradere haud inconſultum nobis viſum fuit. Itaque temperantia & demulcentia, præmiſſis, ſi res expoſtulet, generalibus, omnem implent paginam: in hunc ſenſum veniunt cichorium, agrimonia, borrago, lapathum & ſymphytum, flores & radices althææ, ſemina lini, ſerum lactis, vel ipſummet lac, quod forte ſub hoc caſu ſibi par non habet. Haud inutilem opem præſtant aquæ minerales Vallenſes, Spadanæ, & aliæ conſimiles, vel cognatæ. Pluris etiam habentur detergentia, *vulneraria* & balſamica; hypericum nempe, veronica & herbæ vulnerariæ helveticæ; terebinthina, balſamum de Copau & peruvianum; trochiſci Gordoni, hydromel, aqua calcis, &c. Conducibilia ſane ſunt hypnotica; quæ tamen caute ſunt adhibenda; nec diutius quam par eſt horum protelari debet uſus. Laxantia, quibus præſtat in hoc caſu rheum, pro re nata uſurpare licet. Sed haud citra periculum adhiberi queunt pareira brava, bruſcus & petroſelinum, æthiops mineralis, aliaque plura id genus, a nonnullis inconſulto laudata. Poſtremo nuſquam omittendæ ad ulcus veſicæ, injectiones; tum demulcentes, vel ex ipſo lacte; tum detergentes, e decoctis ſcilicet traumaticis, aqua calcis, trochiſcis Gordoni, &c. paratæ. Nec poſthabenda enemata demulcentia & terebinthinacea, quæ cruciatus tum renum, tum veſicæ compeſcere ſolent.

DYSURIA ET STRANGURIA.

QUoniam hice morbi, ſimul ſæpiſſime juncti, ab una eademque cauſa procedere queunt; haud rite a vulgo Medicorum diſtinguuntur; vel pro *mingendi difficultate*, plus minuſve moleſta haberi ſolent. Sua tamen quiſque ſibi vindicat *ſigna*, quibus ab affine diſcrepat. In *dyſuria* enim urina ægre fluit; ſed exonerata veſica, plane deſinit mingendi cupiditas: aliter ſe res habet in *ſtranguria*, ſub qua guttatim, & cum dolore ſtillat lotium; atque indeſinente ferme ſtimulo, vel vacuæ veſicæ laceſſitur cervix. Utrumque affectum comitem habent veſicæ phlogoſis & ulceratio; æque ac calculus & mictus cruentus. *Promoventur* etiam prædicti affectus ab urethræ inflammatione vel ulcere; quibus addere licet commentitias carunculas, de quibus alibi. Stranguriam infert cantharidum uſus, tam internus, quam externus. Nonnunquam progignitur a cereviſia recenti, quæ etiam gonorrhœam ſpuriam curatu facillimam accerſit. Natales etiam ducit prædictus morbus a ſufflaminatis hæmorrhoidibus, menſibus & lochiis. Affectus poſtremo venereos dyſuria & ſtranguria ſæpiſſime ſtipari, nemo vel rudis & inexpertus neſcit. Inſuper arthritici, ſilentibus paroxyſmis, dyſuria nonnunquam, a tumente proſtrata, torquentur: ſtranguriæ pertinaciſſimæ *obnoxii* cenſentur ſenes; hacque fugaci ſæpius conflictantur hypochondriaci & ſcorbutici.

E relatu *naturæ rimatorum* colligitur, a veſicæ lapidibus, vel exulceratione, dyſuriam & ſtranguriam ſæpiſſime progigni. In apricum veniunt calculi grandiores & multiformes, ſuperficie nempe inæquali, anguloſa, tuberoſa vel aculeis horrida, nunc in veſica fluitantes, nunc in peculiari capſula, de qua ſupra, reconditi. Patent ulcera fundum & latera veſicæ occupantia; ſed ſæpius ejus cervicem obſi-

dentia. Conſpicitur præterea hoc urinæ receptaculum phlogoſi correptum, ſcirrhoſum, occalleſcens, nigrum & ſideratum. Occurrunt in ejus cavo abſceſſus, ſarcoſes fungoſæ vel cancroſæ, puſtulæ diverſæ ſortis, nunc integræ, nunc ulcuſculis depaſtæ: vaſa totius organi, ſed præſertim cervicis, turgida & varicoſa deprehenduntur: proſtata tumida ſæpius conſpicitur. Veſica in nonnullis ultra modum dilatata, & quandoque dilacerata, vel hernia a ſede dimota; nonnunquam ſcirrhoſa & calloſa ſe præbet; in aliis contracta tam a prægreſſo morbo, quam a propria conformatione conſpicitur: nonnunquam demum plane deſideratur hoc organum, cujus munia tum explent ureteres: ut de nonnullis aliis vitiis congenitis, ſed rariſſimis, ſileamus. Cæterum premitur quandoque veſicæ cervix a tumoribus partium vicinarum; ab aneuriſmate, aliove tumore; ab ſtupenda vaginæ, uteri lapides vel molam continentis, vel ovariorum mole; a tumido inteſtino recto; a quavis ſtagnatione, &c. Coronidis loco notare expedit, quod nil quandoque occurrit, niſi renum læſio, a lithiaſi, a phlogoſi, purulentia, exulceratione, &c. plane inculpata veſica: imo & in quibuſdam nullæ deteguntur, nec in renibus, nec in veſica morbi reliquiæ, cauſa ſcilicet in nervis, vel vaſis ſanguineis latitante.

E prolatis luce clarius patet hunc morbum nonnunquam eſſe indomabilem, curamque mere palliativam efflagitare, præſertim ſub ætate provectiori. Proficuæ tamen cenſentur in potiori ægrorum parte *venæ ſectiones*; quæ ſummam imprimis opem conferunt poſt ſufflaminata ſolita ſanguinis profluvia: ſed pluris habentur diluentia & *demulcentia*; aqua nempe pulli vel vituli, ſerum lactis; infuſa, ſeminibus lini & papaveris, radicibus napi, althææ, nimphææ & fragariæ, parata; mucagines, oleum amygdalarum dulcium, emulſiones, vel ipſummet lac: quibus addere licet aquas minerales frigidas, tum acidulas, tum martiales, quas multis optime ceſſiſſe experientia conſtat. Haud exiguam laudem merentur *ſedantia*; nitrum nempe, camphora & liquor anodynus mineralis; imo & narcotica caute explorare licet. Interea alvus ſervetur libera ope laxantium blandiorum, caſſiæ nempe, roris calabrini, tamarindorum, &c. E tradita cadaverum hiſtoria ſat intelligitur quanti ſit momenti vulnerariorum & balſamicorum uſus: proficue præſertim adhibentur, annuentibus primi ſubſellii Auctoribus, balſamum copau & peruvianum, terebinthina, & id genus alia. Inſuper minime prætermittendæ ſunt *injectiones*, vel demulcentes, e lacte ſcilicet, ejuſque ſero, oleo amydalarum dulcium, &c. vel vulnerariæ, e decocto nempe agrimoniæ, alchymillæ, hyperici, ariſtolochiæ, &c. paratæ. Ultimo maximi æſtimantur in foro medico enemata laxantia, demulcentia & oleoſa; fotus & catplaſmata emollientia, balnea, ſemicupia, &c. Ut de cereolis & ſpecillis plumbeis in iſchuria adhiberi ſolitis conticeamus.

ISCHURIA RENALIS ET VESICARIS.

FAcile dignoſcitur, num lotium a renum vitio ſufflaminetur, vel veſica retineatur. Nemo non novit *iſchuriam renalem* a nephritide, calculo, phlogoſi, alterave renum labe ortam: ſed haud dilucide patet hæc prædictorum organorum conſtrictio ſpaſmodica, quæ cæteris abdominis viſceribus minime parcit; qualis quotidie obſervatur in morbis acutis, in affectibus hypochondriacis & hyſtericis, &c. Nec minus latet organi flaccicitas & ſubſidentia, vel prava humorum diatheſis, quæ etiam hunc affectum accerſunt. Iſchuria renalis, præter jam tradita ſigna nephtitidis, dolore obſcuro & gravativo circa renes ſtipatur: accedunt cardialgiæ, nauſea & vomitus: os urinæ ſapore afficitur; emergunt ſpirandi difficultates, ſomnolentia, &c. Sunt qui ægre ſpinam flectunt; ſed num ſub hoc caſu iſchuria cum lumbagine, vel iſchiade implicetur, uti crebro evenit? ſolertioribus examinandum relinquimus.

Aliis notis ſe prodit *iſchuria veſicalis*; nempe a tumente vel renitente regione hypogaſtrica, a quadam ponderis ſenſatione in perinæo; atque ab irrita meiendi cupi-

cupiditate, qua rariſſime premuntur genuina iſchuria renali laborantes. Sed nil hunc morbum clarius patefacit quam catheter in veſicam adactus; qui alias urinæ exitum promovendo præſentaneum remedium præbet. Iſchuria veſicaris ab organi atonia, vel torpore, a lapide ejus cervicem obturante, a proſtata tumente in arthridide anomala, alioque obice chronico prodiens, febris ut plurimum eſt expers; ſed ſi a phlogoſi & purulentia tum veſicæ, tum proſtatæ, uti ſæpius evenit in gonorrhœa ſufflaminata, ſoboleſcat; febris incandeſcit, dolores exaſperantur, vires proſternuntur, exſurgit delirium, &c.

Maximum impendere *periculum* e diuturniori *iſchuria renali*, nemo non intelligit: uberrimus ſane ſudorum proventus mortem procraſtinat ad duodecimum vel decimum quartum morbi diem; alias circa ſeptimum ad ſuperos migrant ægri, qui citius etiam conficiuntur, ſi iſchuria *renalis* a vulnere vel caſu ab alto proſapiam ducat. Sopor, ſingultus & ſuffocatio, ſub urinæ ſuppreſſione, *ominoſa* audiunt *ſymptomata*. *Iſchuria veſicaris*, quam ad paralyſim refert vulgus Medicorum, & cui obnoxii ſunt ſenes, ab ſtupore veſicæ, vel a proſtata tumida, pendere videtur: ſponte enim deſinit in pluribus poſt quindecim, viginti vel triginta dies; dummodo pluries per diem urina *catheteris* ope ſubtrahatur. Mulieres circa ultimos geſtationis menſes *proclives* ſunt ad hanc iſchuriæ ſpeciem; qua partu illico liberantur. Hoc incurrunt infortunium qui diutius quam par eſt urinam cohibent; quod etiam *promovere* valet ſalacitas. Proſtata tumida, vel ſpaſmo correpta, hunc morbum infligere ſolet; qui alias vulgo fovetur a gonorrhœæ reliquiis. Iſchuriam comitem habet veſicæ inflammatio, quæ intra quatuor vel quinque dies ægros e medio tollit; ni tamen pus conficiatur; unde emergit ulcus nulla arte domandum, quod ſenſim miſellos ægros ad ultimam rerum lineam ducit. Haud ſilentio prætermittendum, aliam nuperrime inventam fuiſſe iſchuriæ cauſam haud infrequentem, nempe protuberantem caruncularn in cervice veſicæ ſitam; quæ ultra modum ſæpius tumens non ſolum urinæ fluxum ſiſtit; ſed etiam præpedit quominus fiſtula argentea in veſicam adigatur; qui obex ubi innotuit, facile ſolerti manu ſuperatur; circa quæ vide Acta Academiæ Regiæ Scientiarum anni 1753.

Aperta cadavera exhibent ſubſtantiam viſcidam & mucoſam, lutum gypſeum, arenulas & calculos in veſica & ureteribus; non ſecus ac in renum pelvi, quæ etiam cruſta lapidea obducitur: *ureteres* haud raro a lapidibus, vel grumis ſanguinis plane obturantur, & ſupra obicem ad crepaturam diſtenduntur; vel calloſi & exſiccati ſe præbent. Conſpiciuntur *renes* phlogoſi correpti, purulentia defœdati, putridi, dilacerati & pene confecti; corrugati, depreſſi & aridi; tuberculoſi, vel mole ampliores: nil in quibuſdam remanet præter ſaccum urina, hydatidibus, vel colluvie fœtida, turgidum; qui alias tantam molem aſſequitur, ut veſicæ pellucidæ faciem præ ſe ferat. Unicus quandoque ren, ſuo uretere inſtructus; nunc in propria ſede, dextra, lævaque: nunc in medio ſitus, deprehenditur. Calculos in venis emulgentibus repertos fuiſſe a quibuſdam, penes quos ſit fides, traditur. De variis ſtagnationibus & tumoribus vicinarum partium prædicta organa prementibus, mentio etiam ſubjicitur. Per tranſennam notare expedit quod labefactato uno rene, alter, etſi plane illæſus, in conſenſum trahatur, ſolitiſque obeundis muniis impar ſæpius evadat. Haud deſunt poſtremo cadavera in quibus renes & ureteres plane inculpati videntur; licet ne parciſſimam urinæ copiam collapſæ veſicæ præbuiſſent.

Haud minora, ut propoſitum proſequamur, nec infrequentiora obſervantur *veſicæ vitia*: præter enim arenulas & calculos, in maxima extinctorum parte reperta; inflammatione, abſceſſu, ulcere, gangræna, &c. afficitur illud organum, nonnunquam dilaceratum. In conſpectum quandoque veniunt ſarcoſes polypoſæ, quæ totum veſicæ cavum replent; vel tumores ſcirroſi, qui pugni magnitudinem nonnunquam aſſequuntur. Contractum præterea, turberculoſum, calloſum & pene cartilagineum, etiam deprehenditur hoc viſcus. Reperitur hic *veſicæ proceſſus*, qui *uvulæ*

in-

inſtar, oſculo veſicæ proſpicit, tumidus, inflammatus, ſcirrhoſus vel obcalleſcens: nonnunquam alias annotatur inverſa hujuſce viſceris membrana interna. Suas etiam patitur læſiones proſtata, quæ ſæpiſſime phlogoſi tacta, vel mole amplior, ſcirrhoſa & calloſa cernitur: nec immunis eſt urethra, quæ calculo, aut ſarcoſi impedita & plane obturata detegitur. Poſtremo ante oculos verſantur herniæ ingentis molis; abſceſſus, aneuriſmata, aliique tumores diverſæ ſortis, circa veſicæ cervicem ſiti; vaginæ & uteri, nec non inteſtini recti, ſtupenda moles; uteri prolapſus, inteſtina flatu diſtenta, &c. Veſicam poſtremo ultra modum dilatatam, nulla manente labe conſpicua, reperiri ſupra inculcavimus: talem enim vidi ſupra umbilicum aſcendentem, & dimidiam imi ventris partem replentem; qui non ſecus ac in graviditate, tumebat, in viro quadraginta annorum, qui neſcio quo fato, Chirurgo ſciolo, ſed inexercitato, ſe curandum tradiderat.

Medelam, quam ſibi vindicat *iſchuria renalis* a febre, phlogoſi vel nephritide orta, ſilentio prætermittimus, ne crambem repetitam apponamus. Opportune in aliis caſibus celebratur ſanguinis miſſio, præſertim e ſaphena, ſi ætas & vires ferant: quod præſidium nonnunquam etiam congruit iſchuriæ veſicari, præcipue ſi a cohibita gonorrhœa concitetur. Interea caute ſunt uſurpanda diluentia & demulcentia; quæ ubi obicem ſuperare minime valent, morbum, uti nemo non intelligit, exaſperant. Sed ſummam opem præſtare queunt diuretica; dummodo tamen renes nullum vitium organicum contraxerint; inter quæ uſitatiora audiunt nitrum, ſuccus limonum, parietaria, calcitrapa, raphanus, alkekengi, aſparagus & bruſchus. Nec inutilem opem ferunt cataplaſmata e cepis coctis & parietaria confecta, & lumbis in eumdem ſcopum impoſita. Sed nullum forte diureticum ſibi par habet pareira brava: plurimum quandoque conferunt aſelli, balſamum copau, ſal ſuccini, ſpiritus nitri & vitrioli, &c. A nonnullis celebratur pulvis apum; nec vetantur ipſæmet cantharides, ſi immineat interitus. Irritis poſtremo omnibus hiſce præſidiis ad emeticum tanquam ad ſacram anchoram confugere fas eſt; nonnullos enim decumbentes, & cum morte colluctantes, hocce præſidio tempeſtive adhibito ex orci faucibus ereptos vidi.

Omnia diuretica infenſiſſima fore in *iſchuria veſicari* nemo non videt: ſed proficua ſunt *enemata* emollientia & oleoſa: ſenibus vero congruunt terebinthinacea. In uſum quoque trahuntur fotus, *cataplaſmata* & linimenta emollientia, balnea & ſemicupia: nec futilis cenſetur pediluvia, tum calida, tum frigida. Sed plurimum deprædicatur, in hac iſchuriæ ſpecie, non ſecus ac in renali, cataplaſma e parietaria, vel cepis coctis paratum & regioni hypogaſtricæ admovendum. Nec deſpicienda ſunt linimenta cum oleo formicarum vel ſcorpionum; quorum uſus tamen perperam eviluit. Quibus incaſſum tentatis, opportune immittitur *catheter*, qui unicum in ætate provecta præſidium audit. Haud minorem forte opem conferunt *ſpecilli plumbei*; *cereoli* ſimplices vel compoſiti, & diverſæ craſſitiei; ubi obex morboſus in urethra latitat. Si vero ad veſicam attingere minime liceat, & urina obruatur illud organum, ad *paracenteſim* per perinæum vel hypogaſtrium, nulla mora devenire expedit. Hæc eſt vulgatiſſima methodus, quæ, ut verum fatear, haud ſemper rite ſuccedit; quare ad aliam ſimpliciorem, ſecundis avibus, me contuli; quæ verſatur in ſola immiſſione *ſpecilli argentei recti*; quod ſolerti manu ductum quemvis obicem, ſi excipias lapidem urethræ impactum, ſuperare valet. Sed minime arrident ſimpliciora, uti pluries expertus ſui, ſciolis & naſutulis, qui ad altiora, ut fucum faciant, ſeſe accingunt. Plura de hac re addere vetat inſtituti ratio; nec ſinit anguſtior pagina.

DIABETES.

SIC vocitatur uberius, vel *inſolitum urinæ profluvium*; morbus ſenibus & cachecticis familiaris; ac frequentior quam vulgo fertur. Sed ægros & Medicos, de urinis parum ſollicitos plerumque fugit, ni ad acmen pervenerit. Urinæ ſub hoc ſtatu non ſolum ſolito majori copia min-

gun-

guntur, sed etiam a nativa indole deflectunt; materia scilicet chylacea vel oleosa scatentes conspiciuntur. Primis ab *invasione* temporibus nullam vel levem patiuntur molestiam ægrotantes, imminentis periculi plane nescii; sed *procedente morbo* secus evenit: tum enim emergit *febris lenta* siti stipata; saliva spumosa excernitur; alvus pigrior evadit. Interea de æstu interaneorum, qui præcipuam sævitiem exercet in lumbis, conqueruntur ægri, vires prosternuntur; totum corpus macie conficitur, aliaque exsurgunt symptomata quæ febrem hecticam, vel, ut inquiunt, colliquativam, concomitari solent. Hinc patet diabetem ad certum gradum provectum morbum esse *luctuosum* vel immedicabilem; præsertim si a renum, hepatisve vitio organico pendeat, quod haud raro evenire, docet autopsia anatomica.

Diabetem accersere queunt labores ardui, aliæque exercitationes immodicæ; castra veneris, vel amoris æstus qui in furorem vertitur; vinum liberalius sumptum, vel aquæ ardentes diversis titulis insignitæ. Hunc affectum nonnunquam etiam infligit inconsultus stimulantium diureticorum usus; nec absimilem effectum exerunt ipsæmet aquæ minerales frigidæ vel thermales, si intempestive & diutius quam par est adhibeantur. Cholera demum haud raro post se trahit diabetem, qui alias inter graviorum morborum reliquias haud immerito recensetur.

Sectis hoc morbo sublatis, in apricum veniunt renes flaccidi & collapsi, lapidibus referti, purulentia tacti, vel putredine defœdati. Portentosam quandoque molem præ se ferunt prædicta viscera, vel involucris crassioribus & pene cartilagineis obducta se præbent, &c. Reperiuntur ureteres a recto vel solito itinere deflectentes; ultra modum dilatati, vel calculis fœti. Nec inculpata occurrit vesica; quin potius summam crassitiem sæpius contraxit; tumore gangrænoso compressa, perforata & in intestinum rectum hians; vel maculis gangrænodeis signata conspicitur; ut de ejus defectu nativo taceamus. Hepar in pluribus labefactatum deprehenditur; etenim deforme vel stupendæ magnitudinis annotatur; alias obvium fit infarctum & scirrhosum; livore affectum, putredine tactum, &c. ut de liene calloso, putrido, aliorumve viscerum læsionibus post omnes morbos chronicos observari solitis, sileamus.

E præfatis patet quid factu opus sit: eo scilicet collimandum ut restinguatur sanguinis æstus, ejus impetus frangatur, & in integrum restituantur particulæ balsamicæ quibus orbatur. Hinc opportune præcipiuntur temperantia; serum nempe lactis, infusa & decocta cichorii, borraginis, agrimoniæ, pimpinellæ & symphyti: sed omne ferunt punctum *demulcentia*; lac scilicet, cremores hordei & oryzæ, emulsiones, jusculæ e testudinibus parata; quibus addere lubet gummi tragacanthum, arabicum, &c. His præmissis ad absorbentia devenire expedit; uti corallum, lapides cancrorum fluviatilium, cornu cervi præparatum, &c. Proficue etiam adhibentur *adstringentia*, ceu rosæ rubræ, plantago, equisetum, sumac, bistorta, mala cydonia, catechu, acacia, alumen, lapis hæmatites, & martialia vel aquæ minerales hujusce indolis, &c. Quod ad venæ sectionem attinet; plane exulare debet, licet proponatur tanquam polychrestum præsidium a nonnullis, qui genuinum hujusce morbi characterem nequidem subolfaciunt. Sed haud inanem operam ludunt *cathartica* blandiora, quæ serum e tubi intestinalis parietibus eliciendo, tantum renibus subtrahunt: similemque effectum præstant enemata purgantia, quæ alias alvo adstrictæ, qua conflictari solent ægri, medentur. Nec in alium scopum laudantur sudorifica; guaiacum nempe, sassafras, antihecticum Poterii, &c. Sed cavendum inter horumce postremorum usum, ne sanguis jam effetus & æstuans ulterius excandescat. Proficua nonnunquam censentur hypnotica; laudanum nempe, tinctura anodyna, diacodium, &c. sed cautæ præscribi debent hæc remedia, ne morbosæ renum flacciditati torporem addant. Haud desunt ultimo alia medicamina; aperientia nimirum, roborantia, vulneraria, detergentia, quæ pro re nata, opportune sæpius in usum trahi queunt. Ægre sane intelligitur quomodo tot diversæ sortis remedia uni affectui conguant:

mi-

minime sane mirum, si diabetes cum variis morbis sæpius implicetur, vel ab alio pendeat.

MICTIO INVOLUNTARIA.

Infantibus & senibus familiarem esse hunc affectum nemo nescit; cum illo tamen discrimine ut infantes inter dormiendum lectum permingant; & urinæ in senibus vel vigilantibus, furtim transfluant, etsi sæpissime matulam petunt. Cæteris tamen ætatibus minime parcit *urinæ incontinentia*, quam *promovent* intempestivus diureticorum usus; calculus vesicæ, lapsus ab alto, & immersio in aquam frigidam. Hanc sæpius post se trahunt partus difficilis & cystotomia. Suboritur ab apoplexia aliisque affectibus soporosis; ac demum inter graviorum morborum symptomata numeratur; quibus sævientibus inscii se permingunt ægri. Infantes, procedente ætate, parentumque monitis, vel increpationibus, hoc morbo liberantur; qui ægre curatur in provecta ætate; ac plane *immedicabilis* censetur, si a vitio quodam vesicæ organico foveatur.

Quoniam mictio involuntaria ab atonia plerumque, vel torpore vesicæ prodit; obvium fit, cur hujusce morbi reliquiæ *in cadaveribus*, quærentium oculis se subducant. Nonnulla tamen annotantur vitia, tam in urinæ organis, quam in partibus vicinioribus: reperta fuit scilicet colluvies serosa circa medullam spinalem. Renes quandoque mole ampliores, ulcere exesi vel lapidibus fœti deprehenduntur. Cernitur vesica contracta, crassior & calIosa, dilatationisque expers, livida & gangrænosa, ulcere tacta, abcessum recondens, lapidibusque scatens. Tumores occurrunt partibus conterminis accreti, qui suam in hocce viscus pressionem exercent. In apricum veniunt ureteres ultra modum dilatati; atque vesicæ plus æquo compactæ & expansionis nesciæ, vicem gerentes, &c. De variis ulceribus fistulosis quibus urinæ per scrotum, perinæum & podicem, indesinenti stillicidio fluunt; nec de hoc vitio congenito; quo lotium per ombilicum exitum sibi parat, mentionem subjicere haud e re nostra fore putavimus.

Quod ad *curationem* spectat, hanc naturæ committendam esse in infantibus nemo nescit. Ab omni etiam medela sæpius abstinere præstat erga senio confectos, quorum vires fatiscentes nulla arte restitui possunt. Alias eo collimandum ut inertis vesicæ tonus in integrum restituatur: hanc opem conferre queunt adstringentia, aqua nempe in qua extinguitur later vel ferrum candens; vinum rubrum generosum, rosæ rubræ, symphytum, equisetum, nuces cupressi, catechu, mastiche & martialia. Eumdem etiam effectum exerere valent aromatica; mentha, scilicet, salvia & calamitha, piper, caryophylli, nux moschata, &c. Simili ratione, si purgantibus per alvum opus sit, seliguntur rheum & myrobalani. Præterea minime despiciendæ sunt injectiones aromaticæ & roborantes, non secus ac enemata, cataplasmata, fotus, semicupia & linimenta quæ *iisdem* viribus pollent: balnea demum frigida hunc morbum sæpius fugasse traditur. Inter anilia medicamina referri debet pulvis muris, aliaque consimilia ab insulsa plebe decantata; quæ tamen nihil vetat experiri, si ab ægris obnixe efflagitentur: nemo quidem nescit quid valeat erga omnia remedia *ægrotantium fides*. Nonnulli demum excogitarunt machinulas, quibus comprimuntur penis & urethra, ut appellenti lotio exitum præcludant: in eumdem finem conflantur pessaria sequiori sexui congrua: sed hæc citra incommodum minime ferre queunt ægrotantes, qui ideo talia gestare plane recusant. Cæterum nemo non novit vasa vitrea, argentea, vel e corio confecta, quæ congrue adaptata stillantem urinam excipiunt; nec alia arte fœtori occurrere valent munditiei studentes.

CATARRHUS VESICÆ.

Hoc titulo insignire lubet *morbum inauditum*, vel quem paucis vidisse contigit. Hoc ægritudinis genus sors mihi obtulit in nobilissimo juvene, vix ex ephebis excedente; qui septem abhinc diebus a febre rheumatico-arthritica quatuordecim dierum evaserat; dum incidit in

in morbum, de quo in præsentiarum. Orsus est hic occultæ indolis affectus horrore, quem excipit febris: hac vigente de dolore in epigastrio conquerebatus æger; quem presso pede sequebatur stranguria. Turbidæ interea mingebantur urinæ, quæ dein, *procedente morbo*, sedimentum uberrimum subalbicans & mucidum deponebant; *cujus* tamen copia singulis diebus increverat; adeo ut quartam lotii partem demum superasse, nemine reluctante, constiterit. *Febris* serotinis horis recrudescens, & catarrhalium faciem præ se ferens, circa decimum quartum diem evicta fuit; lotio tamen persistente crassissimo usque ad duos fere menses, a fugata febre. Quo stupendo materiæ morbosæ dispendio vires atterebantur, nedum restituerentur; totiusque corporis marcor maximum *marasmi metum* injiciebat. Venæ sectionibus summa cum cautela celebratis, diluentibus, temperantibus, sedantibus & laxantibus impugnata fuit hæc secunda febris. Quoad remanentem vesicæ morbum; omnibus rite perpensis, ejus *curationem*, congruo accedente regimine, naturæ committendam esse consultum visum fuit; nec fefellit eventus.

Minime reticendum plures accitos fuisse *primi subsellii Medicos* ad invisendum, nostri curis commissum, ægrum inter magnates conspicuum, qui post accuratissimum lotii examen in contrarias, uti mos est, abierunt partes. Hanc enim materiam mere purulentam plures declararunt; inter quos nonnulli ejus fontem ad renes referebant; alii negabant, & commentitii illius puris prosapiam vesicæ tribuebant. In neutram sententiam flectebatur nostra opinio; cum nobis videretur hanc *materiam inodoram* genuinum esse mucum a vesicæ lateribus transudantem, vix absimilem ab illo quem sub fluxionibus catarrhalibus præbet membrana pituitaria narium, faucium & bronchiorum. Hanc opinionem, cui annuebat peritissimus ARCHIATER, haud a vero alienam fuisse luce clarius patuit a morbi exitu. Ægre enim concipitur quomodo & qua arte, ulcus vesicæ vel renum, quod tantum puris proventum suppeditasset, intra breve tempus, solo ferme naturæ beneficio curatum fuisset. Nec supereſt dubium circa *partem affectam*; num scilicet renes, an vesica hanc materiam mucosam præbuerint? cum e traditis signis satis superque nota fuit hujusce postremi organi læsio. Cæterum de hocce affectu altum apud Auctores silentium, si tamen excipias clarissimum HOFFEMANNUM, qui cujusdam affectus, a nostro parum abnuentis, historiam in suis conciliis tradidit, sub titulo rari vesicæ morbi; qua sane liquet haud minorem inter coætaneos fuisse controversiam circa hujusce inauditi morbi indolem, quem ad vesicam referre minime dubitavit laudatus Auctor.

HYDROPS ABDOMINALIS.

AB abdominis intumescentia, & laticis stagnantis fluctuatione, cujus sonus nonnunquam auditur, *in propatulum* venit *ascites*; quem, ceu aliam hydropis speciem, præire solet tumor pedum œdematosus. Hunc concomitantur pallor faciei, inappetentia & sitis, cardialgia & flatulentia, tussis sicca & spirandi difficultas, febris lenta, marcor artuum superiorum; & œdema non solum crurum, sed etiam scroti & ipsius penis. *His procedentibus* alvus ægre exoneratur; urinæ parce fluunt, atque nunc limpidæ, nunc turbidæ, lateritiæ vel croceæ profunduntur. Interea venter ulterius prominet, & in tantum fastigium attollitur ut proprio pondere ad genua usque quandoque prolabatur; quo fit ut tegumenta ultra modum distenta variis rimis findantur. Cum tympanitide & leucophlegmatia nonnunquam implicatur ascites, qui etiam genuinæ vel spuriæ graviditati sociatur. Sed passim occurrunt meretriculæ, vel virgines vetitis amplexibus inquinatæ, quarum tumens uterus ascitem mentitur: quem errorem fovet commentitii morbi historia, astute excogitata: quare minime mirum, si decipiantur vel solertiores. Suis tamen *signis* distinguitur uterque status: præter enim liquidi fluctuationem quæ plane deest in graviditate, sub qua etiam hypogastrium magis protuberat, quam in ascite, suum nitorem servat utero gerentium facies, quæ pallore defœdatur in ascite. Fallacia vero sunt *indicia* a mensibus desumpta, cum in utroque statu fluere, vel sufflaminari queant. Sed pa-

thognomonicum graviditatis ſignum præbet fœtus motio, quæ circa quartum quintumve menſem perſpicua fit; ut de cæteris conceptus ſignis infra tradendis ſileamus.

Ægre etiam *innoteſcit*, num *colluvies ſeroſa* in abdominis cavum colligatur, adeo ut hac ſtagnatione madeant viſera, an peculiari cyſtide e peritonæo & omento; vel uteri, ovariorum, renum, &c. involucris prognata recondatur. Deprehenditur enim fluctuatio in utroque morbo ad certum gradum evecto; quidquid in contrarium adducant nonnulli Scriptores, qui pecorum ritu aliorum veſtigia premunt. *Hydropem* tamen *cyſticum* dignoſcere licet circa prima morbi tempora, priuſquam majus incrementum ſumat, a tumoris ambitu, qui haud totum abdomen ut in aſcite occupat: tum etiam nulla perſentitur fluctuatio. Sed ſi, adoleſcente morbo, in altum attollatur imus venter; unum ſupereſt *ſignum* a latice paracenteſi educto depromendum; colluviem enim lutulentam, fœtidam, cruentam vel purulentam præbere ſolet hydrops cyſticus; quod rarius evenit in aſcite. *Hydatides* etiam ſæpius recondit hydrops cyſticus abdominalis; quæ bullarum aquearum inſtar continent materiem limpidam & fluidiſſimam; alias glutinoſam, ductilem, ichoroſam, ſanioſam, &c. albam aut flavam, fuſcam, viridem vel nigram. Sæpius occurrunt hydatides racematim diſpoſitæ, & invicem hærentes; vel liberæ, & fluido innatantes: quandoque mutuis, favorum inſtar, concreſcunt lateribus: ad orbicularem, vel ovatam formam accedunt, aut pyriformes obſervantur. Ab obſtructione vaſorum lymphaticorum oriri hydatides conjicere licet; quæ hinc majori copia reperiri ſolent in hepate, in ovariis & tubis, in peritonæo & omento, in mammis, genu, glandula thyroidea, aliiſque partibus quæ tumoribus cyſticis ſedem præbent, qui mole duntaxat diſcrepant ab hydrope cognomini, de quo in præſentiarum: nec forte differunt hydatides, ratione ortus, ab atheromate, ſteatomate, aliove id genus tumore. Nonnulli, ut in orbitam revertamus, quamdam umbilici depreſſionem inter hydropis peritonæi ſigna numerant ob ſcilicet illius membranæ adhæſionem, quæ tamen ſæpius ſolvitur; adeo ut *mendax* quoque ſit illud *indicium*. Sunt qui velint tumorem ſcroti *hydropem peritonæi* in propatulo ſiſtere; ſed haud minus infidum cenſeri debet illud indicium, cum hæc intumeſcentia, uti neminem anatomicum fugit, a duplici cauſa prodeat; ab affecto ſcilicet corpore celluloſo, peritonæo adnato, & vaſa ſpermatica obvolvente; ac ab infarctis generalibus tegumentis; ut evenit in omnibus fere hydropis ſpeciebus, & præſertim in anaſarca.

Si tamen hæc accuratiori examini ſubjiciantur, apertius eluceſcet hydropis cyſtici *diagnoſis*: præter enim tumorem in hac vel illa abdominis parte magis prominentem, haud obſcuratur nitor faciei, viget appetitus, reſpiratio liberius exercetur, uterus ſua obit munia, & partes raro, vel rarius marceſcunt: ſecus vero evenire in aſcite jam ſupra notavimus. Præterea tardior fit ejus progreſſus, ſeriuſque tument crura. Poſtremo nullum fere incommodum parit hic affectus præter quamdam ponderis ſenſationem, ratione molis plus minuſve moleſtam, de qua conqueruntur ægri. Sed in cimmeriis latet tenebris prima hujuſce morbi invaſio, cum plane deſiderentur prodromi, qui aſcitem prænuntiare ſolent.

A viſcerum abdominalium infarctu ſcirrhoſo plerumque *promovetur* utraque hydropis ſpecies: ſed explorantes digitos plane fugit hæc læſio organica, dum tumet abdomen; quæ facile detegitur poſt laticis evacuationem, notiſſima arte chirurgica celebratam. Eductæ aquæ, nunc limpidæ vel lotii æmulæ; nunc ſubvirides, oleoſæ, cruentæ, ſanioſæ, purulentæ; alias gelatinoſæ, lutulentæ & fœtidæ ſe præbent. Nonnunquam fæces vini æmulantur; vel lactis, chylive redolent. Stupenda eſt aquæ copia, quæ ſub utraque hydropis ſpecie in abdomine coacervari poteſt, cum ad centum libras, & ultra, nonnunquam accedere variæ teſtentur hiſtoriæ.

Ad hydropem abdominalem proni ſunt potatores, huic obnoxii cenſentur cachectici, ſcorbutici & arthritici. Hanc colluviem poſt ſe trahunt prægreſſæ hæmorrhagiæ immodicæ; vomitus præſertim ſanguinis,

guinis, & ſputum cruentum ; maximumque a venæ ſectionibus hujuſce laticis diſpendium. Aſcites præterea *promovetur* ab ictero leucophlegmatia ; ſoboleſcit a febre quartana alterave intermittente contumaciore. Hunc inferunt morbi acuti graviores ; ſolitorum profluviorum ſuppreſſio, morborum cutaneorum retroceſſus ; ulcerum & fiſtularum exſiccatio. Sed crebrius, uti jam innuimus, hanc ſtagnationem comitem habent ſcirrhi, tumores, aliave viſcerum abdominalium labes. Hanc demum caveant puerperæ, quæ a recta vivendi norma deflectunt ; opipare viventes ; qui cupediis, potuque frigidiſſimo delectantur, &c.

Aſcitem facilus curari in ſequiori ſexu, quam in altero, docet praxis ; ſed in utroque *pertinacior* eſt *hydrops cyſticus*. Si, uti haud raro accidit, a ſufflaminato lotio, nulla præexiſtente viſcerum labe, ortum ducat *aſcites*, inanem metum incutit & *curatu facilis eſt*. Exemplo ſit mulier triginta quinque annorum, poculis plus æquo indulgens, licet haud infimæ plebis ; quæ paucis abhinc hebdomadibus aſcite, abdominis intumeſcentia, & aquarum fluctuatione, ſumme conſpicua, laborabat. Præmiſſo levi cathartico, nihil ipſi meæ curæ commiſſæ præcepi præter ptiſanam nitroſam, & tralatitia juſcula diuretica, quibus lotio uberius erumpente intra duodecim dies venter detumuit ; atque nullis reliſtis morbi reliquiis, priſtinæ ſanitati reſtituta fuit. Minime ſane mirum ; ſi plures aſcitici, experientia teſte, ſpontaneo urinæ profluvio, vel diarrhœa, nulla arte concitata, curentur. Nec deſunt quorum aquæ ſtagnantes exitum per umbilicum ſibi parant ; donec complanetur abdomen ; nec alia egent medela. Sed rara ſunt hæc *fauſta naturæ molimina*, in quorum expectatione, ab omni curatione abſtinere abſonum foret.

Aſcites, curatu difficilior, quam leucophlegmatia e qua ſæpius ſoboleſcit, inter morbos *contumaciores* jure recenſetur. Imo & pro immedicabili habetur annoſus vel inveteratus ; eo quod foveri ſolet a maxima viſcerum abdominalium ſtrage. Nonnunquam tamen exhauriuntur aquæ, tum paracenteſeos ope, tum medicaminum evacuantium præſidio : ſed melius minime ſe habent ægri ; quin potius maraſma conficiuntur ; vel in luctuoſum hydropem iterum incidunt, quibus ruunt ad interitum. *Ominoſa* audiunt ſub hocce morbo *ſymptomata*, icterus, atrophia, febris eryſipelacea, urinæ ſaturate rubræ, ſputa cruenta, immodicus hæmorrhoidum fluxus, &c. Læſionis in hepate, vel hydropis pectoris ſuſpicionem movet tuſſis crebra & ſicca. Horror demum & rigor inordinate recurrentes haud infida purulentiæ internæ præbent indicia. Conducunt in primis morbi tempôribus vomitus & alvi fluxus ; ſed ſecus ſe res habet in aliis. Expectatiſſimum in quovis morbi ſtadio eſt urinæ profluvium, ſed raro proſunt ſudores. Incaſſum tamen erumpunt prædictæ evacuationes, uti jam inculcavimus, ſi vitæ inſidientur peſſumdata viſcera.

Eo major *curationis ſpes* eluceſcit, quo latex punctione eductus ad lotii indolem proximius accedit ; ſed limpidæ & albicantes, graveolentes, cruentæ, purulentæ & fæculentæ aquæ exitium portendunt. Si, depleto & complanato abdomine, perſiſtat ſpirandi difficultas, pulmones etiam a ſeroſa colluvie obrui pronum eſt credere. Aſcites graviditati junctus, ab effluxu aquarum ante partum erumpere ſolitarum, nonnunquam ſolvitur : ſed ſi remaneat hydrops, & imus venter ab egreſſo fœtu vix detumeat ; res periculoſæ eſt aleæ. Aſcitem ad plures annos ; decem ſcilicet, duodecim & ultra, protrahi neminem practicum ſane fugit. De quadam muliercula, quæ hydropem peritonæi per quadraginta annos geſtavit, mentio ſubjicitur. Vidi mulierem nobiliſſimam quæ hydrope ovarii per triginta annos laboravit ; qua ſcilicet ita in immenſum creverat abdomen, ut decumbente ægrotante, alias macilenta & ſtaturæ humilis, nil fere præter orbem conſpiciebatur. Traditur demum hiſtoria ſimilis morbi ad quinquaginta annos protelati in virgine quadam, quæ circa octogeſimum octavum ætatis annum fatis ceſſit.

Numeroſiſſimæ proſtant *cadaverum obſervationes*, utrumque hydropem reſpicientes ; ſed fuſiori ſtylo ab Auctoribus exarata, laconico & conſueto ſermone contrahere ; atque memoratu digniora e proprio penu decerpta colligere, e re noſtra fore

putavimus. Itaque præter varios latices, nunc inodoros, nunc ultra modum fœtentes, de quibus supra; reperiuntur hydatides, de quibus supra, diversæ molis, tum in genuino ascite, tum in hydrope cystico. *Hepar* in potiori extinctorum parte labefactatum deprehenditur; nunc in portentosam molem exsurgit, nunc ita marcescit, ut vix pugni magnitudinem superet: præterea decolor, lividum, croceum, subviride, plumbeum, vel nigrum se offert. Ejus ambitus granulis, tuberculis vel vesiculis obductus conspicitur; inibique annotantur prorepentia vasa lymphatica & summe conspicua. Ejusdem visceris substantia scirrhosa vel callosa tantam quandoque duritiem contrahit, ut lignea & lapidea videatur; quæ alias tuberculis purulentis vel gypseis scatet; aut abscessus, hydatides, steatomata, &c. recondit. Tumorem ad duritiem lapidis fere accedentem, & ligamento hepatis suspensorio adnatum, annotatum fuisse traditur. Invenitur vesicula fellea ultra modum dilatata, & septem vel octo bilis libras continens; aquamve mere limpidam, albicantem & insulsam, nonnunquam colligens. Abscessus præterea, tumores anomalos, hydatides, pseudo-calculos, &c. haud raro recondit prædictus folliculus; qui etiam depressus, corrugatus, & omnimode vacuus in nonnullis detegitur. Patet lien stupendæ magnitudinis scirrhosus, occallescens, vel a lapidum duritie haud multum recedens; aut cujus superficies tuberculis purulentis vel gypseis exasperatur. Visendum se præbet epiploon, aquæ vel hydatidum copia turgens; quod etiam crassissimum & immensæ molis, ponderis scilicet octo vel decem librarum; steatomatosum, purulentum; corrugatum, contractum; vel putredine absumptum deprehenditur. Similes ferme defœdationes exhibet peritonæum, quod nonnunquam a nimia elongatione disrumpitur.

Insuper oculis subjicitur *stomachus* flatulentia præter modum turgidus, aqua in nonnullis copiosissima, vel colluvie sordida; repletus; gangræna & putredine tactus, dilaceratus; lateribus scirrhosis ad pollicis crassitiem accedentibus, &c. Occurrunt *intestina* flatibus ad crepaturam turgida; & præsertim colon, quod femoris crassitiem nonnunquam assequitur; alias inflammata, ulcerosa, putrida & lacera conspiciuntur: tenuia in nonnullis mutuo accreta, glomeramen quoddam referunt. Obvium fit *pancreas* ingens infarctum, ulcere exesum, vel putredine diffluens. Cernitur mesenterium infarctu scirrhoso crassissimum, induratum & pene cartilagineum; inflammatum, tuberculis obsitum & sideratum. In conspectum venit peritonæum quasi cartilagineum, & stupendæ crassitiei; tuberculis refertum, phlogosi & gangræna tactum; visus etiam fuit hic processus membranaceus, septi instar, abdominis cavum in binas partes dividens, quarum una duntaxat colluviem coercebat. In propatulum venit umbilicus hians, e quo stillabat stagnans colluvies, vel ipsummet lotium trans perviam venam umbilicalem huc appellens. Aspiciuntur renes aridi, nudi, vel involucro adiposo orbati, hydatidibus conspersi, scirrhosi, ulcere confossi, lapidibus fœti, a coercita *urina* fœculenta ultra modum expansi; & nonnunquam dilacerati; non secus ac ureteres & vesica, e quibus rimis lotium in abdomen profunditur. Observatur *uterus*, nunc mole amplissimus; nunc contractus, calculos & hydatides continens, ulcere defœdatus, &c. in immensam etiam molem crescunt ovaria, aqua, succo glutinoso, materia adiposa, &c. turgentia; ac nonnunquam centum circiter libras pendentia; quæ alias scirrhosa, purulenta & putrida apparent: eademque contrahunt vitia tubæ fallopianæ. Omnia quandoque coalescunt viscera abdominalia ad putredinem vergentia, & crusta gelatinosa, quæ nihil aliud est quam pus concretum, obvestiuntur. Interea reperiuntur tumores fungosi & cancrosi ex hepate, stomacho & intestinis, utero & ovariis, &c. exsurgentes; atque hydatides fluitantes, vel prædictis organis hærrentes. Postremo nonnunquam patet genuinus liquidi stagnantis fons in fisso vase lymphatico, dilaceratis venis lacteis, & receptaculo pequetiano; vel apertis renibus, ureteribus & vesica, cæteris inculpatis visceribus.

Superest ut breviter referamus quæ ad aliam hydropis abdominalis speciem spectant. Itaque diversam præbet molem cystis

stis quæ morbosum laticem colligit : in tantam enim sæpius assurgit, ut in angustissimum spatium coerceantur circum ambientia viscera. Hinc fit ut inexperti cadaverum scrutatores, de *hydrope tunicato* ne minimam quidem suspicionem habentes, & nil præter aquam in ingenti cavitate cernentes, mirentur in prima abdominis sectione, omnia viscera desiderari ; quæ tamen ulteriori indagatione, facillima arte deteguntur. Variam sedem habet hæcce hydropis species, quæ crebrius peritonæum obsidet ; adeo ut liquidum concludatur inter prædictam membranam & musculos abdominales, qui capsulæ complementum efformant ; & hinc emergit illud latissimum spatium quod pro genuino abdominis cavo ab incautis haberi solet. Aqua insuper colligitur in omentum, renes, tubas fallopianas, ovaria, &c. quorum propria involucra in ipsummet folliculum facessunt, & diversam assequuntur molem. Ovaria, imprimis tantam amplitudinem adipiscuntur, ut nonnunquam, teste autopsia, pondus centum librarum superent : circa quæ notare expedit quod eorum latera a tanta expansione minime extenuentur ; quin potius stupendam crassitiem hac dilatatione adipiscantur ; adeo ut ovarium apertum & exinanitum viginti quinque libras & ultra etiamnum ponderaret : nonnunquam etiam recondunt prædicta organa materiam gelatinosam, butyrosam, sebaceam, &c. Cæterum reperiuntur cystides visceribus non deformibus adnatæ ; hepati nempe, omento, utero, &c. quæ sane haud tantam assequuntur amplitudinem. Utræque laticem diversæ indolis, materiam gelatinosam & hydatides variæ molis, nunc solitarias, nunc racematim congestas continent. Nonnunquam peculiaribus sepimentis intersecantur prædictæ capsulæ, adeo ut hinc emergant cellulæ inter quas nullum quandoque occurrit commercium ; quare fit ut haud raro fluida diversæ naturæ recondant. Reperitur postremo omentum stupendæ crassitiei, tuberculis steatomatosis scatens, vel passim putridum. Coronidis loco addere lubet quod nonnunquam reperiatur colluvies serosa in capsula aponeurotica rectorum abdominis musculorum ; vel inter laminas contermino-rum ; unde emergit quædam imi ventris protuberantia, quæ ascitem sæpius mentitur.

Præter hanc viscerum abdominalium stragem, alias *in pectore læsiones* cernere licet. Inibi nimirum reperiuntur stagnationes a memoratis vix absimiles : in apricum veniunt pulmones pleuræ, mediastino & diaphragmati accreti, tuberculis scatentes, purulentia & exulceratione defœdati, putredine confecti, &c. Visendum se præbet cor mole portentosum, vel marcidum & contractum ; cujus valvulæ, cartilagineæ, osseæ, vel lapidescentes occurrunt : patet ejus ambitus ulcusculis exesus ; suo involucro firmiter hærens ; crusta gelatinosa, de qua supra, obvelatus ; maculis subalbicantibus, pellicularum male cohærentium instar, de quibus alibi, signatus : præterea diluviem serosam, saniosam, purulentam, fœtidam, &c. sæpissime recondit pericardium ; quod alias in nonnullis plane deficit ; unde cor nudum conspicitur. Varia demum reperiuntur vitia in lustrato capite, quæ parum ad nostram rem pertinentia, consulto prætermittimus.

Parum discrepat ascitem *curandi methodus*, ab illa quæ leucophlegmatiæ congruit ; quæ præsertim versatur circa diversæ sortis evacuantia & obstructiones reserantia ; in quorum subsidium veniunt roborantia, nonnullaque alia supra tradita medicamina. Selectiora duntaxat & diuturniori usu comprobata paucis complectemur ; ne crambem recoctam apponere videamur. Itaque in primis morbi temporibus, prosunt emetica ; quæ alias futilia & noxia censeri debent. *Purgantia per alvum*, rheum nempe, jalapium, iris nostras, folia orientalia & salia hydragoga per totum morbi curriculum usurpare licet ; quibus tamen præsidiis haud plus æquo fidendum. Gummigutta a Willisio celebrata, elaterium, trochisci alhandal, aliaque drastica, in anasarcæ curatione proficua, minus asciti conveniunt : quare haud nisi summa cautela præscribi debent. Sed omnem implent paginam aperientia, præcipue *diuretica*, id genus sunt cichorium, cerefolium, lingua cervina, radices fragariæ, apii sylvestris, brusci, &c. Pluris habentur aselli, nitrum, tartarus vitriolatus, sal

Glau-

Glauberi, ſalia geniſtæ & tamariſci ; vel lixivia ex harumce plantarum cineribus, ope aquæ vel vini albi parata, quibus addere licet aquas Plumberianas, Borbonienſes Anſelmienſes, &c. ſed nil forte efficacius reperitur quam *ſcilla* notiſſimis elaborationibus ſubjecta : cæteris enim incaſſum adhibitis præſidiis, plures ex orco revocaſſe hoc ſolum remedium, multiplici experientia conſtat. Praxi edoctos minime latet *roborantia* tum aromatica, tum amara ; baccas nempe juniperi, rheum & helenium, cinnamomum & caſſiam ligneam, abſinthium & centaurium minus, &c. in aperientium & diureticorum agmine inſignem locum ſibi vindicare : hanc claſſem etiam ſubeunt crocus martis, tartarus chalybeatus, aliaque ejuſdem indolis præparata officinalia. Nonnullis demum pro re nata proſunt depurantia & antiſcorbutica ; fumaria nempe, lapathum, naſturtium, berula, &c. nec ſunt deſpicienda *topica*, de quibus, dum de anaſarca, egimus ; quibus addere licet ſal marinum abdomini calide admotum, quod, teſte Boerhaavio, nonnullis optime ceſſit. Parergi loco adjicere lubet plures a denegato omni potu perſanatos fuiſſe ; qui ſcilicet ſitim qua torquebantur cum fruſtulo panis toſto, & aqua vitæ irrorato, compeſcebant : nec deſunt qui hoc regimen a Listero celebratum ad tres menſes & ultra fauſte protelarunt.

Si irritis omnibus hiſce præſidiis ventris moles incrementum in dies ſumat & moleſte ab ægris feratur ; ad Artem Chirurgicam, *paracenteſim* nempe, confugere nil vetat ; quæ rite ſuccedit, ſi morbus non altas jam egerit radices, & inculpata fuerint viſcera ; alias ægros qui forte longiorem vitam traxiſſent, in orci fauces præcipites mittit. Nemo non novit inſtrumentum huic operationi dicatum, acum nempe tricuſpidem, cannula argentea contentum, ita ut cuſpis emineat ; ea lege formatum ut perforato abdomine acus commode retrahi poſſit ; cannula in ventris cavo manente. Ubi peracta hac evacuatione venter per quindecim circiter dies iterum intumeſcit, nulla ferme curationis ſpes eluceſcit : ſæpius tum iterari debet hæc operatio ad ægrorum vitam protelandam : hanc enim quinquageſies in quadam muliere ; in alia vero ultra centies, per triennium, celebratam fuiſſe fertur. Illud notare expedit quod maximi ſit momenti, poſt eductam aquam, ut venter faſciis rite appoſitis deligetur & comprimatur, alias poſthabita faſciatione aqua majori proventu irruit in abdomen poſt paracenteſim quam ante ; vel abdominis vaſa ſolito pondere orbata ſuis obeundis muniis imparia evadunt : equidem ſæpius iners eſt illud præſidium a deſpecta hacce cautela : imo & neceſſe eſt ut reſpiratio prius impedita haud plus æquo ab inſtituta hac operatione levetur. Cingulum ad hoc opus eximium excogitavit clar. Monro quod circumducitur abdomini tumido, ante paracenteſim, & per fibulas adducitur, *dum* aqua effluit ; in hunc finem ut ſemper maneat æquabilis preſſio, etiam exhauſtis aquis : & ſic præcaveatur ſyncopes, vel ſubitaneæ mortis diſcrimen poſt eductas aquas. Hinc ſolertiores & experti integram aquarum evacuationem minime ſuadent, ubi in immenſum tumet abdomen, ne fatiſcat vaſorum vis elaſtica : quod alta mente tenere debent inexperti. Nec ſufficit vulgatiſſima punctio ad hydropem *cyſticum* ; cum fiſtula ad hoc opus conflata laticem fœculentum, vel hydatides excipere minime valeat : hinc jure præfertur ſectio, quam apertam ſervant ; non ſolum ut noviſſimæ materies per hunc hiatum facilius exitum ſibi parent ; ſed etiam ut poſſint pro lubitu injici decocta detergentia, ſumme in hoc caſu conducibilia. Ægre vero exhauritur hoc ulcus fiſtuloſum ; ſed parvi haberi debet incommodum, quo imminens lethum deflectitur. Setaceum poſtremo vel cauterium inter has anguſtias nonnullis profuiſſe fertur.

PRA-

PRAXEOS MEDICÆ

PARS PRIMA.

LIBER SECUNDUS

MORBOS EXTERNOS SPECTANS.

SECTIO PRIMA

DE GENERALIBUS, VEL INCERTÆ SEDIS.

OBESITAS.

IN ægritudinum censu vix locum consequitur hæc corporis dispositio; quam tamen periculi minime expertem esse nemo ambigit: *nimia* enim *sagina* impediuntur motuum organa, unde fit ut levi labore, minimaque corporis exercitatione ingruant lassitudines; imo & emergant spirandi difficultates. Nec visceribus parcit adeps; ab uberrima enim ejus congerie ita sæpius obruuntur organa interna ut demandatas functiones, pro naturæ instituto, minime exerceri queant: quare minime mirum si graviores morbos minetur hæc constitutio; asthma nimirum, hydropem, apoplexiam, vel mortem subitaneam. Interea corpus sub *corpulentia nimia* stupendam sæpius molem assequitur; adeo ut ejus pondus ad octingentas libras nonnunquam accedat; ambitus abdominis octo pedes gallicos superet; atque tanto oneri ferendo impares, fatiscant ægri. Illud per transennam notare expedit, quod hæc stupenda corporis crassities non impedit, quominus agiliores inter natandum, minus submersionis periculum incurrant corpulentiores; nec latet Physicos hujusce phænomeni ratio.

Autopsia anatomica exhibet corpus celluloſum cuti subjectum tanta in quibusdam adipis copia refertum, ut ad altitudinem duodecim vel quatuordecim pollicum accedat; dum nil notatu dignum quandoque conspicitur in abdomine & pectore, quorum viscera ab insolita pinguedine libera, illæsa deprehenduntur. In aliis vero tanta quantitate colligitur corpus adiposum circa cor & pulmones, atque viscera abdominalia, ut horum munia, vitalia nempe & naturalia, ægre, uti jam innuimus, vel ignavius absolvantur. Cor præsertim & renes stupenda quandoque pinguedinis mole sepulta jacent: epiploon & mesenterium ob maximum hujusce materiæ proventum, solitam crassitiem longe superant: eadem scatet corpus celluloſum peritonæo, pleuræ & mediastino adnatum, &c. Hinc intelligitur, cur plus æquo gravata viscera collabantur, & sanguis perenni motu hæc perluens impedita vasorum oscillatione, tardiori impetu suos volvat vortices; & stasim sæpius patiatur.

Huic morbosæ corporis dispositioni occurritur congruo regimine; in quo sane præcipuum versatur *corruptionis momentum:* parce scillicet cibentur ægri; ipsis præbeantur edulia aceto, anisо & feniculo cinnamomo, aliisque aromatis condita. Ab euchymis alimentis abstineant: fruges terræ carneis dapibus anteponant: caveant ne longiori somno indulgeant; & otio plus æquo recumbant. Arduis econtra

tra laboribus se exerceant; donec fessi sudore diffluant. Quod ad *præsidia Medica* spectat; vetatur venæ sectio, ni præceps urgeat occasio. Conducunt *cathartica*, quæ identidem exhiberi debent. Prosunt medicamina diuresim, diaphoresimque moventia: suas laudes merentur saponacea, sed instar omnium sit acetum scilliticum, quod haud immerito in hoc casu a solertioribus clinicis celebratur. Sunt qui aquam marinam summis laudibus extollant; sed præter saporem palato ingratum, & potiori ægrorum parti invisum, hanc citra periculum minime adhiberi posse crediderim. Idem dicendum de diuturniori, & immodico aceti usu, alteriusve acidi: quidam, narrante clar. HALLERO, obesus cujusdam scioli consilio ductus, per annum & ultra immodico acidorum usui indulgebat: contabuit miser ad extremam maciem, & accedente vomitu obiit; cujus exenteratione reperiebatur ventriculus scirrhosus.

Suis etiam pollent viribus *remedia extus admota*. Opportune nimirum celebrantur fricti cum pannis asperis, quibus reserantur cutis spiracula. Hunc effectum citius præstant caldaria, vel hypocausta, quæ uberrimos sudoris rivulos eliciunt; ut sileamus de aliis modis, quibus promoveri solet perspiratio. Proficue adhibetur fumus tabaci, fistula congrua haustus; nec exiguam laudem merentur alia *sialagoga* stimulantia; Nicoriana nempe, pyrethrum, angelica & imperatoria; semen sinapi, staphisagriæ, erucæ, &c. quibus debite masticatis, pleno gurgite erumpit latex salivaris. Cæteroquin ptyalismus ab hydrargiro si concitatus nonnullis profuisse fertur: sed paucos esse reor qui illud remedium audeant experiri; ni ad alterius morbi medelam sese accingant.

ATROPHIA.

NEminem latet hoc titulo designari extremum macilentiæ gradum; qui etiam *tabes* & *marasmus* vocitatur: sed haud omnibus patet discrimen quod occurrit inter *atrophiam* primariam, vel *essentialem*, & *symptomaticam*; quam scilicet comitem habent varii morbi chronici. Nec rectius forte distinguitur *tabes juvenum*, a *marasmo senum*; licet ratione causæ plurimum distent prædicti affectus: atrophia enim juvenilis ætatis, Anglis & Batavis familiaris, ab æstu ingenii, vel studiis intensioribus; ac nonnunquam ab intempestiva venere, vel ab immodico seminis dispendio, ortum ducit; dum aliæ causæ submittitur marasmus senilis; aridurae nempe vasorum, quæ sæpius in provecta ætate osseam duritiem contrahunt: ni, uti sæpissime evenit, a viscerum labe foveatur. Haud infrequens occurit *atrophia primaria* quam inferunt castra veneris, amaræ sollicitudines, vel graviores curæ, aliaque vehementiora animi pathemata. Contrahitur a labore improbo, ab inedia diuturniore, ab inconsulto liquorum ardentium usu; a calidiorum ciborum, vel cupediarum delectatione, &c.

Atrophiam symptomaticam vulgatissimam post se trahunt graviores morbi tum acuti, tum chronici; sed hanc præcipue *accersunt* purulentiæ vel exulcerationes internæ; infarctus scirrhosi, aliæve viscerum defœdationes. Suboritur ab immodicis profluviis sanguineis, dysenteria contumacissima, & annoso alvi fluxu; ab ptyalismo diutius protracto, diabete vetustiori, sudoribus chronicis, aliisque fluxibus qui a naturali norma recedunt. Hanc pariunt nonnulla venena, quæ clancularias vitæ struunt insidias. Atrophiæ insuper *obnoxii* censentur hypochondriaci, scorbutici, scrophulosi, &c. ut silentio prætermittamus varios affectus, alibi recensendos, quæ terrimam maciem imperiri valent. De atrophia infantum nil addimus, cum de ea suo loco seorsim agere consultius visum fuit.

Utrumque marasmum jam adolescentem concomitari solet *febris hetica* vel lenta, quæ sæpissime pro morbo essentiali habetur ab imperitis & incautis, qui sane in morbis intricatioribus præcipuo, vel magis perspicuo hærent symptomati; & nil plus vident: væ sanequidem miseris ægris. Aliis subrepit error circa febrem lentam, quam huncce typum, ante quadragesimum vel sexagesimum diem, a primo cujuscumque febris exordio, nusquam contrahere falso sibi persuaserunt. Haud fugit sane

ſane in arte peritos febrem hujuſce commatis ſæpius occurrere, præſertim in melancholicis; quæ non ſolum citius accedit, ſed etiam ante prædictum terminum deſinit; adeo ut febris lenta a chronicorum ordine ſæpius ſit expungenda. Cæterum pro inani circa nomenclaturam controverſia, nequaquam dicta habeantur; cum majoris ſit momenti in arte medica, ut ſingulis affectibus proprium indatur nomen; ne ab accepto falſo, vel fortuito, commentitium morbum incauti proſequantur; vel incongruæ curandi methodo hæreant.

Ægre ſæpius *diſtinguitur atrophia eſſentialis*, *a ſymptomatica*, cum ſimili ferme modo procedant, eamdemque faciem præ ſe ferant. Nec errorem deflectunt ſolertiores, *ni* in ſubſidium veniat accurata *morbi* prægreſſi hiſtoria; atque omnia, tum præſentia tum præterita ſigna accuratiori examini ſubjiciantur. Nihilominus nonnullas intermiſſiones plerumque ſubit primaria, quæ ſane deſiderantur in ſymptomatica. Sub atrophia eſſentiali, de qua in præſentiarum, tardiores fiunt progreſſus; nec niſi morbo jam adulto caput exerit febris, quæ ſerotinis horis paululum exacerbatur. Diutius etiam in hac ſpecie viget appetitus, & reſpiratio liberius exercetur, quæ tamen in dies difficilior evadit, præſertim in quavis corporis exercitatione. Nonnulli contabeſcentes, de doloribus vel quadam formicatione juxta dorſum conqueruntur: alii dolorem capitis gravativum, cum aurium tinnitu patiuntur. In pluribus involuntaria fit ſeminis emiſſio, tum per ſomnum, tum inter vigilandum; qua ſcilicet ſenſim collabuntur vires. Interea appetitus proſternitur, & alvus antea pigrior ultra modum ſolvitur. Hancque diarrhœam, quam vocant colliquativam, plerumque concomitantur ſudores ejuſdem indolis; quibus vires ulterius exhauriuntur. Facies demum arida, fœdo vel ſubviridi pallore inficitur; acuminantur nares, excavantur tempora, retroaguntur oculi, & obſcuratur viſus; e quibus collectis emergit *facies*, ut inquiunt, *hippocratica*.

Raro prodeunt enumerata ſymptomata e *ſenum maraſmo*, cujus invadendi modus vix fit conſpicuus; qui etiam eſſentialis audit, ſed licet lentius & tardius progrediatur, omnem Medicorum induſtriam ſuperat; & ægros placide ad ineluctabile fatum ducit. Nonnulli tamen inter ſenes tabidos in hydropem exitialem incidunt; alii immani per totum corporis ambitum pruritu nulla arte compeſcendo torquentur. Præterea inſipidi fiunt vel exquiſitiores cibi, aliæque ſenſationes ægre exercentur, vel plane deficiunt: quorum infortuniorum agmen ſæpius claudit gangræna, quæ non ſolum in viſcera irruit, ſed etiam ad partes externas tranſmittitur; & hinc in propatulo ſe ſiſtit; donec ſenio & macie confecti, tantiſque ferendis impares miſelli ægri rebus humanis vale ſupremum dicant.

Haud immedicabilis cenſetur ſub alia ætate *atrophia primaria*, vel eſſentialis, quæ ſcilicet a nulla viſcerum labe organica contrahitur; dummodo tamen non altas a diuturnitate egerit radices. Nuſquam ultra ſeptem annos protelari *tabem juvenum*, traditur; quod a vero minime alienum erga potiorem partem deprehendimus: ſi tamen pectus inter hocce morbi ſtadium non afficiatur. Aliud etiam periculum incurrunt juvenes tabidi: nonnunquam ſcilicet evenit, priuſquam morbus peroptatam attigerit metam, ut ſeroſa colluvies, tum in capite, tum in pectore vel abdomine colligatur: quid ex hocce conſortio emergat, nemo non intelligit. *Ominoſæ* audiunt, procedente atrophia *febris lentæ exacerbationes*; nec minus luctuoſa cenſetur febris acuta; quam frequentiorem eſſe in maraſmo ſyptomatico, quam in eſſentiali, per tranſennam notare juvat. Haud falſum terrorem incutiunt alvi fluxus & ſudores colliquativi: infauſtum etiam exitum portendunt urinæ oleoſæ: vires demum exhauſtæ, cum facie hippocratica, præceps minantur exitium.

Numeroſiſſimæ ſane proſtant *hiſtoriæ anatomicæ*, quæ omnes fere atrophiam ſymptomaticam reſpiciunt; adeo ut ex hacce rerum luxurie pauca duntaxat eruere liceat; quibus in ſubſidium veniunt obſervationes e proprio penu depromptæ. Præter infarctus, purulentias, & ſiderationes; tumores, hærentias morboſas & ſtagnatio-

nes, quæ passim occurrunt; deprehenduntur pulmones indurati, exsucci, tuberculis vel lapillis fæti, exesi & pleuræ adnati. Cor occurrit aridum & contractum; ac nonnunquam ulcusculis in ambitu exesum; vel protuberantiis exasperatum. Deteguntur in ejus thalamis, vasisque ipsis adnatis, concretiones; ut inquiunt, polyposæ, & quasi coriaceæ; quibus obstrui videntur præcipua hæc cruoris receptacula. Deprehenduntur præterea infarctus scirrhosi in thymo, pulmonibus, hepate, aliisque visceribus; quæ etiam livore affecta emaciata & corrugata reperiuntur. In conspectum venit ventriculus scirrhosus, vel erosus: detegitur pylorus contractus, occalescens vel cartilagineus. Occurrunt lien exiguus, durus & quasi osseus; omentum intestinis aglutinatum; mesenterium materia quadam caseosa vel lapidescente infarctum, purulentum, putridum, & absumtum. Similem labem ostendunt intestina sæpius invicem accreta. Annotantur venæ flatu turgidæ; passim occurrit serosa colluvies, quæ medullæ etiam spinali minime parcit; primæ denique viæ haud raro vermibus scatent. Mirari profecto subit, in quibusdam marasmo denatis, uberriorem adipis proventum in mesenterio, in omento; vel circa alia viscera abdominalia. Nec desunt notatu digna in senio confectis; cartilagines nempe, tendines, ligamenta, arteriæ, valvulæ cordis & duræ matris propagines, ossium instar indurata; ut sileamus de variis aliis læsionibus, quæ ad nostrum argumentum minime pertinent; vel pro atrophiæ producto morboso habere debent. Coronidis loco addere liceat me vidisse cadaver cujusvis tabidi, qui scirro in stomacho & pancreate laboraverat, cujus artus, licet frigidissimi, solitam & integram flexibilitatem servabant.

Raro conducit, ut ad *medelam* deveniamus, venæ sectio: summa cum cautela exhibenda sunt cathartica, si pravæ sordes in primis viis nidulantes hæc expostulent. Quibus præmissis ad resarciendas stomachi vires converti debent clinicorum curæ; alias incassum ad curationem sese accingunt; si hoc viscus, uti sæpius evenit, morbi fomitem recondat. Hanc opem præstant stomachica amara & roborantia, in quorum agmine principem locum sibi vindicant malum citreum, cortex peruvianus, absinthium, gentiana, martialia, & aquæ minerales, horum naturæ participes. His peractis proficue adhibentur humectantia, demulcentia & temperantia e fonte diætetico depromenda; id genus sunt cremor hordei & oryzæ, sagusium, gelatinæ, jusculæ e pullo, cancris fluviatilibus, limacibus & testudine parata; lac, ejusque serum, emulsiones, &c. quæ omnia, si stomachus ferat, præclara obeunt munia. Proinde sedantia, e camphora, liquore anodyno minerali, pulvere temperante, &c. petita, omnibus ferme prosunt; sed caute mercandum cum narcoticis. Rite sæpius succedunt balnea; nonnullis utiles sunt fricti: suum symbolum etiam conferunt epithemata stomachica, si digestiones ægre perficiantur. Plurimum postremo conferunt animus ad hilaritatem compositus, aeris mutatio, gratæ exercitationes, equitatio, &c. Nec inutilia censeri debent hæc præsidia ad atrophiam senum, cum horum beneficio leniatur, vel tardius progrediatur: sed ipsis præsertim congruunt analeptica, inter quæ primatum quasi ducit vinum generosum, quo sæpius nil præstantius excogitari potest.

HÆMORRHAGIA.

Licet de peculiaribus hæmorrhagiis, quæ crebrius in praxi occurrunt, totidem distinctis capitulis passim actum sit; nonnulla tamen generalia, quæ omnia *sanguinis morbosa profluvia* respicere queunt, huc colligere haud inconsultum fore cogitavimus; tum ad vitandam recoctam crambem, tum ad varia animadvertenda, quæ prædictis capitulis attexere prolixius foret. Sanguinem crebro erumpere e naribus, bronchiis, stomacho & intestinis; e genitalibus utriusque sexus, e vasis hæmorrhodialibus & cæteris venis varicosis, e dentium alveolis, e vulneribus recentibus, & ulceribus; ac per hasce vias ingens sæpius fieri sanguinis dispendium neminem ferme fugit. Huic etiam latici exitum, sed rarius & parcius, largiuntur vasa oculos, nares, labia, aliasque oris partes irrigantia. Nonnunquam demum pro-

profilit cruor e mammis, umbilico, inguinibus, axillis & artubus, ut de sudoribus sanguineis fileamus. His addere lubet haud raro reperiri viros qui statis temporibus fluxum menstruum, plane innocuum, per hæmorrhoides vel urethram patiuntur.

Juvenes, temperieque sanguinea vel biliosa prædíti, vegetiores, iracundi & scorbutici, ad largas sanguinis profusiones *proni* censentur: hæmorrhagiæ etiam obnoxii sunt poculis dediti & laute victitantes. Profluvia demum sanguinea accersunt aer æstuans & humidus, intensiora studia, labores improbi, &c. *Periculosæ* censentur hæmorrhagiæ pulmonum, stomachi, renum, vesicæ & uteri: minorem metum incutiunt sanguinis profluvia e naribus & vasis hæmorrhoidalibus, ac nonnunquam e mulierum genitalibus; quin potius proficua non raro existimantur; præsertim si periodice recurrant: haud latet enim practicos, varios morbos acutos hæmorrhagia narium judicari; adeo ut sanguis sua repagula transiliens pro genuina crisi, tunc temporis, haberi debeat; quam prænuntiant pulsus plenus & durus, quædam ponderis sensatio circa orbitas, lacrymatio, sternutatio, narium pruritus, faciei color flammeus, &c. Hæmorrhagia ab ictu, lapsu ab alto, aliave causa manifesta, raro ominosa judicatur: quæ vero catameniorum vices explet, licet e pulmonibus vel stomacho prodeat, periculo plerumque vacat. Quoad cæteras; si diuturniores fiant, crebriusque recurrant, cruore confertim erumpente, habitum œdematosum, hydropem, phthisim, marasmum, &c. post se trahunt. Notare juvat plerosque juvenes hæmorrhagiæ obnoxios ad plethoram esse procliviores; cum eo plus sanguinis conficiatur, quo plus demitur; quod etiam de plus æquo repetitis venæ sectionibus intelligi debet.

Nemo nescit quantum periculum incurrant qui citius quam par est hæmorrhagiam cohibent; sed haud omnibus innotescit hujusce cautelæ meta, circa quam cognitu difficillimam asserere minime dubitamus graviora imminere infortunia, tam ab *intempestiva sufflaminatione*, quam a *majori sanguinis dispendio*. Nil sub hisce angustiis certi statui potest a pulsus vibratione, & ab statu virium; cum plures etiam vegetiores a parcissima sanguinis missione animo linquantur; & nonnulli, si Scriptoribus Medicis sit fides, viginti vel quadraginta libras sanguinis intra breve tempus, incolumes profundant: sed si hoc stupendo sanguinis fluxu haud e medio tollantur ægri, varii ipsis impendent affectus; quos etiam post se trahunt hæmorrhagiæ ad huncce gradum minime accedentes. Docet quotidiana praxis sanguinis profluvium, accidentale, vel periodicum, sponte in plerisque desinere, & ideo nullam medelam expostulare: sed ubi ultra modum protelatur, vel crebrius & inordinate recurrit, curationi submittitur. *Infantes*, quibus hæmorrhagia familiaris fuit, pectoris morbis sub adolescentia esse *obnoxios*; in ætate vero provecta, ad fluxum hæmorrhoidalem, affectus spasmodicos, morbos arthriticos, lithiasim, &c. pronos esse, ratum manet apud clinicos.

Sectis cadaveribus hæmorrhagia denatorum, vel huic obnoxiorum, occurrunt in capite absessus alterutrius meningis; sanguis effusus intra & extra cerebrum; non secus ac juxta medullam spinalem. Reseratum pectus exhibet bronchia sanguine obruta; pulmones contractos, exsuccos, pleuræ annexos, sanguine infarctos, inflammatos, tabo conspurcatos & putridos. Deprehenditur cor mole maximum vel exangue; pericardio nonnunquam destitutum. In apricum venit hydrops, tum pectoris, tum pericardii. Annotantur in abdomine ventriculus effuso sanguine turgens, intestina eodem latice scatentia, contracta & putrida: hepar subalbicans & exangue; maximum, induratum, infarctum & tuberosum, inflammatum, purulentum vel absessum fovens: lien ingens, purulentus, sanioſus, durus & lapidescens: pancreas infarctum & scirrhosum; mesenterium & omentum simili labe tacta; sanguis concretus in vena cava; renes ingentes; hydrops abdominalis, &c. Varias genitalium læsiones quæ fovere solent hæmorrhagiam uteri, de qua suo loco; aliasque defœdationes ad hæmoptysim, sanguinis vomitum; mictum & alvi fluxum

cruentos, de quibus sub propriis titulis, referendos consulto prætermittimus.

Præcavetur hæmorrhagia sæpius ingruens, a venæ sectione, vel admotis hirudinibus. Egregiam etiam in hunc scopum opem conferunt refrigerantia & temperantia; nitrosa scilicet, acida vel farinacea, serum latis vel ipsummet lac: sæpius etiam haud infauste exhibentur absorbentia. Sed inertia sunt omnia *prophylactica medicamina*; ni in subsidium veniat recta vivendi norma: exulent scilicet cibi sale & pipere conditi, vinum & liquores spirituosi, haustus caffe, aliaque id genus calidiora, quæ morbosas vasorum oscillationes, sanguinisque æstum fovere queunt. Nec omittenda sunt balnea, quæ cæteris consentientibus proficue etiam adhiberi solent. Sed alia methodo *impugnari* solet ingens & præsens *hæmorrhagia*: tum scilicet conferunt *venæ sectiones*, quæ tamen certis cancellis contineri debent; cum sæpius nil proficiant; quin potius, vasis plus æquo exinanitis, morbum exasperent; imminentes scilicet convulsiones promovendo; vel œdema & hydropem ocyus accersendo. Incassum etiam plerumque adhibentur anodyna, hypnotica & antispasmodica, quorum effectus alioquin incerti, in re sæpius urgentissima, tardiores censeri debent.

Sed *præsentaneam opem* ferunt cucurbitulæ siccæ, vincula carpis & malleolis, vel supra genua & cubitos, injecta, frictus in remotioribus partibus; extremorum immersio in aquam tepidam, &c. Huc præsertim spectant topica *adstringentia* & *styptica*, si sinat sedes morbi; lintea scilicet aceto, oxycrato, vel aqua frigida imbuta, cervici, scroto, &c. admoventur: nec vetantur ultimo imminente fato, styptica interna; pulvis scilicet Helvetii, ex alumine & sanguine draconis conflatus; essentia Rabel, & alia id genus: sed caute cum hisce adstringentibus internis, vel externis, mercari expedit; nec intus sunt exhibenda, ni in vitæ discrimen trahantur ægri. Coronidis loco addere lubet quod inter adstringentia externa exquisitiora, locum obtinet pulvis sympatheticus, omnibus sane notissimus; cujus efficacia innumeris experimentis constat; dummodo tamen parti affectæ imponatur; ut sileamus de ejus commentitiis viribus, quas procul præstare fertur, ad populum phaleras. Postremo minime prætermittendus est *agaricus*, nostra ætate celebratissimus, cui vis adstringens falso adscribitur: qui tamen egregie se gerit ad sistendam hæmorrhagiam arteriarum; dum corpus illud lanuginosum, vel tomentosum & obsequiosum sauciato vasi debite admovetur, & congrua compressione coercetur: sed inefficax est illud præsidium, adversus hæmorrhagiam narium, de qua infra.

PHLEGMONE ET ABSCESSUS.

AD tumores externos devenimus, qui licet in propatulum veniant, haud raro intricatissimæ sunt indolis; inter quos primum locum obtinet *phlegmone*; quo nomine venit hæc prominens inflammatio cuti, corpori celluloso vel subjectis musculis insidens, & certis cancellis coercita; cujus indolem produnt calor, rubor, dolor, renitentia, vel durities splendori sociata, tensio & pulsatio. Ad phlegmonem proxime accedit erysipelas, cutem duntaxat obsidens; hinc minus protuberans, & latius serpens. Quoad cæteros *tumores inflammatorios*; bubo, sedem habens in glandulis, magis fastigiatus occurrit: notissimis signis instruuntur furunculus & anthrax: perniones extremis duntaxat partibus incumbunt: paronychia solos digitos afficit: cæteræ inflammationes ab ambustione, morsu, & punctura animalium; a contusione, aliave causa manifesta, facile a genuino phlegmone distinguuntur. Mos, penes quem jus & norma loquendi, invaluit, ut inflammatio minus protuberans, vel depressior, latissimo *phlogoseos* nomine veniat; quæ, ut verum fatear, parum aut nil discrepat a phlegmone. A causa in sanguine vel humoribus delitescente *natales* plerumque sumit *phlegmone*; rariusque a causa externa soboleſcit. Febre utplurimum stipatur, a cujus vehementia graviora exsurgunt symptomata, delirium nempe, suffocatio, anxietates, &c. Rudiori modo spectata sub vario schemate se profert phlegmone; genuina

puina enim vel sincera a mero sanguine concitatur; notha vero erysipelatis, œdematis, vel scirrhi particeps se præbet. Legitima, resolutione, vel purulentia utplurimum judicatur; alias in infarctum scirrhosum facessit; vel gangræna corripitur.

Aliarum inflammationum instar, *abscessum* vulgo post se trahit phlegmone. Hæc imminet puris confectio, si ad quartum diem increscant calor & pulsatio; si albescat & mollior evadat tumoris, utplurimum fastigiati, apex: hunc demum ultra omne dubium prodit fluctuatio; ni tumens vesicula fellea, de qua dum de colica hepatica, abscessus faciem præ se ferat. Sed pus eo tardius elaboratur, quo altius immergitur phlogosis; quo in casu nativum colorem servat cutis, & obscurior sane fit fluctuatio. Innotescere tamen potest abscessus; etiamsi intra textum partium profundius sepeliatur, & digitis minime contrectetur, a doloris cessatione, phlogoseos remissione, aliorumque symptomatum fuga. Inordinatos rigores & horrores sæpissime post se trahere abscessus internos, jam supra notavimus; sed raro externos concomitatur prædicta symptomata. *Febris*, que ab utrisque excandescit, haud ominosa censeri debet; quin potius requiritur *ad puris confessionem*, ut sanguis certo impetu feratur; qua deficiente ægre perficitur suppuratio; vel tumor scirrhi naturam induit. Sed suis cancellis contineri debet sanguinis velocitas, cujus vehementia non solum suppurationi officit; sed etiam gangrænam haud raro accersit.

Periculi expers est phlegmone a sanguinis labe, vel humorum dyscrasia minime soboleſcens: sed aliter se res habet ubi a cachexia, vel viru scorbutico, scrophuloso, aut venereo fovetur. Nemo nescit doloris, & caloris subitaneam cessationem, & intempestivam tumoris subsidentiam partibus internis minari. Si tumor sensim indurescat, ægre in suppuratum abit, vel, uti jam innuimus, ad scirrhum vergit. Gangræna vero imminet, si phlegmone livorem contrahat, & erumpant phlyctænæ ex ejus ambitu. Abscessus prominentes & fastigiati sponte aperiri solent: internos nonnunquam exhauriri alibi notavimus; quo phænomeno pus sanguinis remixtum ad quamvis partem externam irruit, ubi colligitur. Idem ferme evenit erga abscessus externos, quorum tabum resorptum hepar, pulmones, aliave viscera sæpius impetit. Feliciorem nonnunquam in utrisque abscessibus habet exitum hæc puris translatio; quod intra sinum massæ sanguineæ oberrans ad renes, intestina, aliave incernicula appellit; quibus egregio naturæ molimine egressum sibi parat. Alius fit puris transitus ab exterioribus ad interiora, vel vice versa; dum pus scilicet extus collectum, ratione moræ, subjectas partes erodit & altius immergitur: simili ferme modo materia purulenta intra pulmones, aliudve viscus latitans, sibi viam cudit ad cutem, ubi fit altera puris collectio; quæ cum priori commercium servat, quod haud citra costarum cariem in pectore accidit. Prolatis addere juvat, quod præter materiam purulentam, nunc sinceram, nunc sordidam; varia corpora extranea recondunt abscessus; lapides nempe, aciculas, acus, ossa, spicas, globos plumbeos, vermes, &c. de quibus innumera prostant exempla apud Authores.

A venæ sectione prima est auspicanda *phlegmones curatio*; quam pro inflammationis gradu & febris vehementia iterare licet. Alvus per totum morbi curriculum, notissimis præsidiis servetur libera; imo & exhibenda sunt cathartica, si primæ viæ sordibus scateant, aut ægrotantes cachexia laborent; quæ alias conducunt ad præcavendam metastasim, qua morbus ad partes internas, maximo ægrotantium damno, transmitti potest. Interea fauste adhibentur humectantia, refrigerantia & temperantia; serum nempe lactis, aqua hordei vel oryzæ, limonatum, emulsiones nitrosæ, &c. Sed caute præscribi debent hypnotica, etiam urgentibus doloribus; cum suppurationi afficere, & gangrænam accersere valeant. Insuper pro re nata in usum quandoque trahuntur a nonnullis vulneraria, imo & diaphoretica; sed si quid contulisse visa sunt hæc remedia; id forte minus auxilio, quam tempori, vel morbi genio tribuendum esse censemus.

Cæ-

Cæterum in *topicorum* congrua administratione versari præcipuum curationis momentum, neminem fugit; quæ ex emollientium & anodynorum, resolventium & & maturantium classibus depromi solent. Hæc vel illa seliguntur post bene perspectum tumoris genium, ad resolutionem, vel suppurationem vergens; imo & nonnunquam utraque immiscere licet, si haud dilucide pateat morbi indoles. Cataplasmata e lacte & mica panis, e radicibus lapathi & althææ, e foliis acetosæ, senecionis, malvæ & verbasci; e caricis pinguibus, mucaginibus, axungiis, oleis, &c. emolliendi causa conficiuntur. Alia ad resolvendum parantur e floribus chamæmeli, meliloti & sambuci; e farina fecalina, cumino, fenugræco, &c. Cepæ vulgatissimæ & radices liliorum, fermentum vetus, unguentum basilicum, fuscum, aliaque id genus, maturantium compositionem ingrediuntur. Utrisque quandoque immiscentur narcotica, vel opii grana quindecim aut viginti, ubi scilicet dolores sæviunt: sed caute admoveri debent hæc postrema, quæ gangrænam accersere queunt. Nec minus pertimescenda sunt repercutientia, quæ succis inibi impactis lentorem, experientia teste, impertiri valent; e quorum inertia emergere solet scirrhus.

Ubi a bene perspectis traditis signis constat *abscessum*, solitum maturitatis gradum assecutum fuisse, incunctanter *ferro* vel *causlico* aperiri debet. Haud pro lubitu seligendus alteruter modus, sed a morbi sede, aliisque circumstantiis, hæc vel illa institui debet operatio, de qua nil addimus, ne falcem in alienam messem immisisse videamur. Si præmatura fiat abscessus sectio, reliquum curationis tempus diutius protelatur, tardiusque ferruminatur ulcus; si econtra plus æquo procrastinetur, pus acredinem contrahens foveas nonnunquam sibi cudit, vicinioresque partes lædit. Quod sæpius evenire in faucium & ani purulentia, nemo nescit. Sed majorem metum incutit diuturnior puris stagnatio; si haud procul a ligamentis, tendinibus, periosteo & futuris colligatur. Alterius sortis minatur infortunium longior puris mora circa pectus; ejus scilicet accessus ad organa vitalia; quod pluries, uti supra notavimus, evenisse testatur experientia. Curatur ulcus ab evacuato pure emergens maturantibus & detergentibus; unguento scilicet basilico, mundificativo de apio, fusco, diachylo, aliisque innumeris affinibus. In usum etiam trahuntur emplastrum diapalma, Noribergense, aliaque exsiccantia, si ulcus, luxuriantibus succis, plus æquo madeat. Sed, ut verum fatear, plus ad hoc opus conferunt naturæ vires, quam artis solertia. De variis morbis primariis e quibus soboleſcit phlegmone, qui ideo peculiarem, & sibi propriam medelam efflagitant, nec de scirrho & gangræna, quæ post se etiam trahit, & de quibus infra, nil addimus.

ULCUS ET FISTULA.

Rite distinguenda veniunt *ulcera* a phlegmone, erysipelate, bubone & scirrho ortum trahentia; ab iis quæ prodeunt a vulnere, contusione, ambustione; ab admotis causticis, a gangræna, &c. Sed alia est vel majoris momenti indagatio: probe scilicet inquirendum, num quædam delitescat labes in sanguine & humoribus, qui sæpissime, uti neminem expertum fugit, viru scorbutico, scrophuloso, venereo & cancroso contaminantur. Constat *fistulam* nil aliud esse quam ulcus sinuosum & profundius, cujus aditus fundo plerumque anguſtior occurrit, ob foveas scilicet quas sibi cudit pus, sua mora acerrimum. Familiares & notissimæ sunt ani fistulæ, & lacrymales, de quibus seorsim suo loco agere consultius visum fuit; quod tamen non impedit quominus quædam de hac re generalia & contracta in hocce capitulo, vel obiter, tradamus.

Facillime ad mutuum contactum *ducuntur* ulcerum recentiorum a phlegmone ortorum labra, præsertim sub juvenili ætate, & in iis qui viribus valent; vel florido corporis habitu gaudent: sed secus se res habet inter provectam ætatem, vel in constitutione cachectica. *Pertinaciora* sunt *ulcera* ab erysipelate, œdemate, vel scirrho prognata. Quantum curantibus facessant negotium ulcera scorbutica, venerea, scrophulosa, aut cancrosa, nemo sane nescit.

neſcit. Præterea ægre curantur ulcera narium, oris, mammarum, & genitalium: vix domari patiuntur ulcera putrida, ſordida & verminoſa, quæ pus fœtidum, glutinoſum, cruentum, ichoroſum & ſubviride; vel merum ſanguinem, nonnunquam uberrimum eructant; quorum labia ſunt *inverſa*, & hyperſarcoſes, vel carnes luxuriantes, fungoſæ, lividæ, ſubvirides vel nigricantes occurrunt. Omnem ferme curam reſpuunt ulcera phagedænica & fiſtuloſa, quæ oſſium vel ligamentorum carie foventur, ac ſanie oleoſa & ſubatra madent. Haud levem terrorem incutit pus ſanguini remixtum, ni per pulmones, renes vel ſentinam inteſtinalem, feliciſſimo ſane eventu, egreſſum ſibi paret; quibus tamen incerniculis lethalem labem nonnunquam impertitur. Maraſmum & febrem lentam ſæpius poſt ſe trahunt ulcera antiqua; quæ tamen ſalutaria evadunt *in ſenili* ætate, ſub qua, væ illis qui *illa* exhaurire & ad cicatricem perducere moliuntur; cum ex hac intempeſtiva medela pus per hancce viam excerni ſolitum, viſcera impetat, & deleteriam labem ipſis impertiatur; quam exhibent cadaverum extiſpicia.

Hactenus prolata de ulceribus, *fiſtulas* etiam reſpicere nemini haud obvium: cum, uti ſupra notavimus, nihil aliud ſint fiſtulę quam ulcera ſinuoſa & cavernoſa, quorum curatio majoribus ſemper premitur difficultatibus; nec plerumque niſi accedente Arte Chirurgica perficitur; cum medicamina ipſis admovenda, ſi demas injectiones, ad ultimos horum receſſus pertingere ęgre vel minime valeant. Contumaciores & *curatu difficiliores*, vel plane immedicabiles cenſentur fiſtulæ, quæ pertingunt ad tendines, ligamenta, cartilagines, & oſſa denudata; quæ hinc ſemper carie læduntur: haud raro enim occurrunt inter praxim ulcera fiſtuloſa in inguine, quæ foventur a carie coſtæ; & circa poplitem a carie capitis femoris; in podice a carie vertebrarum lumbarium; imo & dorſalium, teſte Tulpio. Plerumque vitæ metam ducunt fiſtulæ in pectoris vel abdominis cavum hiantes; quarum margines, ſi inconſulta medicatione occalluerint, incunctanter recruentari debent; ne inopportuna ferruminatione, lupus, ut inquiunt, in ovili coerceatur.

Eo collimandum in *ulcerum medela* ut congruo & ſincero pure madeant; quod brevi abſolvitur, ſi optimæ notæ excernatur hicce latex. A ſordibus enim quibus conſpurcantur, procraſtinatur vel omnino impeditur curatio: ideo hiſce everrendis danda eſt opera, ut dein naturæ beneficio, vel debita ſarcoticorum adminiſtratione horum labra ad mutuum contactum ducantur, & coeant. De remediorum ad huncce uſum comparatorum efficacia, multum controvertitur apud Medicos: ſed hanc litem dirimendam quibus plus otii ſupereſt, committimus; cum illud duntaxat nobis incumbat munus, ut ſelectiora, longo & feliciori uſu comprobata exhibeamus. In horum cenſu, primum locum ſibi vindicant *maturantia* vel *digeſtiva*, olea nempe hyperici, liliorum & ovorum; ſtyrax, terebinthina, balſama naturalia, balſamum Lucatelli, vel commendatoris; unguentum baſilicum & fuſcum; emplaſtrum diachylon, &c. quę omnia tempeſtive adhibita ſuppurationem fovere videntur. Doloribus, pruritui, & nimię ariditati occurrunt emollientia & anodyna; decoctum nempe verbaſci & nymphęę, ſolani & capitum papaveris albi, mucilagines, butyrum & cremor lactis; oleum lini & chamęmeli; cataplaſma e mica panis, aliudve affine; unguentum de althęa, album Raſis, pompholyx & populeum; ceratum Galeni & emplaſtrum de ſpermate ceti; quę prętер aſſignatas vires, puris etiam confectioni egregie favent. Inter *detergentia* numerantur decoctum hordei, herbarum vulnerariarum, radicum ariſtolochiæ, foliorum nucis julandis, &c. unguentum Apoſtolorum, & de apio; balſamum viride, & Arcæi, aliaque conſimilia, quibus addere licet aquas Bellilucanas, Plumberianas, Baregienſes, Montis aurei, Mutenſes, aliaſque thermales congeneres, quæ cæteris detergentibus palmam forte prærripiunt. Nec deſpiciebant Veteres aquam calidam ſimpliciſſimam, vel e ſucco radicum althææ imprægnatam, quam etiam ad maligna, ut inquiunt, crurum ulcera fauſte adhibebant.

Hæc

Hæc excipiunt medicamina diverſæ ſortis, quæ uberiori humorum proventui medentur; & hinc *exſiccantia* audiunt; uti ceruſa, creta, lithargyrium, tuthia, alumen calcinatum; ariſtolochia, gentiana, iris florentina; tinctura myrrhæ & aloes, unguentum diapompholygos, emplaſtrum Noribergenſe, &c.: nec deſpicienda aqua golardiana, ceratum vel pomatum ſaturni, multiplici experientia comprobata. Luxuriantibus & fungoſis carnibus occurrunt cathæretica; ſabina nempe, aqua calcis, præcipitata mercurialia, unguentum ægyptiacum, balſamum viride, aqua phagedænica, collyrium Lanfranci, oleum camphoræ, butyrum antimonii, lapis cauſticus vel infernalis, ſigillum eſcharoticum, &c. Superſunt *adſtringentia*, quæ tubulorum oſcula pus eructantia, vel ſanguinem fundentia coarctare valent; quibus viribus pollent roſæ rubræ, balauſtia, equiſetum, cortex granatorum, ſanguinis draconis, bolus, alumen, vitriolum; aqua ſtyptica & *Rabel*; ceratum de lapide calaminari, &c. Proponuntur demum, tanquam tutiora adverſus hæmorrhagiam præſidia, ligatura & compreſſio. Suam opem etiam confert AGARICUS noſtra ætate celebratiſſimus, qui ſuo molli & flexili contextu hiantibus vaſorum oſculis facilius admovetur; & in hoc ſolo, uti jam innuimus, verſantur decantatiſſimæ ejus vires.

Hæc ſunt *topica* quæ a ſanioribus Chirurgis in uſum trahuntur, inter curanda ulcera; ſed haud crebrius quam par eſt ſunt admovenda, vel renovanda. Raram enim medicationem vulnerum, poſt MAGATUM, qui de hac re integrum librum conſcripſit, commendant ſolertiores; non ſolum ut inhibeatur, quantum fieri poteſt, aeris acceſſus; ſed etiam ut incæpta ſuppuratio minime turbetur, & ſaluberrimum naturæ opus, arti longe præcellens, a genuina norma minime deflectat. Omnibus exhauſtis præſidiis pharmaceuticis, nonnunquam profuit, inter tractanda pertinaciora ulcera, cauterium parti oppoſitæ inuſtum: hoc enim diverticulo puris imminuitur proventus ad antiquum ulcus; cujus labra ad mutuum contactum ſenſim accedentia, demum coaleſcunt; dummodo tamen inculpata ſint ſubjecta oſſa, tendines & ligamenta, quorum caries cicatrici obſtat: ſed plures ambigunt, num ſatius ſit novum ulcus confodere, quam vetus ſervare; quod dubium ſolvit ulceris arte parati ſedes, quæ pro lubitu collocatur; poſtremum inſuper certis cancellis coercetur; dum aliud longe lateque prorepere valet.

Alia ſuppeditat adminicula *Ars Chirurgica* ad curationem ulcerum calloſorum & fiſtuloſorum, carie implicatorum, vel gangræna tactorum. Non ſecus ac carnes luxuriantes; eſcharoticis abſumuntur callefcentiæ, donec ſubjacentes carnes melioris notæ detegantur. Ulcera ſinuoſa injectionibus detergentibus pertractari ſolent: ſed raro conducit hæc methodus; quare ad ſectionem devenire expedit, cujus ope fundus ulceris e quo procedere debet curatio, in apricum venit, & congrua remedia a dilatato & patente aditu excipere valet: alias nilum proficiunt vel exquiſtiora præſidia: ſed de hac re fuſius, dum de fiſtula ani, vel lacrymali erit ſermo. *Caries* vero impugnari ſolet euphorbio; oſſis, ope inſtrumenti congrui, abraſione; cauterio actuali, aliiſque auxiliis, de quibus ſuo loco. Domatur gangræna profundioribus ſcarificationibus; ſpiritu vini camphorato, aliiſque topicis infra recenſendis. Ultimum, cæteris inanibus, ſupereſt præſidium ad ulcera cancroſa, cum caries & gangræna; partis nempe affectæ extirpatio, vel membri integri amputatio: hæc eſt ſacra anchora; ad quam tamen, niſi omni prorſus curationis ſpe ablata, confugere nefas.

Sed ſupervacanea ſunt hæc cujuſvis ſortis auxilia, ſi quadam *labe congenita* vel *adventitia* inquinentur ſanguis & humores; ſub cujus ſuſpicione, nil non movendum, ut extricetur cujuſvis deleterii, atra ſæpius caligine immerſi, indoles; qua probe nota, alia incunctanter *ineatur medendi via*. Sed præter virus ſcrophuloſum, venereum & ſcorbuticum; alia ſunt innumera inquinamenta, tum in humorum maſſa, tum in primis viis; vel occurrunt variorum morborum implicationes, ægre ſæpius evolvendæ, quæ ulcerum curationi officiunt; quibus poſthabitis inanem opera

ram ludunt clinici. In immensum crescere pagina, si recensendis innumeris remediis internis quæ huc coincidunt, immoraremur: usitatiora duntaxat exhibere expedit; quæ primo circa venæ sectiones, emetica, purgantia per alvum, aliaque *generalia* versantur. Congruit sane sanguinis missio plethoricis, vel quibus deficiunt consueta sanguinis profluvia; quæ alias phlogosi, ulcerum labra, vel ambitum sæpius invadenti medetur. Quid conferant emetico cathartica, si primæ viæ sordibus, serius ocyus ad sanguinem appellendis, scateant, nemini sane haud obvium.

His præmissis opportune sæpius exhibentur diluentia & *temperantia*; serum nempe lactis, cichorium & borrago, cancri fluviatiles, aquæ minerales acidulæ, &c. Pluribus etiam prosunt demulcentia, cremores nimirum hordei & oryzæ, vel lacticinia. Haud raro conducunt *depurantia*, lapathum scilicet, fumaria, nasturtium, &c. Nec posthabenda *vulneraria* & detergentia interna, quæ congeneribus extus admotis obsecundant; id genus sunt hypericum, agrimonia, bugula, pervinca, verbena, alchymilla, mel, aqua calcis, balsama naturalia & officinalia, terebinthinæ, &c. quibus adnectere juvat aquas thermales & balsamicas; Bonenses nempe, Baregienses, Aquægranenses, Montis aurei, &c. Egregie quandoque se gerunt medicamina quæ insensibilem perspirationem & sudores movent, uti china radix, salsaparilla, viperæ, antimonium diaphoreticum, antihecticum Poterii, &c. In quibusdam valent absorbentia: nonnullis opitulantur roborantia. Pluribus prosunt aperientia; imo & nonnunquam proficue adhibentur incidentia; hisce viribus pollere videtur cicuta a clariss. Stork celebrata; quæ sane, multiplici jam experientia teste, summam opem præstare valet; si ulcus cancri naturam redoleat. Norunt sane in arte periti casus qui singula hæc remedia expostulant; quare huic expositioni inhærere haud e re nostra fore putavimus. Postremo vetustiora crurum, aliarumve partium ulcera in senili ætate, curam mere palliativam efflagitare, nemo nescit: adeo ut, ubi ad cicatricem vergere videntur, ope gentianæ, ireos Florentinæ, cantharidum, &c. omni studio foveri debeant. Hoc opus etiam præstat spongia præparata, prius scilicet ceræ flavæ immersa & prælo fortiter expressa, inibique frigefacta, cujus frustum humiditate loci turgescens, ulcerum labra dimovet, vel fistularum oscula dilatat.

BUBO.

Hoc nomine insignitur tumor phlegmonodes, fastigiatus, pugni magnitudinem sæpius æquans vel superans; dolore, calore & pulsatione stipatus; ac glandulis inguinum, axillarum, cervicis, &c. insidens. Sub diversis speciebus se præbet *bubo*, qui scilicet nunc *simplex*, nunc *venereus*, vel *pestilentialis* audit; quibus addere licet scorbuticum & scrophulosum, qui rarius inguina obsident. Ad ovi gallinacei molem accedit *simplex*, in glandulis inguinalibus vulgatissimam sedem habens, & raro axillas obsidens. Febrem utplurimum comitem habet hæc bubonis species, quæ brevi & spontanea resolutione sæpius judicatur: nonnunquam tamen pertinacior evadit, & tardius ad resolutionem, vel suppuratum vergit: imo & abscessus, qui hinc emergit, difficillime ad cicatricem perducitur; nec raro in fistulam vix domabilem facessit. Infantes & juvenes, ac præsertim puberes, cum plus solito crescant in altum, cum quadam corporis macie, crebrius invadit bubo simplex; qui alias nulli ætati parcit.

Bubo venereus ab impuro congressu prosapiam ducens, ratione molis & diuturnitatis sub vario conspectu se profert: solis glandulis inguinalibus insidet, quarum unam vel plures afficit: ex alterutro, vel utroque latere, ad pugni circiter magnitudinem accedit. Eo facilius curatur, quo ad phlegmonem proximius accedit: sed secus se res habet si œdematis vel scirrhi particeps sit; sub qua implicatione in fistulam sæpius facessit; imo & præpostera medela, cancri characterem induit. Pro signo pathognomonico luis venereæ a Chirurgis vulgo habetur hæc tumoris species; quam opinionem cum grano salis accipiendam esse censemus. Minime sane fallit illud luis indicium, si haud nisi post

plures menſes & annos, a coitu impuro ſe prodat; ſed ubi amplexus cupidineos preſſo pede ſequitur, nil certi, quidquid in contrarium adducant Authores, arguit; præſertim ſi opportuna curatione evincatur. Notare haud incongruum erit, quod ſæpius eveniat ut *ab ſtranguria*; vel a quocumque urethræ dolore *intumeſcant glandulæ inguinales*; quas ſedata vellicatione, vel fugato dolore, brevi ſubſidere, experientia quotidiana docet: ſimili ratione glandulæ cervicales vel axillares protuberare ſolent, a dolore ſcilicet oris vel brachiorum; ſed fugaces hice tumores ſemper a doloris ceſſatione evaneſcunt: hinc colligitur hunc glandularum inguinalium infarctum pro bubone venereo perperam haberi ab imperitis; qui ejus facillimam curationem ſuis admotis topicis inſulſe referunt. Præterea *bubonis faciem* quandoque præ ſe fert *hernia cruralis*, qua incauti etiam decipiuntur; nec deſunt qui maximo ægrotantium damno, hunc tumorem intempeſtiva ſectione aggrediuntur. Maximum tamen diſcrimen occurrit inter utrumqne tumorem; hernia enim cujus baſis eſt anguſtior ſphæram accuratius mentitur: inſuper tactui cedit, vel notiſſima arte, ad priſtinum ſitum, repulſo inteſtino, plane obliteratur tumor; quæ ſane nota omne dubium ſolvit.

Bubo peſtilentialis, præter inguina & axillas quibus ſæpiſſime inſidet, e cervice, pectore, aurium viciniis, &c. erumpit. Haud niſi graſſante peſte ſe profert; inde patet ejus character. Peculiaribus tamen ſignis a cæteris diſtinguitur; phlogoſi ſcilicet corripitur cutis, cui parcunt ſimplex & venereus: intenſior eſt æſtus; æqualis obſervatur tumoris ambitus, vel puſtulis atris & gangrænoſis exaſperatus; ejuſque baſim cingit circulus verſicolor. Ubi citiſſimum incrementum ſumit, & brevi in ſuppuratum abit; pro critico habetur; cum ex hac eruptione graviora leniantur ſymptomata: alias nullum levamen præſtat: mortem vero minatur, ſi retrogradum motum patiatur. A bene perſpectis hiſce indiciis luce clarius patet harum ſingularum ſpecierum indoles: ſed difficilius innoteſcit typus bubonum ſcorbuticorum & ſcrophuloſorum, qui alterutrum conſpectum mentiuntur, ni in ſubſidium veniat accurata tum ſcorbuti, tum ſcrophularum diagnoſis.

Parum diſcrepat bubonum *curatio* ab illa quæ phlegmonem reſpicit. *Simplex* ſponte judicatur, vel tralatitiis remediis utplurimum cedit. Nonnulli tamen occurrunt pertinaciores qui ægre ab exquiſitioribus maturantibus, vel ab ipſiſmet admotis cucurbitulis domari patiuntur. Bubonis *venerei medela* venæ ſectione eſt auſpicanda; accedentibus cæteris generalibus phlegmoni dicatis, ut a depletis vaſis partes infarctæ flexiliores & obſequioſiores evadunt. Interea pro vario tumoris ſtatu adhiberi ſolent emollientia, reſolventia & maturantia. Inſtar omnium habetur cataplaſma lacte & mica panis paratum, quod quævis naturæ molimina egregie juvare valet: ejus vices interdiu ſupplet emplaſtrum diachylum cum gummis, ſi domo egredi cogantur ægri; cujus uſus protelari ſolet etiam aperto abſceſſu. Similibus imo & præſtantioribus viribus gaudet unguentum fuſcum. Sed inutilem operam ludunt hæc topica, ſi tumor ſit indolens, & hinc ad ſuppuratum minime vergat: tum ad aliam methodum ſe conferre expedit; admoventur ſcilicet curcurbitulæ ſiccæ, veſicatoria vel ipſummet cauſticum; quorum præſidio, in motum acti inibi impacti ſucci, & concitatæ vaſorum oſcillationes, puris confectioni favent. Ubi vero prædictis auxiliis morem gerens tumor in ſuppuratum abit, danda eſt opera, ut ad triginta vel quadraginta dies proteletur hæc purulentia. Hacce cautela declinari poteſt imminens lues venerea; ad quem ſcopum etiam venit hydrargyri uſus tam externus, quam internus; celebrantur enim per totum curationis ſtadium fricus circa tumoris ambitum, cum unguenti neapolitani refracta doſi; vel admovetur emplaſtrum de Vigo: intus exhibentur panacea, mercurius dulcis, aliaque mercurialia officinalia, ad huncce uſum parata. Confert, ſub hacce curandi methodo, cautus blandiorum catharticorum uſus; præſertim ſi immineat ptyaliſmus. Sed incaſſum hæc omnia adhibentur remedia, ſi ulcus in fiſtulam faceſſat, vel skirrhi naturam contrahat; quod infortunium pro ſigno luis venereæ haud infido haberi debet; adeo ut ad ſolitam hydrargyroſim

con-

confugere neceſſum ſit; cui etiam nonnunquam obſurdeſcit bubo skirrhoſus, cancri naturam redolens; tum ſane in ſola extirpatione verſatur ſalutis ſpes; dummodo tamen ſinat ſedes morbi; alias ſoli curæ palliativæ inhærendum.

Haud minus conducit ſuppuratio inter tractandum *bubonem peſtilentialem*; imo & expedit ut integra abſumatur glandula. Bubonum mere phlogodeorum ſuppurationem promovent cataplaſmata emollientia, & maturantia vulgatiora: cæteris magis congruit emplaſtrum diachylum: illi phlebotomo aperiuntur; his admovetur lapis cauſticus; ubi debitam maturitatem adipiſcuntur. Non ſecus ac in bubone venereo, diu etiam protelari debet purulentia, ad quam juvandam opportune admoventur unguentum baſilicum, & de althæa, balſamum Arcæi, &c. Nil de cæteris præſidiis, ſupra traditis, addimus, ne crambem repetitam apponere videamur. Quod ad *bubones ſcorbuticos* & *ſcrophuloſos* ſpectat; nullum eſt dubium quin horum cura externa, methodo generali & vulgatiori ſubmittatur; ſed præcipuam opem conferunt remedia interna, de quibus ſatis ſuperque dum de ſcorbuto & ſcrophulis: incaſſum enim ad horum curationem ſe accingunt Chirurgi, ni virus morboſum in maſſa ſanguinea latitans, opportunis vel ſpecificis auxiliis prius ſubigatur.

CARBUNCULUS vel ANTHRAX.

ALterutro nomine, a carbone deſumpto, pro lubitu inſignitur *tumor inflammatorius & gangrænodeus*, ſaturate rubens & ſplendens, æſtu intenſiori & dolore moleſtus, plus minuſve protuberans; ſed utplurimum depreſſus. Hunc ſæpius præeunt vel concomitantur puſtulæ igneæ ardentiſſimæ, ſæpius numeroſæ, quæ anguſto temporis ſpatio nigricant, vel ſphaceli notam præ ſe ferunt. Tumoris baſim cingit areola, nunc flammea & ſplendens, nunc livida & ſubatra; e qua nonnullæ erumpunt phlyctænæ. *Sphacelus*, qui hujuſce tumoris characterem præbet, brevi ſtupendum incrementum ſumit, ni notiſſima arte coerceatur. Nil quandoque in conſpectum venit præter puſtulas phlogodeas, ardentes & veſiculares, baſi vix prominente hærentes, quæ brevi ad ſideracionem vergunt. Notare, per tranſennam, expedit quod ejuſdem forte naturæ ſint hæc exanthemata gangrænoſa, quæ variolas & febres malignas ſæpius comitantur.

E præfatis patet carbunculum, ſuppurationis neſcium, in ſphacelum abire, in quo, uti jam innuimus, verſatur hujuſce tumoris ſchema. Ab *eſcharæ* vel cruſtæ illius ſideratæ prolapſu emergit ulcus, veluti ab admoto cauſtico inuſtum, & ægre ad ſuppurationem vergens. Nemo neſcit *carbunculum* inter *peſtis* & *febris malignæ ſigna* numerari; febrem intenſiorem plerumque promovet hæc eruptio; gravioraque ſymptomata poſt ſe trahit; ſub quibus circumſtantiis ominoſa cenſeri debet hæc eruptio; præſertim ſi faciei, cervici aut pectori incumbat: nec minorem incutit terrorem, ſi partibus glanduloſis, aponeuroticis vel membranaceis inſideat: lethalis demum audit, ubi in ore, vel pharynge ſedem habet. Inſuper viſcera hac labe haud immunia eſſe docet autopſia anatomica; etenim reperiuntur carbunculi in ſtomacho, tubo inteſtinali, renibus, veſica, &c.

Pro carbunculo habetur quædam *furunculi ſpecies*, vernacule dicta *Charbon Provencal*, citiſſime increſcens; cujus apex brevi nigricans, in eſcharam faceſſit. In Gallia Narbonenſi quaſi endemius, nulla plerumque febre ſtipatur hic carbunculus, qui nonnunquam depreſſus occurrit; vel nil aliud præbet præter phlyctænam e centro areolæ inflammatæ & ſplendentis erumpentem. Levem incutit metum hic tumor prædictæ regionis incolis; etſi tamen periculo minime vacat; cum haud deſint exempla nonnullorum ſola prædictæ eruptionis ſævitie interemptorum. Ominoſus præſertim cenſeri debet carbunculus provincialis, ſi retrogrediatur; quod infortunium ſub cæteris anthracis ſpeciebus, præſertim ſæviente peſte, pro lethali plane habetur.

Eo redit præcipua indicatio, ut *incunctanter coerceatur gangræna*, & e carnibus ſanis excutiantur aduſti eſcharæ lobi. Celebrantur in hunc finem ſectiones per phlebotomum, vel *ſcarificationes* ad vivum; quibus imponitur cataplaſma e mica panis,

nis, aliudve emolliens : nonnunquam renovari debent prædicta vulnuscula, inter quæ opportune admovetur cauſticum ; ut hoc naturæ opus eſcharæ deceſſum moliens celerius abſolvatur. Huc coincidunt cataplaſmata maturantia & antiputrida, quorum compoſitionem ingredi ſolent theriaca, unguentum baſilicum vel Ægyptiacum, piper, &c. Nonnulli ipſis immiſcent pulverem lapidis cauſtici, vel vitrioli cærulei ; nec incongrua eſt hæc methodus ; egregiam etiam opem præſtat butyrum antimonii ad promovendum eſcharæ delapſum ; ni ſatius ſit illam ſcalpelli beneficio auferre. Pertractatur ulcus a caſu cruſtæ ſideratæ relictum, unguento Ægyptiaco, vel mundificativo de apio, balſamo viridi Metenſium, aliiſque id genus digeſtivis & detergentibus ; quibus immiſceri ſolent antiſeptica, ſi immineat gangræna : hanc opem etiam conferunt aqua vitæ camphorata, tinctura myrrhæ & aloes, aqua phagedænica, balſamum Arcæi, unguentum de ſtyrace, aliaque affinia ſolertiorum praxi comprobata. Ab uſu ferme receſſit *cauterium actuale*, quondam familiariſſimum, quod, neſcio quo fato, eviluit ; licet a celebrioribus practicis inter præſtantiora adverſus gangrænam auxilia numeretur. Remedia vero interna, de quibus ſatis ſuperque, dum de peſte & febre maligna, conſulto prætermittimus.

Carbunculi Gallo-Provincialis curatio ſimplicioribus peragitur. Nonnunquam confert venæ ſectio ; nec inanem opem præſtant cætera præſidia generalia. Haud deſpicienda cardiaca quæ pluribus prodeſſe experientia quotidiana teſtatur : ſuas laudes etiam merentur topica ſupra tradita. Sed in potiori ægrorum parte, omne fert punctum cataplaſma e lacte, mica panis & ovi vitello paratum ; aliudve emolliens & maturans ; ſi tumor ad ſuppurationem vergat. Ubi vero topicis emollientibus & digeſtivis haud morem gerit tuber, ad efficaciora devenire licet : tum ſcilicet celebrantur ſcarificationes ; in uſum vocatur butyrum antimonii ; vel cætera adhibentur cathæretica, ſupra laudata ; quibus opportune admotis, vel reluctante natura, promoveri ſolet ſuppuratio.

FURUNCULUS ET AFFINES.

VArios tumores parum ab invicem diſcrepantes, furunculum nempe, epinyctidem & terminthum, complectimur, ut una eademque fidelia plures dealbemus parietes. Nemo non novit *furunculum*, (*le Clou*) cujus diverſa eſt moles. Calore & dolore utplurimum ſtipatur hic tumor, corpori adipoſo inſidens ; nunc ſolitarius & ovi columbini molem ſæpius ſuperans, nunc ſtipato quaſi agmine prodiens ; alias uno curato, alter erumpit. Horum ſævitie nonnunquam torquentur ægri, nocteſque ducunt inſomnes. Furunculus tarde quandoque in ſuppuratum abit, & ægre rumpitur abſceſſus ; cum concreſcat in pleriſque pus, & in ſpiſſam, tenacemque materiam, noſtratibus *bourbillon*, faceſſat ; qua ſub filamentorum, vel ellychniorum alborum facie, expreſſa, relictum ulcus brevi impletur, dummodo furunculus ad benignos, ut inquiunt, referatur. Sed alius haud infrequens occurrit *pravæ indolis*, qui febre ſtipatur, gravioraque quandoque acerſit ſymptomata : huncce typum adſciſcunt *furunculi ſcorbutici* & *venerei*, longe contumaciores, qui tantam in nonnullis ſævitiem exercent, ut convulſiones promoveant.

Epinyctis tuberculum audit rubrum vel lividum, dolore moleſtiſſimum ; baſi inflammatæ ſuccreſcens, fabæque magnitudinem haud raro ſuperans. Tardior fit epinyctidis ſpuria maturatio, quæ raro ſincerum pus, ſed ſæpius laticem ichoroſum, vel meram ſaniem præbet. Sæpius confeſtim erumpunt hæ puſtulæ, tum mole minores, quas papularum varioloſarum inſtar, circa claviculas obſervaſſe memini. In hoc verſatur hujuſce tumoris ſchema, ut decumbentes invadat, & noctu præſertim ſæviat & invaleſcat ; qui alias ſpuriam ſuppurationem molitur ; etſi, non ſecus ac furunculus, *periculo* plerumque vacat. Aliud occurrit, inter praxim, tuberculum ad epinyctidem accedens, quod, *terminthus* audit apud Scriptores, nomine ducto a terebinthi fructu, cujus formam & colorem atrovireſcentem æmulari videtur. Tibias ſubtumidas obſidere ſolet terminthus, qui epinyctidis inſtar,

ſtar, phlegmonodeam indolem præ ſe fert; & nil in ſpontanea maturitate, poſt delapſam cruſtam ſquamoſam, præter pus ichoroſum præbet. Hæc tubercula haud ſane infrequentia, latiſſimo furunculi nomine ab imperitis ſalutantur. Nil mali portendunt, ſi ſua percurrant tempora; ſed haud levem metum incutere debet horum retroceſſus.

Pauca remedia efflagitat *furunculus*: omnem fere implent paginam emollientia & digeſtiva e præparatis officinalibus deprompta; unguentum nempe fuſcum, emplaſtrum diachylum cum gummis, de ſpermate ceti, Abbatis de Grace, aliaque id genus innumera, quorum uſus ad abſolutam durationem protelatur. Si a doloribus acerbiſſimis incandeſcat febris, mittendus eſt ſanguis, & præcipienda veniunt diluentia & temperantia; quibus præſidiis ſubjungere juvat cataplaſmata emollientia vulgatiora, ſupra laudata; inter quæ minime deſpicienda acetoſa ſemicocta, & cataplaſmatis inſtar contuſa & ſubacta. Licet furunculi purulentia tardius, uti jam inculcavimus, promoveatur, ſponte plerumque aperitur abſceſſus; quo fit ut raro phlebotomo, vel cauſtico opus ſit. Sed aliud medentibus incumbit munus; ut ſcilicet recidivæ familiariſſimæ occurratur; in hunc ſcopum præſcribuntur refrigerantia & depurantia: nonnunquam etiam conducunt diaphoretica, vel catharticorum blandiorum uſus. Conferunt inſuper lacticinia, aquæ minerales, &c. Nec omittenda balnea, ut de remediis antiſcorbuticis & antivenereis, quæ omnium vota explere valent, ſileamus.

Similibus topicis curari queunt *epinyctis* & *terminthus*: raro tamen adhibentur adverſus epinyctidem, eo quod puſtulæ in pleriſque numeroſæ, latius ſe ſpargunt; cujus ratione, alia methodo pertractari ſolent: pomata ſcilicet, vel unguenta demulcentia, linimenti inſtar, duntaxat admoventur; vel merus cremor lactis uſurpatur; quorum præſidio compeſcuntur dolores; donec ſpontaneo naturæ motu ſuum curriculum compleverit prædictus morbus. Sed aliud curantibus impendet munus; ut ſcilicet ad cauſæ internæ medelam ſeſe accingant; cum a ſanguinis vel humorum labe proſapiam plerumque ducere has tuberculorum ſpecies, apud omnes in confeſſo maneat. Ideo probe inquirendum, num deliteſcat in maſſa ſanguinea, virus ſcorbuticum, venereum, aliudve diverſæ naturæ; ut debitis & congruis præſidiis impugnetur.

ŒDEMA ET EMPHYZEMA.

NEmo neſcit *œdema* (noſtratibus *infiltration*, *enflure*, ou *bouffiſſure*,) tumorem eſſe plerumque latiſſimum, mollem & digitis prementibus cedentem, horumque veſtigia aliquandiu retinentem, ac doloris expertem: ſed alia occurrit rarior œdematis ſpecies, vulgatioris inſtar cuti concolor, renitens & doloris particeps, cui prementes digiti, nullam foveam relinquunt: nec alterius eſſe indolis hanc intumeſcentiam œdematoſam, hyſtericis familiarem, quæ potius furas quam pedes afficit, conjicere licet. Œdema nunc circumſcribitur; hanc ſcilicet vel illam partem invadit, faciem puta; palpebras, manus, brachia, pedes, crura, &c. nunc totum corporis habitum ſub *leucophlegmatiæ* nomine occupat. Affectum qualemcumque œdematoſum poſt ſe trahunt morboſa & immodica ſanguinis profluvia, febres intermittentes pertinaciores; variique alii morbi, tum acuti, tum chronici. *Promovetur* intumeſcentia œdematoſa a ligamine & compreſſione: tumet enim ſæpius facies a parotidum infarctu; ingurgitantur prægnantium crura ab uteri incremento: eumdem effectum edunt viſcera obſtructa, vel mole majora; quæ impediunt quominus ſanguis ex inferioribus redux libere ſuum circulum abſolvat.

Nullius *periculi* eſt particeps, & ſponte deſinit œdema a cauſa fugaci prognatum; ſed ſecus ſe res habet, ſi cuivis morbo chronico natales debeat, vel a viſcerum labe foveatur; ſub quibus circumſtantiis imminet anaſarca, vel hydrops pectoris & abdominis. Diu ſane & citra moleſtiam in eodem ferme ſtatu perſtare valet *tumor crurum œdematoſus*; præſertim ſi a decubitu horizontali, vel calore lecti evaneſcat: alias a majori infarctu tantum incrementum aſſequuntur crura, ut

phlo-

phlogoſi eryſipelacea nonnunquam corripiantur; quæ, accedentibus *phlyctænis*, gangrænam minatur. Phlegmones, eryſipelatis & ſkirrhi nonnunquam particeps obſervatur œdema: quid ſit metuendum ex hiſce implicationibus, nemo non intelligit.

Emphyzema (gallis *bourſouflure*) audit tumor cuti concolor, flatulentus, qui peculiari elatere reſiliens prementibus digitis minime cedit; vel compreſſus illico ſe reſtituit. In quibuſdam partibus, exilioribus membranis inſtructis, nonnihil diaphanum videtur emphyzema; quale deprehenditur in palpebris, & crebrius in præputio & labiis pudendorum muliebrium, unde *cryſtalline* a noſtratibus audit hic genitalium tumor, aqueum laticem præſertim recondens; qui alias nonnunquam rubet, inflammationiſque notas præbet. Per totum corporis habitum nonnunquam diffunditur emphyzema; ab alte ſcilicet inflicto pectoris vulnere, vel poſt febrem malignam, aliumve graviorem morbum: nec ſub hiſce circumſtantiis periculo vacat hæc intumeſcentia, quæ alias levem metum incutit. Sed alii occurrunt tumores flatulenti & aquoſi, ab emphyzemate plurimum diſcrepantes, *hydatides* nempe & *phlyctænæ* quæ obſervantur in eryſipelate; ab imminente gangræna; poſt ambuſtionem vel admotas cantharides; ab iterata compreſſione, &c. Verum quidem eſt quod ex emphyzemate palpebrarum & utriuſque ſexus genitalium ſæpius erumpant prædictæ veſicæ; in quibus aer ſincerus reconditur. Quæ ideo rite diſtinguuntur ab emphyzemate, quod nil aliud eſt, quam infarctus flatulentus.

Œdema a cauſa fugaci, vel accidentali ortum, nullam *medelam* expoſtulat: ſed aliter ſe res habet, ſi a prava ſanguinis & humorum diatheſi, vel a qualibet viſcerum labe proſapiam ducat; cui tum nulla mora, proſpiciendum. Conducunt ſub hiſce caſibus ſtomachica & roborantia; juvant purgantia hydragoga; conferunt diuretica, ſudorifica, aliaque medicamina, ſupra tradita, interna, in colluvie ſeroſa adhiberi ſolita. Suam opem etiam præſtant topica reſolventia & tonica; decoctum nempe vinoſum abſinthii, ſalviæ, roriſmarini, florum ſambuci & baccarum juniperi, aqua vitæ, lixivium cinerum ſarmentorum: ſpiritus ſalis ammoniaci, aqua calcis, aliive fotus, quos ingrediuntur roſæ rubræ, balauſtia, alumen, globulus martialis, &c. Summas laudes merentur folia ebuli & ſambuci cum ſpiritu vini contuſa & cataplaſmatis inſtar admota. Ad crura œdematoſa, nonnullis proſunt tibialia e pelle canina parata; vel deligatio ſolerti manu ducta, qua pedes & tibiæ æquali preſſioni ſubmittuntur. Si demum ſit ingens crurum intumeſcentia, adeo ut gangrænæ periculum immineat; celebrantur ſcarificationes, quæ ſtagnanti latici exitum largiuntur: hæc foveri ſolent vulnuſcula aqua vulneraria & aqua vitæ camphorata; ſi quædam appareant gangrænæ indicia; cui ſane proclives cenſentur ſiphylitici, ſcorbutici & ſcrophuloſi. Ubi vero phlogoſeos, eryſipelatis, vel ſkirrhi particeps annotatur œdema; hujuſce implicationis habendam eſſe rationem, nemo vel rudis & inexpertus, non intelligit.

Parum diſcrepat ab hactenus tradita, *emphyzema curandi* methodus: proficue ſcilicet extus adhibentur aromatica reſolventia & diſcutientia; inter quæ efficaciora cenſentur ſalvia, roſmarinus & lavendula; feniculum, aniſum & anethum, flores chamæmeli & ſambuci; aqua calcis ſimplex, vel ſale ammoniaco impregnata; ſpiritus vini camphoratus; emplaſtrum de baccis lauri, &c. Huc etiam pertinent adſtringentia; roſæ nempe rubræ & balauſtia, ſumac, alumen, &c. Ubi vulnere implicatur emphyzema, debita preſſione, vel opportuno fricu, aer inibi ſtagnans abigi valet: in hunc finem etiam celebrari queunt ſcarificationes; ſed haud omnibus ſuccedunt hæc tentamina. Remedia vero interna, quæ minime poſthaberi debent, circa cathartica, *diuretica*, diaphoretica, tonica, aliaque ſupra allata, verſantur.

SCIRRHUS ET CANCER.

NEminem ferme latet *ſkirrhi* nomine deſignari hunc tumorem tarde procedentem, durum, renitentem & indolentem; qui cartilagineam, vel lapideam duritiem nonnunquam aſſequitur. Glandulis

ſæpiſ-

sæpissime insidet; alias incerta est ejus sedes. Præter enim mammas ad hunc affectum proniores; palpebras, os, cervicem, axillas, inguina & testes sæpissime *invadit* hic tumor; qui etiam dorsum, abdomen, coxas, &c. occupat: ut sileamus de skirrhis internis vulgatissimis, quæ huc minime spectant. Phlegmonem, bubonem, œdema, alioïque varios tumores haud raro skirrhi naturam induere, supra notavimus. Inter morbos *pertinaciores* recensetur skirrhus, annosus præsertim, ac in ætate provecta omnem curationem respuit: sed major subit sanitatis spes in juvenibus & pueris. A viru venereo, scorbutico & scrophuloso prosapiam sæpius mutuatur hic infarctus; qui melancholicos cachexia atrabilaria laborantes, vel mœrore & tristitia affectos invadere solet; qui etiam a contusione quandoque progerminatur. Leve incommodum parit; ubi nullius est doloris particeps, cutisque nativum servat colorem; ni tamen mole ingenti, vel situ, molestus evadat. Sed si accedant phlogosis, pruritus & dolor, in cancrum facessere solet; quam infaustam mutationem sæpissime promovet intempestivus maturantium & topicorum stimulantium usus.

Tumoris cancrosi, quem *occultum* vocant, characterem produnt color cæruleo vel atro-lividus, insolitum & citissimum protuberantiæ incrementum, cum inæquali superficie; venæ circa latera repentes magis conspicuæ, varicosæ, sanguineque atro turgidæ, quæ nonnunquam peculiari situ chelas cancrorum æmulari videntur. Horumce indiciorum agmen claudit pruritus & dolor plerumque pulsativus. Alia est cancri species, cujus scilicet exordium sub tuberculi, pisi vel fabæ magnitudinem vix superantis, forma resistit; qui tumor exiguus & indolens diu in eodem statu persistat; vel lentissimum incrementum sumit: adeo ut de eventu parum sint solliciti ægrotantes; nec de illo magis curant inexperti clinici, donec inter has fallaces inducias pristinam faciem exuat hic tumor; ab accedentibus scilicet subitaneo incremento, dolore, aliisque traditis signis; quibus in propatulum venit *genuinus cancer*.

Interea tumor colore livido perfusus variis rimis dehiscit; & humorem ichorosum acerrimum eructat, qui vicinas partes exedit & depascitur. Hinc emergit ulcus, quod *cancer manifestus* audit; antehac occultus vocitatus. Longe lateque prorepit prædictum *ulcus*; cujus labia sensim occallescentia fœdum in modum invertuntur, ac dolores in dies exsurgunt atrociores. Fœtorem postremo cadaverosum spargit hoc *sordidum ulcus*, e quo manans *ichor* tanta virulentia donatur, ut etiam admota lintea exurat. Nunc tarde, nunc ocyus propagatur ulcus cancrosum, cujus fundus carnes luxuriantes & fungosas præbet; & margines, versicolores, horrendo sane conspectu, tument & invertuntur. Insuper viciniores partes confodiendo, vasa occurrentia erodit; hinc emergunt hæmorrhagiæ nulla sæpius arte sistendæ, ideo lethales. Quantum defœdetur facies ab ulcere cancroso, quod *noli me tangere* vocitant, nemo nescit. Omnibus etiam innotescit *ulcus tibiarum* phagedænicum, quod *lupi* nomine insignitur, ob voracitatem qua vicinas carnes depascitur. Interea *febris lenta*, quam comitem habet ulcus cancrosum ad certum gradum provectum, molestissimas exacerbationes subit: hanc excipiunt marasmus, vel hydrops; quæ infortunia miserios ægrotantes ad ultimam rerum lineam ducunt. Præter infarctus phlegmonodeos, skirrhosos & scrophulosos; aliæ annotantur læsiones primo conspectu leviores, quæ cancri naturam induere queunt; tubercula nempe simplicissima, de quibus supra; verrucæ, tumores anomali, ulcera vulgatiora, &c. Ad plures annos, citra ingens incommodum, protelari potest ulcus cancrosum; sed ubi altas egit radices, tantam sævitiem exercet, ut doloribus atrocioribus confecti ægrotantes, vel hisce diutius ferendis impares, mortem exspectatissimam efflagitent.

E præhabitis colligere licet satius quandoque fore ab omni curatione abstinere; præsertim si annosus *skirrhus* altas egerit radices; vel cum cachexia senilive ætate implicetur: alias haud incongruum videtur *nonnulla experiri remedia*, etsi exquisitiora nil plerumque proficiunt. Ideo præmissis generalibus, temperantia & depurantia in usum trahi solent; serum nempe lactis,

lactis, cichorium, lactuca, borrago, agrimonia, fumaria, nasturtium & lapathum. Suas laudes etiam merentur aperientia, nimirum aselli, bruscus, asparagus, eryngium, & rubia tinctorum; nitrum, sal Glauberi, arcanum duplicatum, tartarus martialis: hæc excipiunt diaphoretica & incidentia; uti saponacea, antimonium diaphoreticum, cinnabaris antimonii, æthiops mineralis, aquila alba, remedium *Rotrou*; & id genus alia, quæ tamen ea lege præscribi debent, ut sanguis & humores longo diluentium usu prius imprægnentur, vel restinguatur horum æstus; atque solidorum contextu debita concilietur flexilitas; alias ab hisce stimulantibus irritari possunt crabrones. Supra traditis incidentibus addere licet remedium a clarisſ. VAN-SWIETEN promulgatum & celebratum adversus tumores skirrhosos & cancrosos, mercurium nempe sublimatum, qui ad granum dimidium in uncia una spiritus frumenti; cujus solutionis cochlear mane & sero exhibetur. Nonnullis insuper prosunt absorbentia: cautus laudatur catharticorum usus: foliorum nempe orientalium, mannæ, rhei, salis epsomensis & rupellani, magnesiæ, pulveris cornachini, &c.

Omnibus hisce remediis palmam forte præripiunt *lacticinia*; si excipias aquas minerales, tum frigidas, tum thermales, Vallenses nempe & Forgienses, Vervonenses & Borbonienses, Plumberianas, Vicienses, Montis aurei, Aquægranenses, Bellilucanas, Baregienses, &c. quæ egregia munia obire valent. Licet intus exhibeantur, vel sub forma balnei, fotus & irrigationis admoveantur. Nec despici debet horum lutum, cataplasmatis instar admovendum; illud præcipue aquarum Amandinarum, tanquam efficacius a nonnullis celebratur: suum symbolum denique conferunt balnea domestica. De medicaminibus internis lui venereæ, scrophulis, aliisque morbis primariis, e quibus skirrhus prosapiam sæpius ducit, nil addimus; cum de illis satis superque alibi.

In subsidium vocari debent *medicamina externa*, internis obsecundantia. Primatum sane ducunt resolventia, quibus opportune sociantur emollientia, ut horum beneficio, illa altius penetrare valeant. In hunc scopum adhiberi solent cataplasmata e mica panis; ex herbis emollientibus, & farinaceis parata; emplastrum de mucaginibus, saponaceum, diachylum cum gummis, diabotanum, de cicuta, & de Vigo; unguentum mercurial, &c. Si accedant dolor & pruritus; opportune adhibentur unguentum nutritum, & pompholyx; quibus nonnulli addunt opium; quocum tamen caute mercandum, ne infringantur vasorum vires ad resolutionem apprime necessariæ; & impacti succi tenaciores evadant. Aliquam opem præstare valent fructus leviores, vapor aquæ tepidæ, vel aceti conflagrati; suffitus sulphuris, cinnabaris, &c. data opera, ne horum postremorum fumus pulmones lacessat. Sed angue pejus fugienda maturantia, quorum actione tumores skirrhosum sæpius in cancrum facessere, experientia constat. Si demum inertia deprehendantur hactenus prolata remedia, ad *extirpationem*, si sinat sedes morbi, nec obstent vires, confugere nil vetat.

Parum differunt *remedia interna cancro* tum occulto, tum manifesto *congrua*, a jam traditis in skirrhi curatione adhibendis; quæ scilicet versantur circa diluentia & temperantia, diaphoretica & aperientia, incidentia, cathartica & absorbentia; quibus addere licet demulcentia, lac nempe & ejus serum, ptisana e radicibus althææ, fragariæ & nymphææ; jusculæ pulli & carnis vitulinæ; cremores hordei, orizæ & avenæ, sperma ceti, &c. Nec improbantur sævientibus doloribus narcotica; laudanum nempe, diacodium, guttæ anodynæ SYDENHAMI, &c. Sed futilia hæc omnia sunt remedia, ni cancrum extus impugnetur; hoc opus, hic labor est: omnes enim Auctores, ab HIPPOCRATE numero ducto, quamvis *curationem* externam, *palliativam* excipias, reformidant; non sane inconsulto, cum infelicem exitum sæpissime habuisse hæc tentamina experientia quotidiana constet. Etenim nemo nescit quod ab admotis emollientibus, resolventibus & maturantibus in aliis tumorum speciebus summe conducibilibus, sæpius exacerbetur tumor cancrosus. Num tamen in rerum natura nullum occurrat præsidium, quod solerti manu tractatum, hunc horrendum morbum domare queat? minime constat:

ſtat: hinc nuſquam vituperanda eſt hæc indagatio, nec vetari debent cautæ periclitationes, præſertim ſi nulla pateat alia medendi via. Ideo ubi quædam ſupereſt ſanitatis ſpes, nil omittendum eorum quæ profutura videntur, adverſus morbum qui ſerius ocyus ad libitinæ rationem ducit; cum ſatius videatur ſub hiſce anguſtiis anceps experiri remedium, quam nullum; dummodo tamen, uti jam innuimus, quædam eluceſcat curationis ſpes. Hoc docent nonnunquam proſpera agyrtarum & circumforaneorum arcana: temeritatem enim ſæpius efficere, quod prudentia nequiverit, nemo neſcit.

Hæc præſertim intelligi debent de *cancro exulcerato*: quod vero occultum ſpectat; num ab omni curatione abſtinere præſtet? jure dubitandum; cum diutiſſime ſæpius geſtetur prædictus tumor citra fere moleſtiam; qui alias ab appoſitis remediis utplurimum efferatur, & brevi in ulcus fœdiſſimum abit; ſub quo ſtatu varia experiri remedia haud incongruum ſane videtur; cum plura proſtent curationis exempla: ulcus enim cancroſum niſi plane curatum vidiſſe memini a quodam empirico, cujus arcanum nil aliud erat quam pulvis ſabinæ, quo inſpergebatur ulcus. Equidem varia ſunt medicamina, quæ, ſi Scriptoribus ſit fides, feliciſſimo ſucceſſu uſurpari queunt; ſabina nempe, alliaria, illecebra, abſinthium, geranium robertianum, &c. quibus addere licet eryſimum extus admotum, & intus exhibitum, quod a pluribus, penes quos ſit fides, ſumme deprædicatur. Nonnulli ſummis etiam laudibus extollunt infuſum dentellariæ, vel plumbaginis, parti affectæ imponendum. Fertur poſtremo arſenicum, cæteraque eſcharotica, nonnunquam fauſte adhibita fuiſſe. Sed omnibus forte palmam præripit *cauterium actuale*, cujus uſus ſub hocce morbo familiariſſimus erat apud Veteres; at neſcio quo fato exolevit præſtantiſſimum illud auxilium; num a meticuloſorum ægrotantium terrore, vel a curantium intempeſtiva commiſeratione?

Supereſt demum *curatio* mere *Chirurgica*, & tutior; *extirpatio* nempe tumoris, ſi ſinat ejus ſedes; qua fit ſæpius ut a vicinorum nexu haud citra periculum liberetur; vel membri amputatio, brachii nempe, cruris, mammæ, labiorum, penis, &c. ni obſtent ætas ſenilis, virium exolutio; vel cachexia, aliave prava ſanguinis & humorum diatheſis: futilis enim vel noxia cenſeri debet quælibet cura externa, ſi humorum maſſa quavis labe inquinetur; qua poſthabita, minime mirari ſubit, ſi nihilum proficiatur; ſublato enim tumore cancroſo, alius brevi ſubnaſcitur: quod infortunium fonticuli beneficio nonnunquam præcavetur: pluribus vero optime ceſſiſſe hoc *prophylacticum* experientia compertum habui.

Hæc ſunt *auxilia* ſolertiorum praxi comprobata, & uſitatiora, quibus nonnunquam evincitur hic teterrimus morbus: ſed rationibus jam allatis, ipſis inhærere haud ſemper licet: ideo alia eſt ineunda medendi via, *palliativa* ſcilicet, quæ verſatur circa demulcentia & anodyna. Itaque conducunt fotus e lacte, vel aqua ſperniolæ; opportune admoventur pulpa malorum putridorum, ſolanum, ſaccharum ſaturni, plumbum uſtum in oleo ovorum, lamina plumbi; columba, catulus, aliaque animalia viventia ſecta; fruſtum carnis bubulæ, vitulinæ, vervecinæ, &c. quibus addere juvat ipſummet opium, ſi acerbioribus doloribus excrucientur ægri. Nec vetatur, uti ſupra innuimus, narcoticorum uſus internus: ubi dolores tantam tyrannidem exercent, ut hiſce ferendis impares plane ſint miſelli ægri, quos manet expectatiſſimum & ineluctabile fatum.

Mantiſſæ inſtar, ſilentio premere minime debemus præclarum clariſs. STORCK inventum, circa remedium quoddam ſpecificum, quod nuperrime publici juris fecit. *Cicuta* ſcilicet, pro veneno jure habita, ſolerti Auctoris manu tractata in medicamen internum auſpicatiſſimum abiit; adeo ut nullum hactenus innotuerit reſolvens vel incidens internum, adverſus truculentum huncce morbum, efficacius. Summa ſane quidem cautela præſcribitur cicuta: primo ſcilicet parciſſima doſi exhibetur, quæ ſenſim augetur. Tumores ſcirrhoſos mammis, parotidibus, cervici, axillis, inguinibus & teſtibus huicce præſidio ceſſiſſe, experientia laudati Auctoris conſtat. Ulcera cacoethea, fiſtulaſ-

que nulla alia arte medicabiles, vicit cicuta; quæ etiam cancros manifestos, tum faciei, tum mammarum averruncavit: quas stupendas curationes testatur laudatus Auctor, annuente celeberrimo, nobilissimoque Van-Swieten. Succus prædictæ plantæ evaporatione inspissatus haud ultra grana quatuor pro duplici dosi per diem, ineunte curatione præcipitur: hæc in dies & gradatim augetur dosis, donec ad semi-drachmam, vel drachmam integram & ultra, pro re nata, accedat. Hæc omnia dilucide expositi eruditissimus Diarii Medici Auctor, mense Junio anni 1760. Num tandem decantatum remedium eosdem effectus exerat in nostris regionibus, nondum forte ratum manet.

ANEURISMA ET VARICES.

Aneurismatis nomine venit hic tumor cuti concolor, pulsans & digitis plerumque cedens, a dilatata arteria, vel ab ejus vulnere, e quo sanguis intra contextum cellulosum effunditur, exsurgens: unde duplex emergit *aneurisma*, *genuinum* scilicet vel cysticum; & *spurium*, vel extra vas situm. Angustioribus, sub morbi principio, cancellis continetur aneurisma verum, quod molle occurrit, & prementibus digitis obsequitur: sed adultus hic tumor magis renitens evadit, ac sensim in immensam molem vix pulsantem assurgit. Ad annos vulgo protelatur hujusce tumoris progressus; qui nonnunquam tamen celerius incrementum sumit. Nullam læsionem subit cutis sub primis morbi temporibus; sed procedente morbo, rubet, phlogosique corripitur; imo & nonnunquam disrumpitur illud repagulum, quo victo, arteria ultra modum expansa dilaceratur; hinc emergit hæmorrhagia, quæ præceps exitium affert. A pulsatione manifesta distingui solet utrumque aneurisma a cæteris tumoribus; dummodo tamen hi postremi arteriis minime incumbant; unde nascitur error quo sæpius incauti decipiuntur. Hanc stupendam arteriæ dilatationem, sub aneurismate vero, ab erosione vel dilaceratione membranæ interioris oriri, inter lustrandam *in cadaveribus* partem affectam, conjicitur. Cystidem ab aliarum tunicarum expansione ortam, replent varia sanguinis concreti strata, lamellatim inter se dispositi; e quorum numero crescit tumoris moles; qua ad certum gradum evecta obscurior fit pulsatio. Equidem haud raro occurrunt aneurismata cervicem, vel pectoris supernam partem occupantia, quæ cruoris tum concreti, tum liquidi libras quatuor recondunt. Aorta, subclaviæ, carotides, axillares, brachiales & crurales huic dilatationi sunt obnoxiæ; quæ ideo frequentiorem in cervice, circa sternum & claviculas situm obtinet. *Aneurisma spurium*, plus minusve protuberans a cruore effuso intra tunicas arteriæ, vel intra ambiens corpus cellulare, ortum ducit. Pulsatio nunc manifesta, nunc obscura humoris indolem prodit.

Alterutrum emergit aneurisma a vulnerata per phlebotomum arteria brachialis; ni illico ab inflicto vulnere congrua compressione præcaveatur. A sauciatis scilicet externis arteriæ involucris subnascitur *aneurisma verum*: ab aperta vero arteria, adeo ut cruor extra vas emittatur, & subsultim erumpat, prodit *aneurisma spurium*; cujus intumescentia latior, extra arteriam sita, submissius pulsat; quod demum peculiari quadam fluctuatione ad fremitum accedente, & digitorum exploratione conspicua, a genuino distinguitur. Cutis præterea, sub notha aneurismatis specie, ab effuso intra contextum partium sanguine livorem quemdam contrahit; unde fit ut sæpius phlogosi corripiatur, imo & gangrænæ notas præbeat prædictus tumor. Hinc patet ratio quare in immensum brevi crescat aneurisma spurium, dum veri tardior sit progressus. Nunc in conspectum venit; nunc in pectore delitescit *aneurisma*, *aortæ*, ejusve propaginibus insidens; quod sensim viciniora ossa carie lædit; ac dolores atrociores, palpitationes, suffocationes, anxietates & lipothymias accersit; mortemque subitaneam ab spontanea dilaceratione inferre solet. Quovis virium molimine, saltando, luctando, onera graviora gestando, &c. *aneurisma progignitur*: hoc etiam promovent vociferatio, tussis, sternutatio, vomitus, partus, difficilis alvi dejectio, &c. Nonnunquam demum progerminatur a lapsu ab alto, contusione, vulnere, &c. Aneurisma-

risimata majores arteriarum truncos impetentia, conspicua vel inconspicua, plane *indomabilia* censeri debent: cætera vero, ni obstet sedes, evinci possunt.

Varices, ratione partis affectæ, quamdam cum aneurismate affinitatem habentes, tubercula audiunt mollia, & atrolivida, utplurimum indolentia, quæ, comprimente digito, evanescunt, & remoto brevi recurrunt. A venarum subcutanearum dilatatione suborti prædicti tumores crura sæpissime obsident; qui alias observantur in abdomine, scroto, podice, &c. Varices circa anum familiares sub hæmorrhoidum titulo innotescunt: quæ vero sedem habent in tractu vasorum spermaticorum, *varicoceles* nomine salutantur. Teste autopsia, partibus internis minime parcunt varices: occurrunt enim in vesica, pulmonibus, cerebro, &c. Ab stasi sanguinis oriunda prædicta tubercula, venas nodosas & valvulosas sæpius infestant: hinc numerosissimæ nonnunquam observantur in tibiis, quarum venæ præter hasce dilatationes nodosas, ultra modum tument: adeo ut hinc emergant plexus latissimi & summe conspicui, qui totas tibias amplectuntur. Varicibus crurum *obnoxiæ* sunt prægnantes, & præsertim ægre parturientes; sed sublata causa brevi evanescunt hi tumores. Ab inconsulto corporis molimine, casu ab alto, vinculis injectis, vel quavis alia compressione suboriuntur varices, ad quas etiam proni censentur viscerum abdominalium obstructione laborantes; vel hypochondriaci qui haud raro ab harum eruptione levantur. Doloris expertes, nullumque fere incommodum pariunt varices exiguæ: sed ubi certam molem assequuntur, molestissimæ evadunt: tantum enim incrementum capessere queunt, ut pugni magnitudinem superare, vel sanguinis libras circiter duas recondere valeant. Minime sane mirum si ab hac stupenda venarum dilatatione dilacerentur vasa; e qua disruptione emergunt hæmorrhagiæ periculosissimæ, quas excipiunt ulcera mali moris; quæ alias a fero acri, quod exudant integræ varices, nonnunquam progignuntur.

Quod ad *curationem* spectat, ubi verum aneurisma recens occurrit, omni arte eo annitendum, ut vi mechanica coerceatur. Forti enim pressione superinjectis spleniis & fasciis, incipiens aneurisma evanescit & curatur; dummodo opportunam sedem obtineat, in brachiis scilicet, cruribus, capite, externo pectore, aliisque partibus, in quibus subjectum os pressioni favet. Sed hanc methodum respuit aneurisma situm in cervice, quod citra suffocationis periculum constringi minime valet; nec magis congruere hanc pressionem aneurismati pectoris interno, etsi sæpissime extus prominet, omnibus qui anatomen vel a limine salutarunt, obvium. Pressionem, si nil obstet, juvant topica adstringentia, albumen nempe ovi, alumen, sanguis draconis, acacia, emplastrum stypticum, &c. Sunt qui laminam plumbeam arcta ligatura submissam superimponunt; aliamve premendi arteriam artem excogitant; cum in hac sola congrua coarctatione versetur præcipuus curationis cardo.

Ubi vero ab incauta vel infelici *punctura arteriæ* in phlebotomiæ administratione imminet *aneurisma*, nulla interjecta mora imperterritus Chirurgus pollicem arteriæ vulneratæ admovere solet, & ita comprimere ut inhibeat sanguinis exitum: quem effectum tutius præstat supra injectum vinculum, bacillo intortum, quod vocant *tourniquet*; donec nummus aureus vel argenteus, dimidium fabæ, globus lini carpti, chartæve papyraceæ masticatæ; vel lobus agarici, nostra ætate celebratissimi, aliudve quid simile vulneris hiatui sedulo imponatur. Postea varia admovent splenia, Gallis *compresses* dicta, quæ ligaturis, vel vinculis variæ sortis & arctissime constrictis, firmant & continent. Quo apparatu sanguinis fluxus cohibetur & præcavetur aneurisma: haud tamen plus æquo constringi debet hæc deligatio, ne brachii pars interior œdemate, ecchymosi, vel phlogosi corripiatur; e quibus quandoque imminet gangræna; quam avertere tentant embrocationibus spirituosis & camphoratis; inter quarum usum pars a frigore probe muniri debet. Ubi vero aneurisma in quavis parte situm certum incrementum sumpsit, *ad extirpationem*, si sinant viciniora, devenire expedit: sola fere artuum aneurismata respicit hæc operatio,

ratio, qua, injecto prius vinculo bacilli ope constricto supra tumorem, ut sanguis omnino sufflaminetur; arcteque præterea ligata arteria affecta, ferro abscinditur, prius a vicinarum partium adhæsione solutus, tumor: quo tamen sublato, res minime est in vado; cum sæpius eveniat ut brachium sanguine orbatum gangræna confligetur; cui infortunio sola membri amputatione incunctanter celebrata occurritur. Ubi vero morbi sedes, aliave quælibet circumstantia, impedit quominus adhibeantur hæc præsidia, ad curam mere palliativam converti debent clinicorum curæ, quæ circa congruam victus rationem, & venæ sectiones identidem celebratas versatur.

Quod ad *varices* attinet, depletis vasis, tum venæ sectione, tum hirudinum suctu, proficue adhibentur diluentia, temperantia, obstructionesque referantia; nec incongrua sunt blandiora laxantia. Levem tamen opem conferunt hæc *præsidia*; ni accedat cura externa, quæ versatur in debita & continua horumce tuberculorum compressione, quam juvant emplastra adstringentia, vel splenia aqua aluminosa, albumine ovi, aceto, aliove liquore roborante imbuta. Sed inania imo & noxia sunt hæc topica, si sanguis inibi stagnans suum alveum petere minime valeat, & quavis adhibita pressione haud evanescat & obliteretur tumor. Sub quibus circumstantiis contraria imponi debent medicamina, emollientia nempe & oleosa, quæ flexilitatem prædictis partibus conciliando liberum in subjectum vas & cystidem commercium restituunt. *Varices* insuper mole majores, vel *annosæ*, pressioni minime cedunt; hinc *alia methodo* impugnari debent; præsertim si urgeant dolores, vel ab ingenti intumescentia immineat facci dilaceratio: hæc duplex excogitata, Artem Chirurgicam respicit: prima scilicet instituitur simplici tumoris sectione, coarctata prius vena, huic prospicienti; evacuato cruore vulgatioribus præsidiis curatur vulnus: altera audit tumoris extirpatio, quæ facilius & minori periculo quam in aneurismate absolvitur. Nec desunt ultimo qui huncce tumorem aggredi solent, nec infelici successu, butyro antimonii, aliove caustico; imo & cauterio actuali, quod etiam suas laudes meretur, si solerti manu pertractetur.

TUMORES CYSTICI.

Sic nuncupantur quidam *tumores tunicati*, vel peculiari folliculo instructi; qui *anomali* audiebant apud Veteres ob decantatam humorum quadrigam, qua confici putabantur. In hunc censum veniunt lupiæ, tumores adiposi & lymphatici, ganglion, &c. de quibus singulis cognatis in præsentiarum: eamdem classem etiam subeunt ranula, bronchocele, strumæ, hydrocele, nonnullæque aliæ id genus protuberantiæ, quæ peculiaribus partibus insidentes ad alia capita pro instituti ratione pertinent. Lupia (*la Loupe*) passim occurrens, diversas materies colligit, quæ mellis, pultis & sebi faciem quodammodo referunt; unde prodit barbara nomenclatura a practicis posthabita, sed in scholis acceptissima: a materia scilicet melligini simili, *meliceris* nuncupatur tumor anomalus: a pultacea substantia in cystide contenta, *atheroma* vocitatur: a succo quodam sebaceo inibi concluso, *steatoma* audit. Meram axungiam, ægro nonnunquam tabe confecto, recondit *lipoma*, vel tumor adiposus, de quo dum de lumborum morbis, familiarem situm habens in dorso & scapulis, a genuinis lupiis parum aut nihil discrepans. Præter hasce materias in tumoribus cysticis observari solitas, aliæ diversæ sortis occurrunt; olei scilicet amurcæ, vini fæculis, cœno, &c. persimiles: quibus addenda concreta carnosa vel spongiosa, cartilaginea, cornea, ossea, lapidea vel cretacea, &c. Fidem plane superant quæ referunt Auctores de inibi inventis unguibus, pilis, ligni ramentis, cochleis, &c. Capiti, fronti, cervici, dorso & genubus familiarissime incumbunt tumores cystici; sed nulla est corporis habitus pars, quam imperere non queant: nec partibus internis parcunt; cum, uti pluries notavimus, sæpissime reperiantur, tum in pectore, tum in abdomine. A contusione, aliave partis læsione *originem* plerumque mutuantur prædicti tumores; qui alias a causa interna, viru scilicet venereo, scrophuloso, aliave sanguinis

guinis & humorum labe profapiam haud raro ducunt.

Tardum incrementum fumunt *tumores cyftici*, nullamque moleftiam creant, ni tracheæ incumbentes refpirationi officiant; cutemque qua obvolvuntur, nativum colorem fervantem, citra læfionem plerumque extendunt: ni tamen in immenfum affurgat horum moles, quæ nonnunquam ad quinquaginta libras accedit. Equidem phlogofi fæpius corripiuntur hi portentofi tumores; imo & in fuppuratum abeunt; quam infauftam mutationem haud raro fubeunt lupiæ capiti hærentes, fub *talpæ*, *nattæ*, vel *teftudinis* infulfo nomine, pro Auctorum lubitu defignatæ. Nonnunquam etiam evenit ut, ob nimiam elongationem, difruptionem patiantur harumce protuberantiarum involucra; qua alias cancri naturam induere, vel in ulcus fiftulofum faceffere valent, quod nufquam domari patitur, ni purulentia integer abfumatur folliculus. His addere licet quod omnes tumores cyftici offa & cartilagines, quibus incumbunt, carie in dies femper lædant. Hæc funt infortunia quæ fæpius poft fe trahunt vetuftiores lupiæ; atque funeftum haud raro præfagiunt eventum, variis cladibus confirmatum.

Alia eft tumoris anomali *fpecies*, infrequens vero, quæ *lymphaticæ* nomen fortitur. Succo limpido turget, vel hydatides recondit prædictus tumor; cujus fectio anatomica vafa etiam lymphatica fumme confpicua exhibet. Non fecus ac cæteri folliculi, cuivis corporis habitus parti infidere valent *tumores lymphatici*, vel a meræ lymphæ ftagnatione prognati; qui tamen in brachiis & manibus vulgatiorem fedem habent; qui demum fupra recenfitis tumoribus tunicatis *contumaciores* & moleftiores, nec periculi expertes cenferi debent. Quod ad *ganglion* fpectat, hoc nomine venit tuberculum molle & indolens, vaginam tendinum ligamentofam obfidens; cujus moles, plerumque exigua, pifum, vel minorem avellanam vix æmulatur; qui alias ad ovum columbinum nonnunquam accedit. Hic tumor cuti concolor, manibus pedibufque familiaris, materiam quamdam continet gelatinofam, & a notiffima artuum fynovia minime difcrepantem. Compreffioni, punctura, & contufioni, a cafu vel ictu, *natales* debet hoc tuberculum, nullius periculi particeps, cui obnoxios effe arthriticos, fcorbuticos & fcrophulofos, vulgo traditur; num recte? folertioribus examinandum relinquimus.

Lupiæ recentes topicis refolventibus fæpiffime evincuntur; cataplafmate nempe ex acetofa, & radice bryoniæ parato, emplaftro diabotano, de cicuta, de Vigo, &c. Sed inertia funt hæc topica adverfus lupias mole majores vel annofas; non fecus ac tumores adipofos, qui pro *indomabilibus* habentur; unde fit ut ægri confultius ab omni medicatione abftineant; ni tumoris ingentem molem ægre ferant, vel ejus peculiari fitu deturpentur: fub quibus circumftantiis ad *extirpationem*, vel *cathæretica* folliculo abfumendo apta, confugere coguntur. Sed fua habet pericula uterque medendi modus; quoties fcilicet tumor futuris, tendinibus & ligamentis annectitur. Tutior & expeditior videtur extirpatio; præfertim erga tumores adipofos, fi integer folliculus a viciniorum hærentia, folerti diffectione folutus, auferatur; fed pauci occurrunt Chirurgi qui hæc demandata munia perite obire valeant. Huc etiam pertinet ligatura, fi finat anguftia tumoris bafis; qui proceffus multo fecurior & minus moleftus ægris fumme arridet. Suis difficultatibus etiam premitur cauftici adminiftratio, longior fane & moleftior; ac nunquam adhibenda, ni prius emolliatur tumor, ope topicorum quæ hifce viribus pollent: nec rite fuccedit hæc cura, ni integer folliculus fuppuratione plane exhauriatur; alias remanet ulcus fiftulofum, quod curantibus plurimum faceffit negotii. Infuper minime poftbaberi debet *curatio interna*; ubi numerofi tumores cyftici de quadam fanguinis & humorum labe fufpicionem injiciunt; quod vitium accurato examini fubmiffum, præmiffis præmittendis, nunc diluentium & temperantium ope, nunc depuratium præfidio, vel obftructiones referantium & incidentium beneficio, impugnari folet: alias inanem operam ludunt, qui ad horumce tumorum medelam fefe accingunt.

Haud abfimili *curationi*, nempe *Chirurgicæ*, fubjiciuntur *tumores lymphatici*; extirpa-

tirpatione enim, & cathæreticis eximi poſſunt; ſed longe difficilior & periculoſior, haud perperam, cenſetur utraque medendi via. Imparia etiam exiſtimantur ad horum reſolutionem peragendam topica ſupra laudata: aquarum tamen thermalium irrigationes ab alto, dummodo haud altas egerint radices tumores lymphatici, nonnunquam profuiſſe fertur. *Ganglii* vero recentis *medela* ſimplicioribus vulgo peragitur; fricto nempe, & preſſione, cum pollice factis, quibus plerumque fugantur. Sunt qui haud inconſulto, illos aggredi ſolent ictibus repetitis ferulæ, vel forti & continua preſſione per impoſitam laminam plumbi congrua deligatione munitam. Quibus nil juvantibus admoventur gummi ammoniacum in aceto maceratum; emplaſtrum ſaponaceum, de Vigo, de cicuta, diabotanum, &c. Sed parum conducunt hæc topica reſolventia, ni faſciis ſuperimpoſitis arcte conſtringatur ganglion. Alii laminam plumbeam mercurio imprægnatam, & firmiori vinculo arctatam imponunt: nec deſunt qui ſuffitum mercurialem adhibent. Si irrita fuerint hæc præſidia, cauſtica, vel ferrum adhiberi queunt, quorum ope promovetur purulentia, qua ganglii folliculus conficitur: ſed rariſſime arti Chirurgicæ ſubmittitur illud tuberculum; quod alias nullum vel leve incommodum parit.

SARCOMA, VERRUCÆ ET CORNUA.

HAud dilucide ſane patet genuina *ſarcomatis indoles*: licet neminem fugiat quod hoc nomine intelligi debeat tumor carnoſus, indolens & immobilis, tactui minime obſecundans, tarde procedens, ac nulla peculiari cyſtide inſtructus. Hujuſce protuberantiæ incerta eſt ſedes, cum e quovis corporis ambitus parte erumpere valeat; quæ etiam uti pluries notavimus, partibus internis minime parcit. Oculos tamen, nares, gingivas, aliaſque oris partes; utriuſque ſexus genitalia, anum, dorſum, brachia & crura plerumque *invadit* ſarcoma; quod diverſam formam obtinet, nulliſque terminis coerceri videtur; cum de maſſa carnea hujuſce indolis e dorſo ad poplites uſque propendente mentio ſubjiciatur. Nemo non novit has ſarcomatis ſpecies congenitas, ad *nævos maternos* referendas; quæ, ut perhibent, fructum fragariæ vel mori, acinum racemi, fruſtum carnis ſuillæ, botuli, placentæ, aliaque innumera mulierculis notiſſima mentiuntur. In ſarcomatum claſſe locum habet *polypus narium*, de quo pro inſtituti ratione alibi agemus. *Sarcocele* audit prædictus tumor teſtibus, vel horum involucris, adnatus. *Mariſcæ*, *condylomata*, &c. vocitantur qui anum obſident. Prodeunt ſarcoſes ſub nomine carnium fungoſarum ex ulceribus mali moris, ac præſertim duræ matris, partium aponeuroticarum, &c. Nil in pleriſque ſanitati demit *ſarcoma* ex habitu corporis exſurgens: nonnunquam tamen phlogoſi corripitur, & in ulcus receſſit; nec gangrænæ expers eſt. Carnes compactas nonnunquam recondere tumores cyſticos, jam ſupra notavimus; quos tamen inter ſarcomata numerare abſonum foret.

Verrucæ, noſtratibus *verrues* aut *poireaux*, faciem manuſque vulgatiſſime infeſtantes, conſultius ad gradum ſarcomatum promoverentur, ni peculiari typo omnibus notiſſimo, ab ipſis diſcreparent. Seſſiles vocantur quæ latiori baſi cuti hærent; penſiles vero audiunt, quæ quodam pediculo inſtruuntur. Leviſſimum vel nullum incommodum pariunt verrucæ, quæ alias ſæpius ſponte evaneſcunt; nullumque portendunt periculum, ni quid cancroſi redoleant; quod nonnunquam accidere verrucis naſi, palpebrarum, & labiorum, expertos minime fugit. Ad verrucarum indolem nonnihil accedere *cornua* pronum eſt cogitare; etſi parum diſcrepare videntur, tum conſpectu formæ, tum ratione contextus & firmitatis a vulgatiſſimis animalium cornubus. Nunc ſoli cuti adnaſcuntur, nunc ipſiſmet oſſibus implantantur prædictæ protuberantiæ; quibus facies & cranium nonnunquam deturpantur, quæ etiam dorſum, artus & coxas, &c. invadunt. Leve periculum portendunt, ni ex horum ſpontaneo delapſu ulcus emergat cancroſum, omnem fere curam reſpuens. Non ſecus ac verrucæ, a cauſa interna quandoque ſoboleſcunt cornua; quæ

alias

alias ab ulceribus haud raro progerminantur.

Nulli *curationi* submitti debet *sarcoma*, ni peculiari situ, vel ingenti mole, molestum evadat; quod tum ligatura aggredi solent curantes, si sinat basis: vel tumorum cysticorum instar, ferro, præmissis præmittendis, extirpatur. Haud pro votis successisse cathæretica traditur; num opportune adhibita fuerint? dubitare licet; cum ratum maneat apud expertos hæc nusquam congruere præsidia, ubi sarcosis renitens, livida, superficie inæquali donatur, & dolore stipatur: haud citra periculum etiam admoveri queunt prædicta adminicula, si hæc massa carnea artubus, vel partibus ligamentosis hæreat; alias proficua fore facile crediderim.

Verrucæ pensiles forcipe *amputari*, vel ligatura, cum filo cerato, aut seta equina, ita constringi queunt, ut brevi quasi moriantur & decidant. *Sessiles* vero expugnari solent admotis succis sabinæ, cepæ, chelidonii majoris, tithymali, ficus, verrucariæ, campanulæ foliis cymbalariæ, &c. quibus sæpius imbutæ verrucæ evanescere solent. Nonnulli sanguinem talpæ ad eundem usum deprædicant. Alii adhibent oleum tartari per deliquium cum sale ammoniaco ex aqua soluto mixtum, acetum sale marino saturatum, oleum vitrioli vel camphoræ, spiritum nitri vel salis, lapidem infernalem, &c. Has etiam averruncare potest flamma sulphuris caute admota: nec inutilem opem præstant emplastrum de Vigo, aliaque id genus resolventia, &c. Sed parum proficua forent hæc præsidia, ni prius novacula, aliove instrumento congruo, radatur verruca, ut altius ejus contextum penetrare valeant prædicta topica. Nec desunt qui *cauterium actuale* pro efficaciori auxilio habent; sed cavendum, ne lædantur partes membrananaceæ, tendinosæ & ligamentosæ; unde graviora suborirentur symptomata: hoc periculum deflectere queunt, qui acum candentem ad hoc opus duntaxat adhibent. Futiles tamen, imo & noxiæ sunt hæ curandi methodi, si verrucæ atro-cæruleæ & dolore stipatæ quidpiam cancrosi referant; quem characterem sæpius induunt verrucæ nasi, labiorum & palpebrarum. Ubi postremo stipato agmine erumpunt prædicta tubercula, de labe humorum cogitandum; cui bene perspectæ, nunc depurantibus, nunc diaphoreticis, alias aperientibus, incidentibus, &c. præmissis generalibus, occurritur.

Quod *ad cornua* attinet, haud absimili ferme methodo impugnari solent. Cæteris præsidiis palmam sane præripit *ligatura*; dummodo tumoris basis vinculo constringi patiatur. Ubi vero denegatur hæcce medendi via, in usum trahi potest causticum, quo circumdatur tumoris basis. Sed infelix hæc est methodus, si prædicti tumores altas egerint radices, quas haud citra periculum prosequi licet, propter obvias partes exquisitiori sensu donatas; e quibus lacessitis graviora concitari queunt symptomata. Pari ratione periculosa censeri debet extirpatio; eo quod ossibus, uti jam innuimus; vel ligamentis sæpius adnascantur cornua; quæ hinc nusquam tuto averruncari patiuntur.

ANIMALIUM MORSUS ET PUNCTURA.

Missis omnibus hypothesibus, quæ de natura veneni, a morsu variorum animalium iratorum, vel rabidorum propagati, altioraque corporis penetralia citissime adeuntis; atque spirituum systasim vel humorum massam illico fere inquinantis, effutiuntur; ad modum avertendi illius calamitosos effectus properamus. Ubi igitur constat de morbi genere, nil non movendum, ut *imminens periculum* incunctanter *præcaveatur*. *Triplex* sub hoc conspectu adimplenda venit *indicatio*: 1. scilicet ut venenum a vulnere abigatur, vel cujusvis materiæ pinguis compedibus obvolvatur & impediatur; aut quavis alia arte absumatur & exhauriatur: primam opem præstant *scarificationes*, quibus sanguis contaminatus foras prosilit; cujus promptiori expulsioni plurimum favent cucurbitulæ, vel suctus, si nil obstet; quorum beneficio prædictus hauritur latex. Opportune etiam admoventur materies adiposæ vel oleosæ, quibus intricari queunt miasmata venenosa; quæ alias a cauterio actuali, ope ferri candentis, vel inibi accensi

censi pulveris pyrii, plane domatur; dummodo tamen haud altius penetraverit. 2. Quantocyus impediendum quominus illud deleterium ad interiora appellat; quod opus tuto peragitur *partis vulneratæ* extemporanea *amputatione*, si per meticulosos liceat, vel *vinculo* arcte constricto supra vulnus injecto, quo sanguis ad cor rediens omnino suffiaminatur. 3. Ubi ab intempestiva mora quandam veneni portionem ad massam sanguineam jam appulisse conjicitur, impugnandum venit decantatissimis *alexiteriis*, theriaca nimirum, orvietano, mithridatio, salibus, spiritibusque animalium volatilibus, viperæ nempe, cornu cervi, urinæ, salis ammoniaci simplicis vel succinati, aliisque id fortis; quæ omnium vota explere queunt. Suum symbolum etiam conferre solent diaphoretica, diuretica, aliaque evacuantia. Hæc est generalis curandi methodus, & acceptissima adversus animalium, tum venenatorum, tum rabidorum virus; quæ etiam congruit punctura nonnullorum insectorum; habita tamen ratione imminentis periculi gradus, variarumque circumstantiarum: quæ omnia paulo fusiori sermone exponere, haud abs re fore putavimus.

Nemo nescit hominem, canem, lupum, felem, equum & mulum *rabiei* esse magis *obnoxios*. Hic sævissimus morbus, qui morsu in obvia animalia traducitur, *hydrophobia* audit, de qua infra: in præsentiarum vero, de sola *methodo pertractandi vulnus* agemus. Itaque præstantissimum suppeditat auxilium *cauterium actuale*, ad extinguendum virus hydrophobicum, in vulnere a morsu relictum; dummodo quantocyus, & altius infigatur. Si igne perterreantur ab animali rabido demorsi, haud immediate admovetur ferrum candens; sed relicto quodam intervallo propius, quantum licet, adducitur, & aliquandiu inibi detinetur, ut remissius & diutius actionem suam exerant particulæ igneæ. Sunt qui hanc opem conferre tentant pulvere pyrio in ipsomet vulnere conflagrato; num tamen hæc flamma fugax ad virus altius nonnunquam immersum pertingere valeat, jure sane dubitandum. Haud minus forte efficax censeri debet alia methodus, quæ *scarificationibus* profundioribus peragitur; quibus imponere solent, si sinat pars affecta, cucurbitulam, cujus ope sanguis infectus plane exhauritur: alias iterata & congrua pressione cruoris inquinati fluxus promovetur; adeo ut viciniora vasa plane exinaniantur; suctum enim ore actum adhibere inconsultum foret. Quibus peractis aliud curantibus incumbit munus; ut vulnus scilicet ad mensis proveletur; & in hoc versatur præcipuus curationis cardo; adeo ut si citius quam par est coeant vulneris labra, nulla mora recruentari debeant. De hujusce curationis termino controvertitur apud Auctores, quorum plures haud absolutam esse post quadraginta dies pronuntiant; alii vero ad quatuor vel sex menses producendam esse autumant; quod sane securius fore, nemo sane ibit infitias. De fricta circa partem vulneratam cum unguento mercuriali nihil addimus, cum vulnus minus respiciat, quam imminentem hydrophobiam, de qua alibi.

Maximum terrorem incutit *viperæ morsus*, qui ratione regionis & tempestatis, necnon reptilis iracundiæ gradus, plus minusve est pertimescendus: quibus adjicere lubet demorsi pavorem, qui veneni sævitiem adaugere potest, ut infelicem ægrum intra paucas horas e medio tollat: alias post unum alterumve diem, imo & tardius enecat viperę venenum. Hunc morsum presso pede sequuntur atrocium symptomata: præter enim phlogosim, qua corripiuntur partes vulnus ambientes, & acerbissimum dolorem late se spargentem; totus corporis ambitus intumescit, os arescit, erumpunt vomitus bilioši; respiratio læditur; urgent anxietates, exsurgit singultus, ingruunt palpitationes, cum pulsu intermittente; caput impetunt vertigines, vires deficiunt, partes demum stupore corripiuntur, vel tremore tentantur; donec agmen claudant convulsiones, sudores frigidi & lipothymię, quibus fatum accelleratur. Hinc patet, viperę venenum, ubi obrepsit in sanguinem, longe calamitosius esse rabiei deleterio, quod nusquam præceps exitium affert.

Haud absimili methodo pertractari debet *vulnus a vipera inflictum*, supra quod scilicet, *vinculum* arcte constrictum, si nil obstet, injicitur, ut suffiaminatus sanguis soli-

solitum alveum minime petat. Interea admovetur *cauterium* actuale, vel celebrantur *scarificationes*, superimposita cucurbitula, ut citius depleantur vasa. Suctus etiam tuto hic adhibetur, propter peculiarem indolem veneni quod ad stomachum appellens, iners & effœtum plane evadit; cum econtra venenum rabidorum haud minus esse reformidandum in primis viis, quam in vasis sanguiferis, experientia constat. Plurimum insuper decantatur axungia viperina vulneri admota: eadem forte vires obtinet oleum olivarum, quod etiam pluribus rite successisse fertur. Nonnulli contusum viperę caput vulneri imponunt: alii cataplasma ex allio, theriaca & sale ammoniaco confectum adhibent: ut sileamus de variis aliis præsidiis quę suas merentur laudes, dummodo incunctanter usurpentur: sed haud semper in promptu habentur hęc topica, vel euporista; hinc fit ut nonnulli agricolæ, imminente morte perterriti, ad partis sauciatę, nulla mora facta, cum primo obvio qualicumque ferro, amputationem sese accingant: quod remedium meticulosis sane invisum, solum forte tutissimum occurrit. Cęterum intus adhibentur *alexiteria* officinalia & tralatitia; theriaca nempe & orvietanum, pulvis viperinus, salia volatilia animalia, vel spiritus ejusdem sortis; nempe viperę, salis ammoniaci succinati, vulgo *Eau de Luce*, aliaque ejusdem naturę alkalina, quę etiam parti vulneratę opportune admoventur. Simili insuper medelæ submittitur aspidis, cęterorumque anguium venenatorum morsus: sed obiter notandum, quod hęc reptilia venenata, si viperam excipias, rarissime in nostris regionibus occurrant.

Bufonis morsus, etsi dentibus plane caret, haud periculo vacat, cum ejus salivaris latex penetrantissimus hinc per cutis spiracula ad sanguinem appellens, summam perniciem inferre valeat. Nec minus pertimescendum ejusdem animalculi lotium, quo nonnunquam conspurcantur olera. Experientia enim teste, minime dubitare licet, quin uterque humor cum alimentis deglutitus, vel per patentes cutis porulos vasa subiens, noxiis viribus polleat; e quibus prodeunt totius corporis intumescentia, vel fœdus pallor ad icterum accedens; vertigines, lipothymiæ, convulsiones, &c. Ab eduliis hocce viru infectis lingua & labia nigricant, erumpit vomitus, sævit cardialgia, &c. Qui pravi morsus effectus tuto præcaventur, humorem inquinatum cuti hærentem congrua & extemporanea lotione cum aqua, lotio, vino, &c. facta, everrendo: si vero deglutiti veneni emergat suspicio, præsentaneam opem ferunt emetica & cathartica: ubi postremo per quamcumque viam sanguini immiscetur deleterium, diaphoreticis, diureticis, cardiacis & alexiteriis impugnari solet: sed raro, ut verum fatear, innotescit hęc labes, quę hinc clancularias vitę struit insidias.

Periculi expers censetur *punctura scorpionis* sub temperata cœli constitutione; sed aliter se res habet in regionibus calidioribus, & præsertim ardente syrio. Hoc enim venenum æstu aeris acutatum graviora concitare potest symptomata; quæ raro tamen funeris metum incutiunt. Pars læsa phlogosi corripitur; doloribus universalibus vexantur ægri; stomachus subvertitur; hinc vomitus & singultus. Interea accedunt membrorum torpor, tremores, &c. Inter topica efficaciora celebratur oleum scorpionis; sed cum plerique hoc careant, adhibetur oleum olivarum, ubique prostans: nec forte minus efficax. Ubi vero res videtur periculosæ aleæ, quod tamen raro evenit; præsto sunt scarificationes, cauterium actuale, aliaque præsidia, de quibus supra. Sunt qui scorpionem contusum vulneri admovent; quod pluribus pro votis successisse fertur: ideo nil impedit quominus hoc pro more subministretur topicum; præsertim cæteris deficientibus: nec, ubi res expostulat, despici debent cardiaca & alexiteria diuturniori praxi comprobata.

Nonnullæ occurrunt *aranea venenosæ*, prętер tarantulam, de qua infra, quarum punctura nonnullum portendit periculum; præsertim si pars læsa inflammatione tentetur, coloremque plumbeum, erumpentibus phlyctænis, induat: quos prodromos sequi solent nauseæ & vomitus, membrorum torpor, somnolentia vel delirium; tremores, convulsiones, &c. ad quæ præ-

cavenda converti debent clinicorum curæ: hanc opem præstat cataplasma, ex allio & theriaca confectum, inter efficaciora prophylactica celebratissimum: nonnulli succum lacteum ficulneum, quo fovetur pars affecta, deprædicant: quibus addere licet topica supra tradita; quę etiam conferunt in hacce punctură specie. Idem esto judicium de antidotis, salibus volatilibus, aliisque jam recensitis medicaminibus internis. Num aranea deglutita quidpiam mali portendat, dubitare licet; sed sub hocce discrimine ad emeticum confugere satius videtur. Cętera etiam prophylactica, etsi utplurimum superflua, haud inconsulto in usum vocari queunt.

Nullius est particeps periculi *apum & vesparum punctura*; quę tamen ingentem tumorem phlegmonodeum, pustula albicante in centro notatum, accersit; qui vero post biduum, triduumve evanescit. Sed ubi numero plures occurrunt ictus, gravia promoveri queunt symptomata, quę vulgo victus ratione, & una vel altera venę sectione impugnantur. Quoad curam externam, danda est opera, ut primum e vulnusculo detrahatur aculeus, quem inibi relinquere solent prædicta animalcula: fovetur postea tumor urina calida, vel oleo inungitur: nonnulli plantaginem contusam summe deprædicant. Alias admovetur theriaca cum aqua vitę vel infuso sambuci, subacta; aut quodvis cataplasma emolliens: quibus præsidiis sedatur dolor, fugatur phlogosis, vel ulterior impeditur. Quoad *punctŭram culicum tinnulorum*, vulgo *Couſins*, ob dolorem pruriginosum, sępius molestissimum, ipsi admoventur saliva, oleum, acetum, succus limonum, &c. sed hęc omnia vulgo posthabentur, ni stipato agmine corpus lacesserint prædicta insecta.

TARANTISMUS.

Sic vocitatur stupendus hic morbus quem promovet *ictus* (uti fertur) *cujusdam phalangii* vel araneę, quę non solum circa Tarentum in Apulia reperitur, sed etiam in aliis Regni Neapolitani tractibus, non secus ac in Italia, Corsica, & apud Persas, occurrit. Per arva inter segetes, sub tempestate fervida, prorepens hoc insectum, periculosissimo sane ictu, narrante Baglivio, messores & viatores impetit. Levem plogosim accersit hęc punctura; sed livorem ad nigredinem accedentem nonnunquam contrahit pars lęsa, quę dolore vel quodam stupore afficitur. Num hic stupendus affectus ab ictu tarantulę, vel ab alia quacumque causa, uti nonnulli conjiciunt, promoveatur? viderint solertiores. Quidquid sit de ejus prosapia; incipit paroxysmus a mœrore, insolitoque solitudinis amore: dein *anxietatibus premuntur ægri*; tremunt artus, vires prosternuntur; accedunt cardialgię; urget pectoris angustia, quę spirandi difficultatem post se trahit; visus obnubilatur, atque mœrore & tristitia corripiuntur ęgri: hęc excipiunt *mentis ludibria*, quibus incondita & delira loquuntur, incongruaque agunt. In potiori ęgrorum parte ad plures dies protrahitur hic morbus, letho utplurimum finitimus. Nonnulli tamen quasi fulmine tacti concidunt, & apoplecticorum more extinguuntur. Qui vero e tarantismo evadunt, recidivam anno sequenti, & ardente syrio, caveant: nec desunt, qui per totum vitæ curriculum hujusce morbi reliquias trahunt.

Cura externa ictus tarantulæ minime differt a jam tradita, vel cæterarum animalium punctŭras respiciente. Iisdem etiam *prophylacticis* internis, cardiacis nimirum & alexiteriis impugnari solet prædictum virus sanguini immixtum: sed raro proficua erant hæc remedia, donec forte fortuna genuinum repertum fuit specificum, quod nil aliud audit quam *saltatio* ad fidium vel tibiarum numerum. Multiplici experientia jam comprobata, si Scriptoribus sit fides, hæc *modulata exercitatio* ad quatuor vel octo horas, & ultra, singulis diebus producitur, & quater vel sexies iteratur. Haud ab omnibus instrumentis musicis, nec a singulis modulaminibus, ad saltandum stimulantur ægri; sed post varia tentamina genuinus, & efficax innotescit modus: quo reperto decumbentium vultus ad hilaritatem componitur: interea a lecto prosiliunt, pedes & manus in numerum motitant, donec sudore perfundantur; vel tandiu saltant, quan-

quandiu ſinunt vires ; quibus exhauſtis quieti indulgent ; ac poſtriduo alacriores & robuſtiores facti, eadem arte moventur. Mirari profecto ſubit deſipientes a diſſonis tonis ita affectos, ut choreis ſuperſedeant ; ni Muſicus conductitius ad hanc rem fauſte peragendam animum advertat. Hæc eſt ſtupenda curandi methodus, qua nulla hactenus tutior innotuit. Illud addere licet, quod non ſolum inſtrumenta muſica, ſed etiam colorum vividiorum conſpectus, hanc luctuoſam ſcenam lenire videantur. Illud tamen ſilentio minime prætermittendum cenſemus, quod nonnulli inter recentiores primi ſubſellii in dubium revocent hæc ſtupenda naturæ morboſæ phænomena.

HYDROPHOBIA.

IN propatulum ſane venit hic morbus poſt primam invaſionem : ſed dubii & fallaces ſunt ejus *prodromi* ; quos tamen noſſe plurimum intereſt. Nec ſemper conſtat de infortunio quod hydrophobiam minatur ; quod etiam cognitu aſſequi maximi eſt momenti, ne intempeſtiva ſecuritate poſthabeantur remedia prophylactica, quæ opportune exhibita rariſſime fallunt, vel fauſte occurrunt huicce truculento morbo ; qui alias, ubi caput exerit, nuſquam fere domari patitur. Maximum ſane quidem terrorem incutere debet canis, alteriuſque animalis morſus, ſi quædam de *rabie* emergat ſuſpicio : ideo ſub hocce caſu nil non movendum, ut diluatur ærumnoſum illud dubium, nonnunquam intricatiſſimum. Quandoquidem circa canem nobis familiariſſimum, & huic morbo, uti nemo neſcit, obnoxium, ſæpiſſime verſatur ; nonnulla de ejus rabiei diagnoſi prælibare, haud inconſultum fore judicavimus.

Hoc ferino morbo correpti canes minime latrant ; ſed vocem edunt raucam, qua cætera ejuſdem ſortis animalia perterrentur. Demiſſis cauda & auribus, triſtes incedunt, vel latebras, quibus recipiantur, quærunt. Interea potum averſantur, ſolita alimenta reſpuunt, ægreque ſpiritum ducunt. Ore hiante, vel ſpuma conſpurcato, linguam exerunt, canes obvios laceſſunt, homineſque invadunt ; ſolis familiaribus in hoc primo rabiei gradu parcentes ; quos brevi, omnium rerum oblivi, & furore rapti neſciunt ; donec tertio, quartove morbi die, deficientibus viribus humi proſternantur, & convulſionibus rapiantur ; ni citius enecentur. *Morſum* longe *periculoſiorem* eſſe ſub hoc poſtremo morbi ſtadio, nemo neſcit : ſed raro quiſquam inter hunc ſtatum manifeſtum offenditur, cum omnes fuga ſibi conſulant.

Tanta tenuitate pollet *venenum rabioſum*, ut ſimplici laticis ſalivaris contactu, nullo exiſtente vulnere, traduci queat : imo & exſiccatus vel annoſus hic humor, linteis vel pannis hærens eamdem labem, ſi variis obſervationibus ſit fides, inferre poteſt. Addere licet cauſam diu latere in parte demorſa, licet ad cicatricem perducta ; cum dolor hujuſce partis inter morbi prodromos primum locum obtineat : nec deſunt exempla hujuſce infortunii poſt viginti, imo & triginta annos a morſu. Intra vaſa admiſſum illud virus aliquandiu occultatur ; ſed ante quadrageſimum diem plerumque extricatur : rarius ſane ad menſes vel annos fovetur illud nefandi morbi ſeminium. *Hanc* ferinam *luem pronuntiare* ſolent crebriores oſcitationes, ſpontanei corporis fremitus, cum pulſu debili & inæquali, ſomnus pavoribus & ejulatibus turbatus : dolores nonnunquam ſæviſſimi, qui non ſolum partem prius vulneratam obſident, ſed etiam per totum corpus divagantur. Hæc excipiunt mœror & triſtitia, a metu ſcilicet imminentis invaſionis, vel quædam animi abjectio, qua in publicum prodire verentur ægri ; imo & cognatos & familiares fugiunt.

Hæc ſunt vulgatiora *hydrophobiæ prolu-dia*, quæ preſſo pede ſequuntur aquæ, alteriuſve liquidi metus & horror ; licet ſiti & interaneorum æſtu torqueantur ægri ; vomitus & ſingultus ; pectoris anguſtia, vel ſuffocatio a quadam laryngis conſtrictione, æque ac in angina, cum pulſu debili & inæquali. Interea os ſpuma defœdatur, & recruentatur in nonnullis vulnus : oculi torvi mentis perturbationem minantur ; ſub qua clamitant & ululant cum vultu horrido. Mordendi deſiderio premuntur, & furibundi evadunt ; donec

convulsionibus generalibus, quibus haud immunia sunt genitalia, e medio tollantur, vel in syncopem lethalem incidant; qua scilicet circa quartum morbi diem ad plures migrant. Hydrophobia in potiori parte suos habet paroxysmos, qui nulli ordini submittuntur; sub dilucidis intervallis mentis compotes ægrotantes monent adstantes ut sibi caveant; vel vinculis constringi vulgo patiuntur.

Sunt qui velint se observasse rabidos aquæ metus plane expertes: num *genuina hydrophobia* laboraverint? dubitare licet. Alii mentionem subjiciunt de *rabie spontanea*, nullo scilicet prævio morsu; nec contactu rabidorum: num morborum affinitate decepti hujusce observationis Auctores a veri tramite recesserint? solertioribus examinandum relinquimus, quos non fugit potus horrorem inter febris malignæ, vel mali moris, hysteris, aliorumque nonnullorum morborum symptomata numerari: præter quam quod contingere potest, ut ægri veterem canis rabidi morsum plane obliviscantur; vel linteamina aut vestes, hac labe contaminata nescii pertractaverint, vel ori admoverint: hinc minime mirum si nonnulli, imminentis periculi ne minimam quidem suspicionem habentes in hydrophobiam, quæ pro spontanea inconsulto habetur, incidant: sed hæc dubia ulterioribus, accuratioribusque observationibus lubenter submittimus.

Ab institutis *cadaverum* hoc morbo sublatorum *sectionibus*, in apricum veniunt viscera nonnunquam phlogosi tacta, macilenta, exsiccata, & quasi adusta; venæ iliacæ supra modum turgidæ, & cætera vasa nunc sanguine coagulato, nunc fluidissimo repleta. Oris & deglutitionis organa raro illæsa; sed phlogosi correpta sæpius deprehenduntur; atque fœdissima spuma mucosa conspurcantur. Similem labem sæpius exhibet tracheæ facies interior; & pulmones nigri fœtent; ac demum gangrænæ notas præ se ferunt prædictæ partes. Cor paucum sanguinem, picis instar nigerrimum continet: nonnunquam flaccidum & marcidum; pericardio accretum deprehenditur. Lingua patet crassissima spuma flavo-virente obducta. Passim observantur in interaneis, infarctus phlogodei, qui sæpius sphaceli notas præ se ferunt. Bilis viscida & virens; ac exuberans non solum in tubo intestinali; sed etiam in ventriculo: atque hocce latice atro-viridi scatent vesicula fellea, cæteraque bilis receptacula. E quibus bene perspectis, credere par est bilem in abdomine debacchari, dum truculentus hic sævit morbus; atque ab ejus incandescentia, præcipua oriri symptomata. Diaphragma in quibusdam inflammatum animadvertitur; & detectus fuit nodus in ejus nervo præcipuo. Vasa cerebri sanguine atro turgent, cum colluvie serosa, subflava in ventriculis stagnante. Annotantur thalami nervorum opticorum marcidi; flatulentia sub dura meninge, &c. in quibusdam denique cerebrum inculpatum se præbet.

Ubi constat de imminentis periculi genere; *curationi prophylacticæ* nulla mora inhærendum. Præcipuum primo curantibus impendet munus, ut inflicto vulneri methodo supra tradita prospiciant. Danda scilicet est opera ut virus rabiosum e vulnere excutiatur, & ejus ingressus ad massam sanguineam omni arte, & incunctanter præpediatur. Monendi præterea demorsi, ut lintea & vestes, muco salivari forte infecta, illico exuant. Quibus præmissis invaluit usus, ut vulnerati *in aquam maris* vel fluminis, pluries singulis diebus, & intra semiminutam circiter, per novennium *immergantur*. Pluribus optime cessisse illud auxilium experientia novi; quod tamen nonnulli scioli floccifaciunt. Circa quod notare juvat quod ejus efficacia haud tam a balneo, quam ab arte qua inopinantes in æquor præcipites dantur, pendeat; atque in hoc terrore, quem experti Nautæ incutere solent, versari præcipuum hujusce curæ prophylacticæ momentum, pronum est credere. Hinc patet ratio cur iners sit illud præsidium erga canes, hujusce formidinis plane expertes.

Nec desunt *alia prophylactica*; pulvis nempe *Palmarii*, ostreum calcinatum, & lichen cinereus terrestris *Rau*; quibus addere licet cardiaca, alexiteria & diaphoretica vulgatiora, quæ, uti supra innuimus, suas laudes etiam merentur. Sed nullum hactenus ipsomet hydrargyro tutius & efficacius innotuit præsidium; de quo mentionem

tionem olim subjecit laudatus PALMARIUS, quod scilicet e tenebris, quibus diu immersum fuerat, eruerunt nostri coætanei; quorum numerosissimæ & accuratissimæ observationes ultra omnem dubii controversiam arguunt mercurium verum esse hydrophobiæ, non secus ac luis venereæ, specificum, quovis modo usurpetur: intus enim, & consuetis dosibus exhibentur turpethum minerale, aquila alba, panacea & cinnabaris, quæ nonnullis interjectis diebus, quinquies vel sexies iterantur; quibus mercurialibus nonnulli, haud sane inconsulto, camphoram sociant. Alias, æque ac ad curationem luis venereæ, celebrantur fructus cum unguento Neapolitano, ad drachmas duas vel tres, pro singulis vicibus; octies vel duodecies repetendi; interjectis solitis intervallis. Fauste etiam usurpatur mercurius in *canibus demorsis* ad præcavendam luem: quotidie scilicet, & per sex circiter dies, deglutienda præbentur turpethi mineralis grana octo vel decem cum medullæ panis quantitate sufficienti ad bolum: postea protelatur illud remedium, primo alternis diebus, dein quarto quoque die: ea nimirum ratione, ut integra curatio ad viginti vel triginta dies accedat. Sic tuto deflectitur rabies, quæ si jam canem invaserit, eodem medicamine impugnari debet; dummodo ingeminetur dosis, quater vel sexies exhibenda; unde plerumque prodit ptyalismus innoxius. Haud minus congruit hominibus jam rabie tactis hydrargyrosis; cujus dosis etiam duplex tum adhibetur: sed, ut verum fatear, in ancipiti versatur eventus.

Alia postremo recensentur *præsidia* contra hujusce morbi ferocissimi insultum; sanguinis nempe missio ad animi deliquium, balneum quantum licet productum, sub quo caput & facies identidem irrigantur: atque hoc solo præsidio quosdam evasisse nullus est dubitandi locus. Interea larga manu reluctantibus exhibetur potus acidulus & refrigerans: ejusdem naturæ injiciuntur enemata; nec posthaberi debent anodyna interna e nitro & camphora petita. Proficue quandoque usurpantur emetica, inter quæ nullum sane turpetho minerali præstantius occurrit. Quandam opem conferre queunt antispasmodica: opportune etiam in usum vocantur spiritus salis ammoniaci succinatus, vulgo *Eau de Luce*, aliaque alkalia volatilia; quæ forte haud minori vi pollent erga virus rabidorum, quam adversus viperæ venenum; cum nonnullam esse inter utraque miasmata affinitatem conjicere liceat. Moschum etiam fauste exhibitum fuisse fertur; circa quem vide Lexicon JAMES, & Diarium Medicum anni 1761, pag. 199. Hæc sunt remedia magis decantata & experientia comprobatiora, quæ apprime nosse interest; cum sub hocce morbo, veluti in aliis, pro variis circumstantiis, diversa experiri juvet.

CONTUSIO ET VULNUS.

ECchymosim, vel phlogosim inferre *contusiones* nemini haud notum: nec latet eo periculosiores esse, cæteris paribus, quo pars exquisitiori sensu donatur: hinc patet quam sit pertimescenda oculorum, mammarum, testium, extremorum digitorum, &c. collisio: constat etiam *ominosos* esse capitis, pectoris & abdominis ictus, si actionem suam exerant in subjacentia viscera. Resolutione plerumque judicantur contusiones; alias promovetur purulentia; nec raro imminet gangræna, ut de luxationibus & fracturis ab eadem causa oriundis, de quibus alibi, silemus. A graviori capitis contusione movetur suspicio de cranii depressione & fractura, vel cerebri commotione; quorum infortuniorum indicia censentur hæmorrhagia narium, auriumve; nauseæ, febris, sopor & delirium, &c. Pulmones offenduntur, costæ franguntur, & a sede dimoventur, a gravi pectoris contusione; hinc tussis, sputum cruentum, spirandi difficultas, &c. Nec minus calamitosæ censentur abdominis contusiones, ad viscera pertingentes; quod sæpius accidit, etsi cutis nullo rubore vel livore afficitur: hinc læduntur organorum vitalium functiones: emergit interaneorum phlogosis, quæ febre, abdominis dolore & renitentia innotescit; quam haud raro excipit purulentia: vel disruptis vasis, insidiatur sanguinis stasis quæ putriditatem & gangrænam post se trahit. Viscera nonnun-

nunquam skirrhosa evadunt ; hærentiasque morbosas contrahunt. Suboriuntur aneurismata, acerbissimis dorsi doloribus, aliisque gravioribus symptomatibus stipata; tumores cystici, alteriusve naturæ; hydrops lacteus, &c. hæc docent extispicia.

E *vulneribus* a corpore contundente, vel secante, inflictis minus vel majus concitatur sanguinis profluvium, quod arte vel natura coercitum excipit crusta quædam repaguli vices gerens, e cujus delapsu seri cruenti vel saniei emergit stillicidium. Intumescunt graviorum vulnerum labra, phlogosique corripiuntur, ac tertio, quartove die in suppuratum abeunt. Parcum sanguinis proventum præbent vulnera e glandibus plumbeis sclopeto vibratis inflicta; ob scilicet quamdam escharam qua sauciata vasa occluduntur: sed nonnullis elapsis diebus hæmorrhagiam minatur ejus delapsus; pus ægre conficitur in partibus sclopeto transfixis, quæ hinc ulcere pertinacissimo confodiuntur. Ampliora vulnera, æque ac graviores contusiones, concomitari solent dolor, inflammatio & febris: quid sit metuendum ex horumce accidentium complicatione, nemo non videt: nec fugit quantum terrorem incutiat gangræna ab hac duplici causa prognata, quæ pro mortis præcone haberi solet: ut de vulneribus venenatis, plerumque lethiferis, apud nostrates rarissimis, sileamus.

Sed de *eventu* nil certi statui potest, ni prius attendatur ad usum & fabricam partis læsæ; non secus ac ad corporis secantis, pungentis & contundentis formam. *Arteria* transversim *cæsa* hæmorrhagiam vix coercendam præbet: si leviter incidatur, impendet aneurisma. E *sectis nervis* emergunt stupor, paralysis & atrophia partis cui prospiciebant: ubi vero leviter sauciantur & punguntur, graviora exsurgunt symptomata; dolor nempe acutissimus late sese spargens, infarctus inflammatorius, æstuosissimus & suppurationis nescius; febris vividior, delirium, convulsiones, &c. *Artuum vulnera* luxuriante synovia madent, quæ marginum coalitui obstat, ac in ulcera sordida & putrida facessunt. De punctura tendinis e phlebotomo, supra actum fuit. Quid sit pertimescendum de vulneribus interiora capitis, pectoris vel abdominis attingentibus, nemo nescit: haud tamen sub hoc casu *vaticinandum*, ni prius stylo congruo rite explorata fuerint, accurate insuper perspecto pristino vulnerati situ; dum scilicet hoc subiit infortunium: quibus indiciis constat de parte læsa, e cujus functionibus eruenda est prognosis.

Vulnera capitis, non secus ac contusiones ab ictu, vel casu ab alto, ossa cranii deprimere vel frangere queunt; unde cerebri commotiones periculosissimæ, de quibus infra. Funestum præsagiunt *eventum* narium, auriumque hæmorrhagiæ, somnolentia, aliaque jam tradita symptomata. Quibus addere licet ophthalmiam ingruentem septimo vel undecimo post capitis contusionem die; quæ funeris metum incutit. Quod *ad pectus* attinet, si vulneretur cor, ad tibicines mittere licet. Minus impendet periculum e confossis pulmonibus; unde tussis, sputum cruentum & spirandi difficultas; quæ tamen symptomata haud levem terrorem incutiunt: emphyzemate corripiuntur partes aditum vulneris ambientes, e quo aer una cum cruore spumoso erumpit; unde dilucide patet morbi genus. Gravissima concitant symptomata *diaphragmatis vulnera*; dolores nempe vehementiores & suffocationes, febrem acutam & delirium, singultum, lipothymias, convulsiones, risum sardonicum, &c. Periculosæ aleæ etiam censeri debent stomachi & intestinorum gracilium vulnera, & contusiones: narrat Helmontius se vidisse juvenem studiosum pugno percussum, circa orificium ventriculi; qui statim corruens, brevi obliterato pulsu ad plures migravit. Cæterum *viscera abdominis* sauciata, ratione horum muniorum minus vel majus portendunt *periculum*. Cogitandum de exequiis, si sanguis pleno gurgite erumpat e vulnere alte inflicto; cum de majoris canalis immedicabili sectione nullum ferme sit dubium.

Facile delentur leviores contusiones, de quibus, dum de ecchymosi, agemus: graviores vero, de quibus in præsentiarum, repetitas *sanguinis missiones*, non secus ac ampla vulnera expostulant; nec efficacius occurrit præsidium. Depletis vasis, digestionum organis prospiciendum, ne pravi succi inibi hospitantes morbum in posterum exasperent. Egregiam ad contusiones opem præ-

stant

ſant repercutientia; albumen nempe ovi, acetum, roſæ rubræ, ſanguis draconis, aliaque id ſortis, quæ, ſi tempeſtive & illico imponantur, imminentem humorum defluxum, vel phlogoſim avertere ſolent: ſed inertia vel noxia cenſeri debent, ſi pars læſa jam intumuerit; tum ad reſolventia & roborantia confugiendum: id genus ſunt vinum ſaturate rubrum & generoſum, aqua vitæ ſimplex & camphorata, & Reginæ Hungariæ & vulneraria; aqua globulo martiali imprægnata; terebinthina; balſamum peruvianum, Fioraventi & Commendatoris: ſal marinum ſacculo receptum, urinæ vel aquæ tepidæ prius immerſum, vel ipſamet aqua prædicto ſale ſaturata; petroſelinum cum aqua vulneraria contuſum, theriaca; cataplaſmata e radicibus bryoniæ, conſolidæ majoris, &c. confecta. Sed nil præſtantius novi adverſus contuſiones generales, tam ab ictibus, quam a caſu ab alto, quam pellis vervecina ſuo calore vitali prædita, qua involvuntur ægri; quod pluries pro re nata iterari poteſt. Cataplaſma demum e mica panis & lacte paratum, quod etiam conducit, ubi tumor ad ſuppuratum vergit, egregiam opem præſtat. Alias imponuntur vulgatiora maturantia, donec confectum pus ſpontaneum exitum ſibi paret, vel phlebotomi ope educatur. Sanguinis ſtaſim etiam reſpicit ſectio qua prædictus latex, extra vaſa emiſſus, evacuatur, ne labem partibus ambientibus & vicinioribus inferat: hæmorrhagia vero ex hoc inflicto vulnere ſæpius prorumpens ſolitis adimiculis coerceri ſolet. Veſicæ ſanguine turgidæ a deglutinata epidermide, ſæpius ſola compreſſione, ope laminæ plumbeæ, vel ſaculi gypſo ſemipleni, &c. evaneſcunt. De oſſium luxationibus & fracturis, a contuſionibus oriundis, ſeorſim ſuo loco.

Suum ſymbolum conferunt in graviorum contuſionum curatione *medicamenta interna*; vulneraria ſcilicet & reſolventia; quæ tamen pro inertibus & ficulneis præſidiis a quibuſdam recentioribus perperam habentur: mirari profecto ſubit remedia peritiorum encomio celebrata, diuturniori praxi comprobata, nullis, ut ipſis viſum fuit, viribus pollere: ſed hanc litem componendam quibus plus ſupereſt otii committimus: cum illud duntaxat nobis impendeat munus, ut uſitatiora in hunc ſcopum, & a ſolertioribus acceptiſſima exhibeamus: qualia ſunt infuſum herbarum vulnerariarum, hyſſopi, hederæ terreſtris, &c. ſuccus cardui benedicti, cerefolii, petroſelini, &c. terebinthinæ, & balſama naturalia, ſperma ceti, ſanguis hirci præparatus, ſuccinum in officinis elaboratum, ſal volatile, cornu cervi, aliudve ejuſdem indolis; antimonium diaphoreticum, balſamum Lucatelli, theriaca &c. quæ pleraque diaphoreſim, in hoc caſu ſaluberrimam, promovere ſolent. A quibuſdam etiam depredicantur abſorbentia; cornu nempe cervi præparatum, corallum, lapilli cancrorum fluviatilium, &c. quæ etiam quaſdam ſuppetias ferre queunt.

Vulnerum ferruminatio ſolis œconomiæ animalis viribus abſolvitur; quas tamen nonnunquam juvare expedit, remotiora vulneris labra adducendo, vel quidquid horum coalitui obſtat auferendo. Itaque ut vulneris ſimplicis, nulla deperdita ſubſtantia, curatio opportune inchoetur, & facilius perficiatur, neceſſe eſt ut ſecta vaſcula debito ſanguinis profluxu rite depleantur, & accurate ſublatis quibuslibet corporibus extraneis, vulneris labra propius admoveantur, ac congrua deligatione coerceantur: nec aliud Chirurgo incumbit munus per aliquot dies; niſi ut identidem aqua vitæ vel vulneraria irroretur hæc *faſciatio*: raro enim medicari debent vulnera recentia; nec ipſis immittenda ſunt linamenta, penicilli, turundæ & pulvilli, quibus peſſimo more nonnulli etiamnum utuntur imperiti Chirurgi, qui nil aliud patrant quam vulnus producere. Inſuper haud vetantur plantæ *vulnerariæ*, liquores ſpirituoſi & balſamici, balſamum ſamaritanum, aqua globulo martiali imprægnata, pulvis ſympatheticus, aliaque innumera; quæ ſuam opem conferre queunt in amplioribus vulneribus. Ubi e ſectis majoribus vaſis ſanguis confertim, vel ultra modum erumpit, vinculo conſtringi debet ductus ſanguiferus, ſi ſinat pars læſa: alias admoventur ſtyptica; diſſolutio nempe globuli martialis, alumen uſtum, pulvis ſympatheticus, &c. Egregie etiam opitulatur agaricus, ſupra laudatus, qui ſuo contextu tomentoſo hiantia vaſa rite obturare poteſt; dummodo congrua deligatione coerceatur.

In

In quibusdam vulneribus, præsertim contusis & dilaniatis, movetur circa quartum diem *purulentia*, quæ congruis topicis foveri debet: in hunc scopum deprædicantur *digestiva* e terebinthina, ovi vitello, oleo hyperici, unguento fusco, &c. parata; quibus sociantur pro re nata *detergentia* & *antiputrida*; mel nempe, gummi elemi, balsamum peruvianum, myrrha & aloe, elixir proprietatis, aliaque id sortis ulcerum pertractationi dicata. Artuum vulneribus congruunt adstringentia & exsiccantia. Nervis, tendinibus & ligamentis sauciatis medentur oleum terebinthinæ & hyperici, balsamum peruvianum, elixirium proprietatis, &c. Ubi tendines certæ crassitiei penitus secantur, horum extrema propius admota futura jungi debent, ut ossium instar coeant; quod absolvitur circa decimum vel undecimum a consutione diem: nemo nescit hanc operationem, quam despiciunt nonnulli recentiores, pluries felici successu institutam fuisse in discisso tendine Achillis. Quod vulnera, globulis plumbeis sclopeto vibratis inflicta spectat, danda est opera ut extrahantur corpora extranea, & sistatur hæmorrhagia: quibus peractis admovetur simpliciſſimum linum carptum, ut postridie adhibeantur digestiva, emollientia, &c. Etsi prima indicatio inter pertractandum vulnus adimplenda, in promovenda cicatrice versatur, hanc tamen nonnunquam procrastinare expedit; ubi scilicet carnes pravæ notæ luxuriant, & occultantur ultimi vulneris recessus. Ampliorum vulnerum oras haud raro consuere juvat, ut ad mutuum contactum ducantur; præsertim si extus erumpant intestina, epiploon, aliaque viscera. Ubi demum tubus intestinalis transversim secatur; *futuræ* etiam subjici potest, si accitus Chirurgus suam artem apprime calleat; alias superioris intestini labra vulneris marginibus admoventur, ut inibi ferruminentur, & hoc ano artificiali exoneretur alvus.

Vulnerum graviorum *cura interna*, parum discrepat ab illa quæ contusiones respicit. Larga nimirum manu mittendus est sanguis; victuique tenuissimo inhærendum. Primis viis etiam congrua evacuatione prospiciendum, ne febris excandescat, aliaque concitentur graviora symptomata. Interea plurimum conferunt diluentia; nec posthaberi debent vulneraria & diaphoreticæ, aliaque diversæ sortis remedia, quæ pristinæ & pravæ humorum diathesi occurrere valent. Huc etiam pertinent lacticinia, ubi prædictis auxiliis haud morem gerunt contumaciora vulnera, vel ad aquas minerales tanquam ad sacram anchoram confugere expedit.

Supereſt ut de leviſſimo hoc vulnere & familiariſſimo, quod nunc *intertrigo*, nunc *excoriatio* audit, breviter agamus; quod a colliſione, fricu, vel compreſſione; ab equitatione, &c. ſæpiſſime ſoboleſcit: hoc etiam *promovent* ſqualor & immundities. Grave quandoque faceſſunt negotium excoriationes in morbis, tum acutis, tum chronicis, a diuturniori in eamdem partem decubitu prognatæ. Ubi igitur exanthemata & ecchymoſes a ſanguinis ſtaſi oriundæ, has minantur; lotionibus cum vino tepido, identidem iteratis, imminens continui ſolutio præcavetur: ubi vero hæc ſtigmata livorem quemdam contrahunt; opportune foventur cum aqua vitæ camphorata. Excoriationi vero medentur exſiccantia; pulvis ligni carioſi, ceruſſæ, lapidis calaminaris, &c. In uſum etiam familiariſſimum vocantur unguentum diapompholygos; emplaſtrum Norimbergenſe, de ceruſſa, &c. Excoriationi a diuturniori equitatione prodeſt ſevum ex ipſamet candela, adeps, oleum roſaceum, &c. Sed munditiei præſertim ſtudendum, & nil non movendum, ut pars læſa ab omni compreſſione ſolvatur.

AMBUSTIO.

NEmo neſcit varios eſſe ambuſtionis gradus, non ſolum ratione ignis vehementiæ & modi, ſed etiam reſpectu fabricæ partis læſæ. Aduſtionem eſſe magis pertimeſcendam in facie, oculis, & cervice experientia compertum manet. Quo enim latior eſt pars ambuſta & altius penetraverit ignis; eo periculoſioris res eſt aleæ. Prunæ, metalla candentia vel fuſa, flamma pulveris pyrii, aqua fervens, oleum bulliens, &c. ſummam ſane perniciem inferunt: ſed longe vehementior cenſeri debet fulguris impetus. Præter dolorem acerbiſſimum quem infert *vulgatior* am-

ambuſtio, pars phlogoſi corripitur, erumpunt phlyctænæ, variaque emergunt ſymptomata; ratione divertarum, uti jam innuimus, circumſtantiarum a contextu vel uſu partis, & natura corporis urentis, brevi vel longiori tempore admoti, eruendarum. Conſtat ulcus hinc prognatum pertinaciſſimum fore; præſertim ſi foveatur a prava humorum diatheſi; cachectica nempe, ſcorbutica, ſyphilidea, &c. Extra oleas evagarer, ſi omnium ambuſtionum diſcrimina, earumque modos innumeros huc attexerem; quare omnes ſub triplici claſſe colligere conſultius & dilucidius fore cogitavi.

Itaque ratione læſionis gradus, *ambuſtio* eſt *levis*, *media* vel *gravis*. *Prima* quæ haud ultra cutem actionem ſuam exerit, vel ejus ſuperficiem dumtaxat afficit; dolore nunc levi, nunc acerbo ſtipatur; nonnullæ erumpunt puſtulæ veſiculares e parte rubente & quaſi urticata; ac plerumque ſecedit epidermis. Contextum celluloſum, & ultra, attingit *media*, quæ atrociorem dolorem excitat, & graviorem phlogoſim accerſit: ſub hac ſpecie aduſta cutis exareſcit, & rigeſcit, ac pus dein conficitur. Ad altiora penetrat *tertia* ambuſtionis *ſpecies*; imo & ad ipſa oſſa pertingit; ſub qua cutis livida vel nigricans ſenſu plane orbatur, vel in eſcharam faceſſit; a cujus delapſu emergit ulcus profundum & putridum. Interea incandeſcit febris, atque ferociora ordiuntur ſymptomata; præſertim ſi lædantur nervi, tendines & ligamenta. Majorem, uti ſupra inculcavimus, ſævitiem exercet *fulminis ictus*, qui gangrænoſam labem obviis partibus infert; quo percuſſi ſyncope corripiuntur, vel plane ſuffocati, repentina morte abripiuntur.

Quamvis ambuſtionis ſpeciem reſpicere videntur repercutientia, demulcentia, reſolventia & digeſtiva: ſed delectu opus eſt habita ratione gradus & temporis; ſi tamen excipias vinum tepidum & aquam vitæ, tum ſimpliciſſimam, tum camphoratam; quæ indiſcriminatim, nec infauſte uſurpari ſolent: ſed hæc omnia ſigillatim pro inſtituto exhibere expedit. Itaque primæ vel *leviori* ambuſtionis *ſpeciei occurritur*, partis læſæ, ſi liceat, immerſione extemporanea in aquam frigidam, vel admoventur lintea hac imbuta, ſingulis horæ quadrantibus renovanda; qua ſcilicet humorum præpeditur defluxus: eamdem ferme opem præſtant lutum, albumen ovi, acetum, atramentum, &c. Nullum ſane eſt dubium quin rite ſuccedant hæc *repercutientia frigida*; ſed mirari profecto ſubit quod haud minori efficacia polleant remedia quæ contrarias ſane vires obtinent: pars enim læſa *igni vehementi*, quantum ægri ferre queunt, exponitur; vel in aquam calidiſſimam felici ſucceſſu immergitur. Opportune etiam admoventur aqua vitæ camphorata, vel Reginæ Hungariæ, cataplaſma e cepis contuſis, cui nonnulli addunt ſal & ſaponem, &c. ac multiplici experientia comprobantur hæc remedia; etſi invicem pugnare videntur. Utraque tamen a nonnullis poſthabentur; quibus magis arident *demulcentia*; unguentum nempe diapompholygos, nutritum & populeum, ceratum Galeni, aliaque id ſortis innumera, quæ etiam particulis igneis domandis apta ſunt.

Quod ad *ambuſtiones* medias vel *ſecundi ordinis* attinet, parum aut nil proficiunt repercutientia & reſolventia, quæ hinc a ſolertioribus & expertis abdicantur: ſed pluris habentur *emollientia*, demulcentia & *digeſtiva*; in quorum cenſum veniunt emulſio vulgatiſſima, cataplaſma de mica panis, aliudve emolliens; oleum roſatum, liliorum vel ovorum, unguentum nutritum vel baſilicum, ceratum Galeni, &c. quibus, ſi urgeant dolores, opium addere licet. Nec omittendæ ſunt adverſus hanc ambuſtionis ſpeciem, non ſecus ac ſub poſtrema, venæ ſectiones, ratione febris vel phlogoſeos gradus, plus minuſve repetendæ. Suam etiam opem conferunt diluentia & demulcentia interna, aliaque vulgatiora præſidia, quæ compeſcendæ ſanguinis & ſpirituum excandeſcentiæ apta nata cenſentur.

In uſum vocantur ad *poſtremam ambuſtionum claſſem* topica ſupra tradita, emollientia ſcilicet, digeſtiva & anodyna; quibus opportune nonnunquam ſociantur ſtyrax, ſpiritus vini camphoratus, cæteraque id genus *antiputrida*. Pars inſuper ſiderata ſcarificationibus impugnari ſolet: ulcus vero ab eſcharæ delapſu emergens, ſolita & vulgatiori methodo pertractatur. Sed ubi

ambuſtio oſſa attingit & ſphacelus latius propagatur, nulla ferme ſanationis affulget ſpes; ni incunctanter ad partis amputationem ſeſe accingat Chirurgus: alias late ſerpens gangræna, brevi viſcera impetit, & hinc ægros in orci fauces præcipites trahit.

Peculiarem curam ſibi vindicat *oculorum aduſtio*: præter enim iteratas venæ ſectiones, plurimum conferunt topica demulcentia; lac nempe muliebre, ſanguis tepidus columbæ, aqua ſperniolæ, roſarum & plantaginis, mucilagines ſeminum lini & pſyllii, pulpa pomorum coctorum, &c. quæ omnia cæteris faciei ambuſtionibus etiam proſunt. Sed ſi a conflagrato pulvere pyrio oriatur hæc *faciei deſœdatio*; danda eſt opera ut ſingula grana nigricantia acus beneficio extrahantur: alias poſthabita hac cautela ſtigmata manent indelebilia; ni remoto veſicatorio recruentetur vulnus, & abſolvatur hæc extractio. Poſtremo exquiſitioribus topicis antiputridis coercetur *fulminis labes*; cardiacis validioribus fugatur lipothymia & vires proſtratæ refocillantur: quibus reſtitutis de æſtu interaneorum ſæpius conqueruntur ægrotantes; quem reſtinguere queunt aqua ſucco limonum imprægnata, cæteraque refrigerantia & demulcentia, ſupra tradita.

GANGRÆNA EXTERNA.

OMnibus innoteſcit hæc ſolidorum *ad necroſim diſpoſitio*, qua calor nativus fere extinguitur; cujus indicia a partis colore fuſco, atro-livido vel nigro depromi ſolent. Sphacelus vel ſideratio audit hic partis tactæ ſtatus, e quo ad priſtinum nullus datur reditus; adeo ut calore & ſenſu plane orbetur & plerumque grave oleat: quod infortunium imminet, ſi gangræna certo doloris & ardoris gradu ſtipetur. *Gangræna*, alia eſt, ut inquiunt, *ſicca*, alia *humida*: ſub prima, magis ſane ominoſa, pars inodora rigeſcit, corneamque duritiem quaſi contrahit: humida minus periculoſa diſtinguitur ab humorum decubitu; *phlyctænis* ſero flavo turgeſcentibus & fœtore. Nonnunquam tamen occurrit gangræna utriuſque characteris particeps; vel alterutrum viciſſim induens: nec raro obſervatur gangræna unius cruris ſicca, dum humida ſe ſiſtit in alio. Hinc parum ratione indolis ab invicem diſcrepare prædictas ſpecies haud falſo inferre licet. *Gangræna* nunc *a cauſa interna*, vel quadam ſanguinis & humorum labe, progerminat; nunc externæ ſubmittitur: primam pariunt deficiens calor vitalis in ætate provecta, atrophia, paralyſi, &c. Hanc etiam promovent nonnulla venena; inter quæ numerandum granum illud infenſiſſimum, quod ſecale luxurians vocitant; quod ſcilicet degener & nigrum, inſolitam craſſitiem aſſequitur. Gangrænam denique poſt ſe trahunt ſcorbutus, lues venerea, febres peſtilentiales & malignæ, variolæ, inflammatio, eryſipelas, œdema, &c. Multiplex etiam eſt *cauſa externa* quæ gangrænam accerſit; morſus ſcilicet & punctura animalium venenatorum, vulnera, contuſiones, ambuſtio, frigus brumale, vincula arcte conſtricta, compreſſio diuturna, luxationes, fracturæ, &c.

Pars gangræna correpta livorem vel nigredinem contrahit: nunc rigida, uti jam innuimus, nullis prominentiis exaſperata animadvertitur; nunc mollis, e qua erumpunt *phlyctænæ*, ſe ſiſtit. Interea dolorem & æſtum in parte læſa, quibus conqueruntur ægrotantes, excipiunt ſenſus abolitio, vel integra *ſideratio*, qua cutis calore & vita orbata ſponte a ſubjacentibus carnibus ſeparatur & decidit; unde prodit ulcus ſanioſum, ſordidum & fœtens. Sub morbo a *pane ſecalino* pravæ notæ producto, in torporem quemdam incidunt ægri, cum ventre tumido: macies & debilitas pari paſſu incedunt: ſæviunt dolores in artubus frigidis; pulſuſque debilis exploratur. Manuum denique & pedum digitos invadit gangræna, quæ brevi altas radices agit, necroſimque accerſit. *Gangræna a frigore* ortum habens, ad quam prona ſunt extrema, manus nempe, pedes, naſus, lobi aurium, &c. brevi ſtupendum incrementum ſumit: pars tacta viciſſim pallet & rubet cum immani pruritu, vel dolore acutiſſimo; dein colorem violaceum vel nigrum induit, ſub quo gradu imminet partis ſideratæ prolapſus. Artuum ligamenta nonnunquam attingit & ſolvit hæc gangrænæ ſpecies; unde

de

de haud raro evenit, ut pes & ipsamet tibia, horrendo sane spectaculo, proprio pondere, non secus ac a vulnere cæsim facto, delabantur. Nec cæteris partibus parcit *frigus extremum*; quin potius totum corpus subito invadere potest, quod hinc rigiditatem contrahit; adeo ut nonnulli reperti fuerint, si historiis sit fides, hoc fato extincti pristinum situm servantes; milites scilicet armis instructi & quasi præliantes, equites haud dimissis habenis, &c.

Maximum portendit *periculum gangræna a prava humorum diathesi*, vel a sæcali virulento, soboleſcens; quæ hinc raro partibus internis parcit, sub qua nil proficit membri amputatio, cum hoc sublato in aliud ingruere soleat gangræna. Hanc ut plurimum præeunt febris vehemens, & dolores acutissimi. Primam perniciem infert in pedum digitos; altius dein serpens in alias partes propagatur: pulsus, tum temporis, obscurus & intermittens exploratur: caput exerunt anxietates, cardialgiæ, lipothymiæ, &c. Gangræna os & genitalia invadens summum terrorem incutit: *calamitosa* censetur in cruribus hydropicorum: pro lethifera demum habetur quæ ad musculos, ligamenta, periosteum, & ipsamet ossa pertingit. Minime reticendum quod primam in ossa sævitiem nonnunquam exerceat; intactis partibus externis, cujus phænomeni exemplum haud raro præbent lues venerea, spina ventosa, &c.

Quantocyus allaborandum ut gangrænæ rudimenta suis terminis coerceantur, ad quod opus varia præcipi solent *topica*; alliaria nempe & scordium, decoctum abrotani in aqua salsa, spiritus vini camphoratus sincerus, vel cum aqua calcis mixtus; tinctura myrrhæ & aloes, cui addere licet spiritum salis ammoniaci, styrax, unguentum Ægyptiacum, theriaca, &c. quæ omnia tanquam exquisitiora antiputrida, nemine reluctante, habentur. Insuper danda est opera ut eximatur pars siderata, cujus delapsum egregie promovent *scarificationes*, quæ etiam expectatissimæ puris confectioni favent. Sed aliam curandi methodum sibi vindicat *gangræna a frigore* horrido contracta; pars scilicet nive obducitur, vel linteis aqua frigidissima imbutis obvolvitur, aut in hanc immergitur: alias leves exercentur fictus cum prædictis materiebus: dein cum linteis calidis confricatur pars affecta, ut sensim incalescat; quæ postea aqua tepida fovetur, vel in hanc immergitur. Conferunt postremo fotus e vino quolibet aromatico parati; cui adjungere juvat spiritum vini camphoratum.

Nec posthabenda in quavis gangrænæ specie medicamina interna, quæ diversa & contraria, pro re nata præscribi solent. Opportune enim in pluribus exhibentur cardiaca & sudorifica; radix nempe chinæ & sarsæparillæ, salia volatilia, lilium Paracelsi, elixirium proprietatis, theriaca, aliave consimilia; quæ tamen exulare debent, si excandescat febris & sæviat interaneorum æstus: sub quibus circumstantiis conducunt aqua succo limonum impregnata, aliaque refrigerantia acida. Sed omnibus antiputridis internis palmam sane præripit *cortex peruvianus*, præsertim si gangræna a causa interna ortum mutuetur: ad drachmam seminis, quarta quaque hora exhiberi solet illud remedium; quod etiam enematis forma & congrua dosi injicitur; non secus ac in febrium intermittentium curatione. Nec vetatur illud *antiputridum* in ipsismet variolis, ubi in conspectu veniunt exanthemata gangrænosa; ni tamen obstent febris intensior, & quædam pectoris labes. Plura non addimus, cum de hoc argumento accuratissimum omnibusque notissimum conscripserit tractatum clariss. Quesnai, de re Medico-Chirurgica optime meritus.

SECTIO II.

DE MORBIS CAPITIS EXTERNIS.

CEPHALALGIA.

TOt cauſis autopſia anatomica inveſtigandis ſubmittuntur *dolores capitis*, ut minime mirari ſubeat, ſi multiplex ſit horum modus: etenim præter varios gradus, & diverſam ſedem; nunc pungentes, nunc lancinantes, vel dilaniantes, pulſantes, contundentes, preſſorii, gravativi, perterebrantes, ardentes, frigidi, &c. juxta ægrorum querelas exiſtimantur. Quandoquidem ægre ſæpius dignoſcatur in praxi, num *dolor* ſit *internus*, cerebro nempe, ejuſque involucris inſidens; aut *externus*, pericranio ſcilicet & tegumentis, ſinubus frontalibus & ſphenoidalibus incumbens; de utroque hic agere haud incongruum fore cogitavimus. Inter hæc diſcrimina diſtinguendus venit *dolor capitis idiopathicus*, cujus nempe cauſa inibi hæret, a *ſympathico*, ſtomachi ſcilicet, alteriuſve viſceris, labe ortum ducente; vel *ſymptomatico*, febris nimirum affectionis hypochondriacæ aut hyſtericæ, luis venereæ, ſcorbuti, arthritidis, &c. ſobole. Quanti enim ſit momenti hæc omnia, atra ſæpius caligine immerſa extricare nemo non videt. Inſuper *cephalalgia* audit hic dolor totum caput laceſſens: *hemicrania* nuncupatur, ſi dimidiam tantummodo partem capitis impetat: ubi vero intra anguſtiſſimum ſpatium continetur dolor, *clavi hyſterici* nomine inſignitur; etiamſi pluries accidat ut intra prædictos terminos coerceatur abſque nulla hyſteris ſuſpicione, quod apprime norunt practici. De *gravedine*, præcipuo coryzæ, & nonnullorum aliorum affectuum ſymptomate ſupra actum fuit. Huicce conſpectui generali addere juvat multifarios dolores capitis nunc eſſe *continuos*, ſed cum quibuſdam remiſſionibus; nunc *intermittentes*, qui ſcilicet ſtatis temporibus, vel inordinate recurrunt.

Evacuationes ſuppreſſæ, cutiſque efflorescentiæ repulſæ, improbæ mentis & corporis exercitationes, animi pathemata vehementiora, capitis contuſiones ab ictu vel lapſu ab alto, inſolatio, temulentia, venus immodica, vapor carbonum, cuparum, &c. ſunt totidem *cauſæ* quæ dolorem capitis promovere ſolent. Cephalalgiam nonnunquam concomitantur atrociora ſymptomata, febris nempe vehementior, inſultus comatoſi, apoplexia, lipothymiæ, delirium, fatuitas, convulſiones, &c. Hemicrania ſtomachum ſubvertere ſolet; ſed rarius pejora poſt ſe trahit ſymptomata. Eruptionem catameniorum, aliamve hæmorrhagiam nonnunquam prænuntiat dolor capitis; qui alias inter febrium intermittentium & malignarum, apoplexiæ, epilepſiæ, maniæ & delirii, ſurditatis & cæcitatis, &c. prodromos, jure numeratur. *Pertinaciores* cephalalgias nonnunquam ſolvunt ſanguinis vel puris e naribus, auribus & ore profluvium. Plures etiam hoc fauſto bearunt eventu vermes multifarii e naribus erumpentes. De verme ad ſex pollices accedente, e genere centipedum, per nares inter ſternutationem ejecto, poſt diuturnum & acerbiſſimum capitis dolorem mentionem ſubjicit LITTRE. Nullam fere curam, ſi palliativam excipias, admittit cephalalgia a vitio quodam organico orta: ſymptomatica vero, ſublato primario morbo, ſponte utplurimum evaneſcit. Periodica, etſi ſæpius pertinaciſſima, nil plerumque mali portendit. Dolorem poſtremo capitis difficilius domari in ſenectute, & ſequiori ſexu, experientia docet.

Secta cadavera exhibent arctiorem oſſium cranii nexum, vel ſuturarum obliterationem, totius pyxidis ſtupendam craſſitiem, depreſſionem, vel fracturam, exoſtoſes & cariem; oſſa, vel horum fragmenta, e ſede dimota; pericranium circa ſinciput craſſius; pediculos ſub hocce involucro; oſſa orbitæ mollia; exoſtoſes cerebrum comprimentes, &c. Vaſa meninges & cerebrum perreptantia, nunc ſanguine turgent, nunc flatu diſtenduntur; vel oſſeam

duri-

duritiem contraxerunt. Plexus choroideus palleſcens & inanitus, vel diſtentus & varicoſus conſpicitur. Dura meninx craſſiſſima & corrugata, necnon cartilaginea annotatur; vel cranio arctiſſime hærens. Invicem accreta, vel pure defœdata, gangrænoſa & putrida, obſervantur cerebri involucra: ac pia meninx craſſior, & nonnunquam flatibus quaſi tumida, vel humore quodam gelatinoſo obducta apparet. Cerebellum ſepimento oſſeo munitum haud raro in ſuo antro deliteſcit: eamdem etiam duritiem exhibent majores arteriarum trunci, falx, cæteræque duræ matris propagines; vel deprehenduntur oſſicula paſſim hiſce proceſſibus membranaceis adnata. Obvium fit cerebrum depreſſum, vel in ſe collapſum, ſeroſa colluvie imprægnatum; vel denſum, aridum & friabile. Occurrunt phlogoſes & purulentiæ fœtidiſſimæ, imo & putredines, tam in cerebri compage, quam in ejus involucris: pus etiam in ſinus frontales & ſphenoidales colligitur. Paſſim reperiuntur hydatides; tumores fungoſi, cyſtici & ſteatomatoſi, phlegmonodei & purulenti; tubercula, vel concretiones lapideæ; non ſecus ac ſtupenda glandulæ pinealis moles; quæ nonnunquam etiam lapidea deprehenditur. Viſendæ ſe præbent ſtaſes ſeri nunc limpidi, nunc gelatinoſi; colluviei nigræ & putris, ſanguineæ & purulentæ, tum in ventriculis, anfractibus & receſſibus cerebri; tum circa meninges; vel in ſinibus frontalibus & maxillaribus. Varia ſubjiciuntur exempla vermium multiformium, nidulantium, non ſolum in cavernulis oſſeis, variiſque narium receſſibus; ſed etiam in omnibus cerebri partibus. Oculis ſubjiciuntur gangræna & putredo, in ſingulis cerebri, cerebelli, horumque capſularum locis. Notare expedit ſæpius obſervari læſionem in parte oppoſita; poſt dolorem ſcilicet dextri lateris, labem reperiri in ſiniſtra parte: nec rara ſunt *conſenſus partium*, vel remotiſſimarum, exempla. Prolatis addere juvat cerebrum nonnunquam plane inculpatum haud raro deprehendi. De hydrargyro demum ſtagnante ad plures uncias in ventriculis, aliiſque inferioribus cerebri receſſibus, commemorant anatomici; non ſolum in his qui prius hydrargyroſi ſubmittebantur; ſed etiam in variis operariis qui hoc minerale pertractare ſolent: ut nil addam de ſkirrho & tuberculis pulmonum; de humore æruginoſo in ventriculo; de hepate duro, liene obſtructo, &c.

E ſupra habitis colligere datur arduam ſæpius eſſe doloris capitis *curationem*, ob innumeras ſcilicet cauſas, plerumque immedicabiles, quibus ſubjicitur; quæ atra caligine nonnunquam immerſæ clinicorum, vel ſolertiorum, indagini ſubtrahuntur: ni meris conjecturis illas aſſequi liceat; quod haud niſi poſt obitum, vel ſectionem cadaverum, dilucide patet. Sub hiſce anguſtiis ſoli generali methodo, pro opportunitate & circumſtantiis, ad varium ſcopum dirigendæ, inhærebimus. Itaque inter præſidia præſtantiora primatum ſane ducunt ſanguinis miſſiones e brachio, pede vel cervice: nulla mora celebrari debent, ſi dolor capitis ab inſolatione, a lapſu ab alto, aut quavis contuſione, aliove infortunio ortum ducat. Huc coincidit *arteriotomia*, quæ ad cephalalgiam pertinaciſſimam haud immerito deprædicatur. Nec minorem laudem merentur hirudines, tum podici, tum fronti, vel pone aures admotæ. Efficaciſſimam poſtremo eſſe jugularium ſectionem in dolore capitis febrili & acerbiore, multiplici experientia compertum habui. Depletis vaſis ſanguineis, digeſtionum organis proſpiciendum, non ſolum uſitatioribus evacuantibus, ſed etiam aliis præſidiis ad hoc opus uſurpari ſolitis.

Poſtea allaborandum ut reſtinguatur ſanguinis incandeſcentia, ejuſque moleculæ acriores obtundantur. Utramque opem præſtant *diluentia*, *demulcentia* & temperantia; potus nempe aqueus, juſcula pulli, vel carnis vitulinæ, ſerum lactis & emulſiones, &c. Aqua ſincera affatim vel pro omni alimonia hauſta hemicraniam, alioſque capitis dolores periodicos brevi fugare ſolet. Proficue nonnunquam adhibentur adverſus dolores capitis contumaciores *aperientia*, martialia nimirum, aſelli, aliaque id genus, ad obſtructiones quaſcumque referandas uſurpari ſolita. Quibuſdam etiam conferunt diaphoretica, quæ præcipue conducunt in hemicrania periodica;

dica; ut de antivenereis, antiſcorbuticis, aliiſque ſpecificis primario morbo dicatis, ſileamus. Haud improbantur anodyna, imo & hypnotica; nitrum ſcilicet, camphora, diaſcordium, ſyrupus de karabe, &c. etſi opem plerumque fugacem præſtant: haud tamen citra periculum adhiberi queunt narcotica ſub cephalalgia idiopathica. Plures juvant cephalica & antiſpaſmodica, inter quæ uſitatiora audiunt flores tiliæ & meliſſæ, betonica, valeriana & pæonia, ſuccinum, caſtoreum, pulvis de gutteta, ſalia volatilia, cinnabaris, &c. Nonnullis etiam prodeſt hauſtus thé, vel caffe: pluris demum habetur cortex peruvianus; adverſus dolores capitis periodicos. Sed hiſce omnibus incaſſum exploratis, ad lacticinia, vel aquas minerales, tam acidulas, quam martiales confugere ſolent clinici.

In ſubſidium vocari debent *remedia externa*, quæ haud raro præſentaneam opem ferunt. Inter præſtantiora recenſentur veſicatoria, capiti, dorſo vel cruribus impoſita: nec ſuis viribus defraudantur ſinapiſmi, iiſdem partibus admovendi: his ſane antecellunt ſetaceum per occipitis cutem trajectum, & cauterium cervici, dorſo vel cruribus inuſtum; quibus non modo conticent capitis dolores pertinaciores, ſed ſæpius etiam plane fugantur. Hunc nonnunquam habuiſſe exitum cephalalgiam, a fortuita aduſtione, nemo neſcit: hinc patent vires moxæ Sinenſium, quæ conflagrata cauterii actualis vices gerit. Inſuper ſuppetias ferunt balnea & pediluvia, fricus in cruribus celebrati, capitis irrigationes ab alto, & ipſimet fotus frigidi, huic parti admoti, ſi culpetur inſolatio. Præterea quibuſdam conferunt ſternutatoria, vapor camphoræ in ſpiritu cephalico ſolutæ, & ſuffitus e karabe. Nonnullis prodeſt admotio verbenæ, ſedi majoris, ſacculi ſale & mica panis repleti, goſſipii æthere vitriolico imbuti, &c. De cranii perterebratione, nonnullis ſane profutura, nil addimus; cum atra plerumque caligine involvantur ſupra tradita capitis vitia, quibus mederi potis eſſet.

INSOLATIO.

HOc nomine inſignitur hic graviſſimus capitis affectus, qui ab intenſiori radiorum ſolarium æſtu (*Coup de Soleil*) contrahitur: quæ cauſa, licet evidentiſſima, haud raro tamen fugit Medicos, qui ægrotantes, præſertim noſocomiorum, percontari gravantur. *Inſolatione tacti* de atrociſſimo capitis dolore, pulſativo vel gravativo, febre ſæpius vehementiori & ſiti inexplebili ſtipato, conqueruntur; qui etiam cerebrum intus concuti & convelli ſentire arbitrantur. Coruſcantes oculi flammei & ſicci dolent, lumenque refugiunt, atque tumentibus, vel phlogoſi tactis palpebris nonnunquam plane obturantur. In quibuſdam involuntarie ſubſilit caput. Plures in affectum comatoſum incidunt, & nonniſi ſumme perterriti expergiſcuntur: alii inſomnes ducunt noctes, & vigiliis perpetuis torquentur; his impendet delirium cum febre, furore & terrore: alias febris expertes, omniumque immemores, garruli deſipiunt. Nonnullos demum corripiunt inſultus convulſivi, vel artuum tremores. Interea cutis cranii & faciei ſole flagrantiſſimo quaſi aduſta, aridaque deprehenditur: nec raro ſuboriuntur tumores circa aures & in cervice. Inſuper vires proſternuntur; præſertim ab erumpentibus ſudoribus; urinæ minguntur flammeæ, vel ſaturate rubræ: ingruunt anxietates: emergit cibi faſtidium vel promovetur vomitus: quidam demum, non ſecus ac hydrophobi, potum averſantur.

Hæc omnia tamen *externum inſolationis gradum* reſpicere nemo non intelligit: a mitiori enim ſoboleſcunt coryza, capitis gravedo, vel dolor, periculi expers, anginæ, aliæve fluxiones catarrhales, de quibus alibi. Truculentior vero & *calamitoſus* eſt morbus, de quo in præſentiarum: hoc enim ingruente plures ſub dio ſtatim enecantur; præſertim temulenti, qui inter dormiendum ſoli ardenti, denudato capite, exponuntur: & hicce inſultus parum aut nihil diſcrepat ab apoplexia fortiſſima: in aliis ad plures dies, decem ſcilicet, & ultra, protelatur morbus.

bus. Ex insolatione ad extremum gradum devecta recreatos manent dolores capitis diuturniores & vix medicabiles: visus in quibusdam perturbatur, vel plane aboletur: nonnulli demum superstites, ad ultimam vitæ metam desipiunt. Insolationis periculum incurrunt viatores, rustici, tegularii, aliique operarii qui in aprico, dum ardet syrius, sibi demandata obeunt munia; adeo ut radiorum solarium verberatione diu submittantur. Idem impendet infortunium iis qui prope focum ardentissimum somno corripiuntur; cujus phænomeni exemplum in medium adduxit clariss. Tissot, de re medica bene meritus.

Lustrato capite insolatione denatorum, patent phlogoses, tum in cerebri involucris, tum in hujusce visceris substantia. Vasa alteram meningem irrigantia nigro, torridoque sanguine turgent, ac nonnunquam dilacerantur; adeo ut profundatur latex coccineus, qui tum, craino serra orbiculatim secto, majori copia effluit. Dirutis cerebri involucris, in conspectum veniunt hydatides in plexu choroideo, tumores phlegmonodei, exulcerationes & purulentiæ, diversam sedem habentes: pus nonnunquam proprio folliculo concluditur; alias extra suum receptaculum profusum, viciniores partes inquinat; ipsisque summam labem infert. Reperiuntur fœdissimæ putredines & sideratione, circa cerebri ambitum frequentiores. Ventriculi sero cruento, vel ipsomet sanguine, ut plurimum congrumato, scatent; qui alias materiam sæculentam recondunt. Annotantur postremo in basi cranii ossa carie læsa a corrodente tabo; quod hinc exitum per os, nares & aures sibi parabat, uti pluries observatur in praxi.

Eo collimandum, ut restinguatur sanguinis æstus, & in hoc versatur *curationis* momentum, quæ alias simplicioribus peragitur. Equidem venæ sectiones, & refrigerantia intus sumpta, vel extus admota omnem implent paginam. Illico igitur tundatur vena, & pro symptomatum vehementia pluries iteretur hæc evacuatio; cujus præsidio, sensorio communi prospicitur, & urgentiori obtemperatur. Rite depletis vasis ad pediluvia, semicupia vel balnea vix tepida incunctanter devenire expedit. Suam etiam opem conferunt enemata emollientia, & refrigerantia. Interea ingurgitantur ægri aqua aceto vel succo limonum impregnata; sero lactis, emulsionibus, &c. Nonnullis prodest decoctum tamarindorum, ubi præsertim de pravis digestionum reliquiis est suspicio. Fauste insuper admoventur capiti, fronti & temporibus fotus ex aqua frigida, cui tantillum aceti immiscetur, parati. In similem etiam usum veniunt succi portulacæ, lactucæ & verbenæ, qui sane suas laudes merentur. Profuerunt postremo balnea frigida pluribus qui pro deploratis habebantur: ac forte in re urgentissima, sibi par non habet hoc remedium; quod tamen nusquam usurpare licet, ni prius vasa probe depleantur.

Ubique occurrunt mulierculæ quæ solem intra cerebrum sævientem foras expellere sibi persuaserunt; poculum scilicet aqua repletum, quocumque panno coopertum & inversum vertici admovendo; adeo ut aqua pannum trajiciens sensim effluat, ac caput madefaciat; quo fit, ut aeris moleculæ, quæ propria & notissima vi ad locum vacuum nituntur, sub bullarum forma superiora petant, & liquorem, quasi ebullientem, subagitare videantur; quam motionem pro sole sursum ablato habet insulsa plebecula. Hanc operationem ludibrio pluries vertere haud gravatus sum; illum scilicet commentitium solem extrahendo, simili arte, haud citra adstantium admirationem e capite ligneo, aliove quolibet corpore obvio. Haud tamen plane inutilis hæc est inepta operatio quæ fotus aquei vires obtinet.

CAPITIS CONTUSIO.

A Casu ab alto, aliisque gravioribus capitis ictibus, concutitur, & intra pyxidem osseam *repercutitur cerebri massa*; hinc labes quæ *commotio* audit, ob procellosa quæ post se trahit symptomata, summe reformidanda. Sæpissime confringuntur cranii ossa, nunc sub ipsamet parte contusa, nunc in parte opposita, alibive: aut tantummodo deprimuntur, si quamdam flexilitatem servent, ut in juvenili

venili ætate & peculiaris corporis disposi-tione. Alias nulla detegitur fractura, nec depressio; quod sane, cæteris paribus, magis ominosum jure censetur.

Variis signis se profert cerebri commotio; vomitu nempe, hæmorrhagia narium, oris & aurium, ophthalmia vel visus obtenebratione, tinnitu aurium, aphonia, syncope, sopore lethargico, vel apoplexia, paralysi vel partium torpore, urinæ incontinentia, vel alvi involutaria solutione, febre & delirio, convulsionibus, &c. Sed haud semper illico se produnt prædicta signa, vel symptomata; quæ sæpius haud nisi quarto, septimove morbi die, vel tardius in propatulum veniunt: e quorum conspectu jure conjicitur sanguinem a disruptis vasis, in quacumque cerebri parte stagnare; hoc viscus inflammatione corripi, vel purulentia & putredine labefactari, ac postremo ejus involucra fragmentis osseis lacessi. Fertur dolorem a forti maxillæ inferioris adductione emergentem, *fracturam cranii* arguere: sed hoc infortunium, uti pluries observavi, minime patefacit hæc periclitatio, si a musculorum temporalium ortu distet fractura, quæ tum sola ossis denudatione, solitisque stylli explorantibus innotescere valet. Notare expedit circa hanc indaginem, futuras Wormianas passim occurrentes pro fractura nonnunquam ab incautis haberi, nec ab hoc errore se immunem fuisse fatetur Hippocrates. Quod ad cranii depressionem attinet, tactu & visu facile dignoscitur. Ecchymosis, phlogosis, vel ipsummet vulnus, nil certi arguunt de commotione & fractura; cum sæpe sæpius accidat ut sartum tectum sit cranium, cum maxima tegumentorum dilaniatione; vel ossa confrigantur illibata cute. Purulentiam serius ocyus post se trahere solent fractura cranii & cerebri commotio; circa quam notare expedit, pus tertio a casu ab alto die nonnunquam confici, quod forte inauditum, inter lustranda cadavera, haud raro observasse memini.

Variam stragem, quæ sæpius latuerat, exhibet *autopsia anatomica*; multiformes nempe ossium fracturas & depressiones, perturbatas horum connexiones, ac demum stasim materiæ cujusdam gelatinosæ, sub cute contusa latitantis. Fractura, uti jam innuimus, haud semper occurrit in parte collisa, sed sæpius in opposita, alterave: nec immunia sunt ossa in pyxidis basi sita, sphenoideum nempe, petrosum, &c. interna ossium tabula nonnunquam confracta observatur; inculpata externa, vel vice versa. Obvia fiunt vasa sanguinea ultra modum repleta, plexusque choroides corpusculis rubellis refertissimus. Dura meninx atro-rubens & lacera deprehenditur, cum scrobe cerebro impressa. Patet cerebrum lympha gelatinosa obsitum, nunc mollius & pultaceum, nunc firmius, quasi elixum fuisset. Crebro occurrunt sanguinis stases, non solum inter cranium & meninges, sed etiam in cerebri ventriculis, aliisve recessibus, qui etiam serosam colluviem, plerumque subcruentam, vel loturæ carnium similem recondunt. Passim insuper annotantur phlogoses, gangrænæ & putredines, tam in ipso cerebro, quam in ejus involucris: ossa demum carie sæpius læduntur. Mirum sane has defœdationes haud raro observari, etiamsi integra cutis nihil vitii præ se ferat. Coronidis loco addere licet nonnunquam reperiri abscessus in hepate; quos a metastasi oriri pronum est credere.

E præfatis colligitur *grave periculum* portendere *capitis contusiones*. Intra quadraginta dierum spatium se prodere solent enumerata signa, vel ingruunt procellosa symptomata quæ morbi sævitiem denuntiant: rarissime tardius se proferunt. Neminem physicum latet ratio, qua fit ut capitis contusiones cum ossium depressione & fractura minus sint ominosæ, quam si ossa, cæteris paribus, illæsa deprehendantur. Silentio minime prætermittendum, quod commotionem etiam sæpius patiatur cerebrum ab ictu corporis mollis, culcitræ nempe laneæ, stramentorum fascis, aliorumque id genus ex alto decidentium: imo & mentio subjicitur de cerebri commotione ab inflicto colapho, a sola corporis concussione, &c.

Larga manu statim *mittendus est sanguis* e brachio, pede & cervice: postea primarum viarum evacuationi, cæteris consentientibus, prospiciendum, & libera servetur alvus. Interea præscribi solent diaphoretica & vulneraria, inter quæ plurimum

mum deprædicatur ſuccus cerefolii & pimpinellæ in vino albo. Nec poſthabenda remedia externa, inter quæ commendatur petroſelinum in aqua vulneraria contuſum, & parti læſæ admotum. Fovetur caput cum decocto ſalviæ, ſtœchados, lavandulæ, & roſarum rubrarum ex vino albo: e quibus herbis, non ſecus ac aliis aromaticis & cephalicis etiam parantur ſacculi, vel cataplaſmata capiti imponenda. Cæterum fauſte admoveri queunt veſicatoria, ubi urget affectus comatoſus: ſuam quoque opem conferunt ſetaceum, cauterium, aliaque adminicula adverſus apoplexiam & paralyſim uſurpari ſolita.

Ubi denudatum & integrum cranium conſpicitur; ejus exfoliatio promoveri debet; os ſcilicet terebella ad hoc opus congrua, pluribus in locis leviter forando. Si vero occurrat fractura; neceſſum eſt ut detegatur dura meninx, quamdam pyxidis portionem auferendo cum terebella, ſerra circulari inſtructa, ut ſanguini inibi ſtagnanti exitus concedatur; ac eximantur fragmenta vel ſpicula oſſea, quæ duram matrem laceſſendo, phlogoſim & purulentiam accerſere, vel atrociora ſymptomata concitare queunt. Oſſe naturæ viribus redintegrato, danda eſt opera ut perioſteo cooperiatur, cujus novæ progerminationi favere dicitur ſolutio maſtiches in ſpiritu vini. Poſtremo capitis vulnera, nemine practico refragante, raro ſunt detegenda ni cogat plus æquo luxurians materia purulenta vel ſanioſa. Non ſolum enim pertimeſcendus eſt aeris contactus, ſed etiam humectantia & oleoſa pro nocivis habentur. Plura de re mere Chirurgica nil addimus, ne falcem in alienam meſſem immiſiſſe videamur.

PAROTIS.

HOc nomine inſignitur glandulæ cognominis infarctus, vel tumor qui diverſam obtinet indolem; unde *duplex* emergit *parotidum genus*. *Primæ* ſcilicet inter ſymptomata febrium acutarum, ac præſertim peſtilentialium & malignarum numerantur. *Secundæ* morbos chronicos, ſcrophulas nempe, luem veneream, &c. reſpiciunt. Quibus addere licet *tertiam* parotidis *ſpeciem*, quæ neutri cauſæ ſubmittitur; ſed leviorem & fugacem admittit: qualis eſt quædam *parotis ſpuria*, vernacule *les oreillons*; quæ juvenes invadere ſolet, ac non ſolum glandulis parotidibus, ſed etiam maxillaribus inſidet.

Parotides primæ claſſis, vel ſub morbis acutis erumpentes: plerumque phlegmonodeæ occurrunt, & ad ſuppurationem vergunt: has prænuntiant vultus flammeus, dolor capitis gravativus & ſurditas. Pro molimine critico haberi ſolent, ſi accedat ſymptomatum remiſſio: ſed ſæpius dolore æſtuoſo ſtipatæ, lividæ & ſuppurationis neſciæ grave curantibus faceſſunt negotium; vel morbi ſuperſtites ægrorum ærumnas protrahunt: ſed majorem terrorem incutit harum ſubitaneus retroceſſus. *Parotides ſecundi ordinis*, vel affectuum chronicorum progenies; œdematis vel ſcirrhi utplurimum participes, pertinaciſſimæ audiunt, & maturantibus vel exquiſitioribus raro morem gerunt. *Parotides tertiæ claſſis*, fugaces & periculi plane expertes a ſimplici humorum defluxu ortæ, brevi reſolutione evaneſcunt; rariuſque in ſuppuratum abeunt; ni tamen cuicumque metaſtaſi, vel capitis contuſioni ſubmittantur. Nullo ſymptomate graviori ſtipantur, quæ juvenes invadere ſolent; ſed deglutitionem nonnunquam leviter impediunt, & hinc a pluribus pro *angina notha* habentur. Raro obſervatur hæc parotidis ſpecies in Galliæ tractibus Septemtrionalibus; ſed familiariſſime occurrit apud Narbonenſes & Gallo-Provinciales; quibus levior ſub nomine *gales* innoteſcit; ac gravior *cournudos* audit.

Parum diſcrepat *curatio parotidum* ab ea quæ ad bubones reſpicit: ſed neminem latet primarum purulentiam difficilius promoveri. Itaque ubi erumpunt *parotides ſub febribus* mali moris, nuſquam tentanda eſt reſolutio; quin potius nil non movendum ut ſolitum incrementum capeſſant & in ſuppuratum abeant: quibus haud rite ſuccedentibus, ad ſectionem vel cauſticum devenire licet, quorum beneficio ſenſim concitatur ſuppuratio; quæ tandiu protelari debet, quandiu infarcti & præduri ſe præbent acini glanduloſi. *Topica* contra *reſolventia* congruunt *parotidibus*

chronicis; quibus incaſſum adhibitis, ad emollientia & maturantia; imo & ad cauſtica confugere expedit. Sed ſub hac ſpecie præcipuus curationis cardo verſatur circa remedia interna, lui venereæ, ſcrophulis, alterive ſanguinis labi, dicata: ubi vero cancri naturam redolent, peculiarem curam jam traditam ſibi vindicant. Quod ad *tertiam parotidum ſpeciem*, vel mitiorem attinet; recta ſervata vivendi ratione, ſponte ut plurimum curantur: nonnunquam tamen conducit venæ ſectio: ſed nulla alia expoſtulat remedia, ni ad purulentiam vergat; quam notiſſimis auxiliis tum juvare expedit: ac demum pus confectum mature evacuari debet; ne foveas ſibi cudat & ad pectus irruat; quod nonnunquam accidiſſe teſtantur primi ſubſellii Auctores.

BRONCHOCELE.

SIc vocitatur *tumor* cuti concolor, & peculiari *folliculo inſtructus*, mobilis & indolens; qui in parte antica cervicis ſitus, herniæ inſtar gutturis, tracheæ adjacet. *Gouetre* vernacule audit hæc intumeſcentia, quæ non ſecus ac congeneres, nunc carnes fungoſas & hebetes; nunc materiam melli, ſebo vel pulti ſimilem; rarius vero aqueam recondit; ut de corporibus cartilagineis, oſſeis, lapideis, vel cretaceis, &c. quæ etiam inibi includuntur, ſileamus. Ad melonis molem accedens dextra lævaque, forma utplurimum regulari, extenditur: ſed ſæpius in immenſum creſcit, imo & quandoque ad umbilicum uſque protendens, ſtupendam & portentoſam magnitudinem aſſequitur. Alpium, aliarumque montoſarum regionum incolis familiariſſima eſt bronchocele, de qua parum curant, imo & nonnullis tractibus, ſi peregrinatoribus ſit fides, pro corporis venuſtate habetur.

Periculi expers cenſetur bronchocele mole & pondere tantummodo moleſta, ni phlogoſi corripiatur & ad ſuppurationem vergat, vel præpoſtera medicatione cancri naturam induat. A majori tamen ejus mole nonnunquam comprimuntur trachea & œſophagus; hinc quædam emergit reſpirationis & deglutitionis difficultas, qua nonnulli conqueruntur ægri. Inſuper rite diſtinguendi veniunt tumores ſcrophuloſi, renitentiores & ambitu inæquali donati, cervicis glandulis vel ipſimet thyroidi inſidentes, & ſubjacentes cartilagines erodentes, a bronchocele molli & formæ regularis, ac nullum incommodum poſt ſe trahente. Nec ad prædictum tumorem referri debent protuberantiæ cyſticæ diverſæ magnitudinis ex occipitio, vel poſtica cervicis parte propendentes, quæ parum aut nil diſcrepant ab hiſce tumoribus tunicatis cranio hærentibus, cariem oſſium plerumque accerſentibus, quas *talpas*, *topinarias* vocarunt latino-barbari: circa quas notare expedit nonnunquam occurrere capitis prominentias quæ primo intuitu tumorum cyſticorum faciem præ ſe ferunt: nec innoteſcit horum indoles, ni ſectione in apricum veniat ipſamet cerebri ſubſtantia, qua replentur: notum eſt *hanc herniæ ſpeciem* haud raro obſervari in infantibus; ſed rarius in adultis.

Quod ad *medelam* bronchoceles ſpectat; haud alia eſt ineunda, quam ſub genuinis lupiis: diaphoretica ſcilicet, diuretica, aperientia & incidentia, præmiſſis generalibus, præſcribi queunt. Sed inanem operam ludere ſolent prædicta remedia. A nonnullis decantantur ſpongia marina, & ſpongiola roſæ ſylveſtris, calcinatæ; alumen, ſal prunellæ, ſapones, acetum ſcilliticum, aliaque remedia interna, de quibus ad nauſeam apud Auctores; ſed refragatur experientia. Cæteris præſtare videtur aqua marina, quæ præmiſſis præmittendis ad cyathum unum mane ſingulis diebus propinatur, per unum aut alterum menſem; tumorem interea eadem aqua crebro fovendo. Cæterum nonnullas vires obtinent, ineunte morbo, topica reſolventia ſupra tradita; quæ jam adulto incaſſum admoventur. Nonnulli hunc tumorem cauſticis aggrediuntur, nec infelici ſucceſſu, dummodo certis cancellis contineatur: ſed exulare debet illud præſidium, ſi in ingentem molem accreverit tumor, ut ſileamus de ulcere fiſtuloſo, quod ſæpius poſt ſe trahit hic curandi modus. Nec minus periculoſa cenſeri debet extirpatio, ob viciniora vaſa, proximioreſque nervos; e quorum vulneratione lethalia in-

insurgere queunt symptomata. Ex hinc colligitur satius fore, inter has ambages, ab omni curatione abstinere, & huic consilio omnes fere adstipulantur ægri.

GUTTA ROSACEA.

HOc absonum sortitur nomen hæc *cutis faciei efflorescentia* chronica, variis tuberculis, papulis, vel pustulis phlogodeis, squamosis, vel ulcerosis, exasperata. Æstu & doloribus lancinantibus molesta sæpius evadit hæc cutis defœdatio, quæ vernacule audit *visage couperose*: alias *boutons*, *bourgeons*, &c. Stipato sæpius agmine rubentem faciem obsident & deturpant prædictæ papulæ, & ita prominent ut vultus horrendus videatur: adde quod sanguis nonnunquam exudat e venis supra modum tumentibus & varicosis: ac nasus variis tuberculis horridus portentosam magnitudinem sæpius assequitur.

Abstemios rarissime adoritur gutta rosacea: sed crebro *invadit* poculis indulgentes. A prava tamen sanguinis diathesi, scorbutica nempe, venerea, herpetica, &c. ortum quandoque mutuatur. Ægre evincitur hic morbus, ni in ipsis quasi incunabulis præfocetur: ubi vero jam altas egit radices, præsertim in ætate provecta omnibus remediis obsurdescit. Incassum etiam expugnatur, si cujuscumque sanguinis labis sit particeps, ni prius eradicetur primaria causa. Hinc patet unde inveterascens hic morbus nullis telis domari patiatur, & curam palliativam, a quacumque causa soboleſcat, duntaxat admittat. Præterea haud citra maximum periculum hunc radicitus evellere licet; cum hanc intempestivam & spuriam curationem brevi excipiant febris, & cujuscumque visceris infarctus; quod testantur oculatiores practici, & observasse memini.

Ubi igitur sub hocce morbo incipiente, vel nondum adulto quædam *curationis* spes affulget; præmissis venæ sectionibus & blandioribus catharticis, diluentia & temperantia primo sunt præscribenda; cichorium nempe, borrago, pimpinella, acetosa, herbæ capillares & lingua cervina; emulsiones, serum lactis & ipsummet lac, &c. Post debitum horumce remediorum usum ad depurantia & aperientia devenire licet; id genus sunt fumaria, lapathum, asparagus, & rubia tinctorum; nitrum, martialia, cremor tartari, asselli & cancri fluviatiles; quibus addere licet remedia e vipera deprompta & antimonialia; cinnabarim nempe antimonii, antihecticum Poterii, &c. Sub quorum administratione cavendum, protracto temperantium usu, ne sanguis plus æquo excandescat. Eadem adhibita cautela, opportune nonnunquam exhiberi queunt ipsamet mercurialia; aquila alba nimirum, æthiops mineralis, &c. Nonnullis pro re nata opitulantur absorbentia. Nec posthabendæ aquæ minerales, frigidæ & thermales pro opportunitate seligendæ, quæ curationem sub hocce affectu, non secus ac in aliis morbis chronicis sæpissime claudunt.

Quamdam opem præstant *topica* demulcentia & refrigerantia, aqua nempe sperniolæ & nymphææ, mucagines, cremor lactis, olea amygdalarum dulcium, seminum frigidorum & papaveris albi; succus limonum, ceratum cum spermate ceti, &c. Suis viribus etiam pollent resolventia & exsiccantia; aqua scilicet florum sambuci, sal & oleum tartari, saccharum saturni, lac, ut inquiunt, virginale, camphora, lithargyrus, cerussa, alumen, sulphur & hydrargyrus; e quibus parantur lotiones, linimenta, pomata, &c. quæ tamen nusquam adhiberi debent; ni prius sanguis supra traditis remediis attemperetur, ejusque crasis emendetur, & obstructiones referentur. Insuper inter efficaciora præsidia jure recensentur balnea, quæ sanguinis fervorem egregie reprimunt. Quoddam ferre queunt auxilium hirudines vasis vicinioribus admotæ: nonnunquam etiam conducunt vesicatoria, setacea, & cauteria tum occipiti, tum cruribus inusta; dummodo causa fovens morbum prius extirpetur. Si demum recensitis cujusvis sortis remediis morem gerat, præter spem, hic affectus; danda est opera ut præcaveatur reditus, non solum accurata victus ratione; sed etiam medicamenta supra tradita identidem repetendo.

Notare juvat, priusquam manum e tabula amoveamus, quod ad guttam rosaceam minime referri debeant hæ *faciei*

puſtulæ quæ *a pravis digeſtionibus* ſoboleſcere ſolent; quarum indolem produnt flatulentia, ructus acidi, cardialgia vel dolores ſtomachi gravativi, colici dolores, &c. Ideo huic eruptioni medentur, qui primis viis per notiſſima auxilia proſpiciunt; inter quæ præmiſſis præmittendis, plurimum decantatur corticis peruviani infuſum vinoſum. A gutta roſacea etiam diſcrepant hæc *faciei tubercula*, pus circa apicem conſpicuum conficientia, quæ *vari*, & apud Noſtrates *Saphirs* audiunt; quibus obnoxii ſunt utriuſque ſexus juvenes, temperamento ſanguineo prædíti & florido corporis habitu gaudentes. Sed a quodam ſanguinis viru, plerumque venereo, ſoboleſcunt; quo poſthabito exacerbantur & latius diſperguntur prædicta tubercula: adeo ut quamdam lepræ ſpeciem ſæpius referant. Ubi a ſanguinis æſtu proſapiam ducunt; demulcentibus, temperantibus & refrigerantibus, reſtinguendus venit: ſi vero pravæ ſanguinis diatheſi ſubmittantur, remediis ſpecificis expugnari debent.

MORBI OCULORUM.

LAtiori & *inſulſæ nomenclaturæ* indulſerunt varii Auctores, qui Græcis plus æquo addicti ſua ſcripta, ad meram forte oſtentationem, obſcurarunt. Sed de hacce diſcendi methodo, quæ ſuperfluam & inanem potius, quam genuinam doctrinam ſapit, parum curant ſaniores practici; qui partis fabricam, ejuſque variarum læſionum indolem apprime callentes juxta ſancitas naturæ leges, quemvis obvium oculorum affectum pertractare ſolent; nec infelici ſucceſſu. Ideo ex hacce numeroſa morborum cohorte, qua turgent libri, miſſis variis illius organi affectibus cum reliquis partibus communibus, frequentiores duntaxat & curam medicam expoſtulantes tradere conſultius nobis viſum fuit; quibus apprime notis, dilucide patebit aliorum indoles. Quapropter de hac re dicenda paucis pro inſtituti ratione complectemur; a palpebrarum vitiis initium faciendo; ne tot futilibus & ineptis differentiis inhærendo, in immenſum creſcat pagina.

(1) *Palpebrarum coalitus* multiplex cenſeri debet: is familiariſſime occurrit qui a diverſis ophthalmiis pendet, vel a materia lemarum mucoſa, purulenta, ſanioſa & ichoroſa e limbo palpebrarum exudante; quæ inter ſomnum, vel quieſcentibus hiſce partibus exſiccatur: hinc palpebrarum agglutinatio, vel coalitio nocturna gramioſis familiaris; quæ facili marte ſolvitur & medentis opem raro efflagitat. Sed grave ſæpius faceſſit negotium palpebrarum adhæſio inter ſe, vel cum cornea & adnata, ob mutuam exulcerationem poſt variolas, ophthalmias graviores, ambuſtionem, ulcus tunicæ adnatæ, &c. eo quod palpebræ ipſi oculorum bulbo ita connectuntur, ut ægre dimoveri patiantur; etſi præmiſſis remediis generalibus, præſtantiora admoventur emollientia: adeo ut citra diſſectionem ſeparari nequeant connexæ, & accretæ partes; quæ operatio ingentem chirurgi ſolertiam & dexteritatem expetit.

(2) *Lapſus palpebræ ſuperioris*, quo fit ut oculi vix aperiri valeant, vel perpetuo claudantur; a fibrarum ſcilicet nimia laxitate, vel a denegato motu muſculi attollentis, cauſam utplurimum internam & contumaciſſimam agnoſcit. Topicis ſtimulantibus & roborantibus impugnari ſolet hic affectus; oleo ſcilicet cinnamomi & caryophyllorum, ſpiritu vini camphorato, aqua Reginæ Hungariæ, aqua calcis, &c. Nonnunquam conferunt vapor vini aromatici, irrigationes & embrocationes cum aquis thermalibus, &c. Nonnulli cutem palpebræ, arte rugatam & plicatam ſauciant; & dein vulneris labra conſuunt, ut peracta cicatrice abbrevietur hic proceſſus; nec deſpicienda eſt hæc methodus, cæteris incaſſum tentatis. Sed præcipuam opem præſtant medicamina interna, quæ verſantur circa cathartica, identidem repetita, diuretica & ſudorifica; inter quæ primatum ducunt decocta e lignis & radicibus exoticis parata; non ſecus ac juſcula viperina, quæ forte omnibus palmam præripiunt.

(3) *Palpebrarum inverſio*, noſtratibus *œil eraille*, qua interna harum facies extra limbum protenditur, atque ægre connivere queunt prædicti proceſſus, a duplici cauſa pendere videtur; nimirum a cu-

cutis palpebrarum decurtatione, ob cicatricem poſt vulnus, ambuſtionem, anthracem, &c. Vel a peculiari infarctu tunicæ adnatæ palpebras inveſtientis; quæ hinc aſpera & intumeſcens, carnis rubentis inſtar extus prominet. Palpebrarum inverſio a prima cauſa plane immedicabilis cenſetur, quæ vero alteri ſubmittitur, opportunis remediis evinci poteſt. Explorantur primo topica exſiccantia, tuthia nempe, lapis hæmatites, alumen uſtum, vitriolum album, &c. Quibus nil proficientibus ad cathæretica devenire licet; ad lapidem ſcilicet cauſticum, vel ipſummet infernalem; quo ſuccreſcentes carnes, pro more, attinguntur: ſed haud niſi ſumma cautela admoveri debet hoc præſidium, ne acceſſatur phlogoſis. Nonnulli carnes luxuriantes forficularum ope eximunt; nec infauſte; dummodo ſolerti manu hæc peragatur operatio.

Contrariam inflexionem, verſus nempe interiora, nonnunquam ſubit limbus palpebrarum, qua fit ut pili ciliares, ſuis extremis apicibus ſubjectas partes pungendo & vellicando, ſummam moleſtiam creent. An a nimio humorum decubitu, vel peculiari vitio organico ſoboleſcat hic affectus, brevitati ſtudentes, non inquiremus. Nec dilucidius patet hunc curandi methodus: parum proficiunt decocta adſtringentia quibus foveri ſolet palpebra: efficacius videtur emplaſtrum tenaciſſimum fronti & palpebræ admotum, ut ejus poſtremæ prolapſus inhibeatur: ſed raro ſuccedunt hæc præſidia: nec feliciorem habet exitum ciliorum evulſio; ni bulbus cum pilo ſimul eradicetur; alias brevi erumpens rigidior pilus, fævius pungit. Sunt qui retinaculo ferreo palpebræ elevationem tentant; quod citra dolorem, cui ferendo impares ſunt ægri, nuſquam peragi poteſt. Alii cutem plicatam palpebræ ſcindendam eſſe volunt, vulnere a cantho majori ad minorem protracto; ut ſcilicet propius adductis vulneris labris, cicatrice contrahatur palpebra, non ſecus ac in ejus prolapſu, uti ſupra expoſuimus: quæ operatio ſolerti manu peracta plures fauſto beavit eventu.

(4) *Tuberculis indolentibus* & tunicatis ſæpius infeſtantur palpebræ. A receptaculis ſebaceis forte orta hæc tubercula, & prope limbum palpebrarum erumpentia, diverſam faciem præ ſe ferunt, qua ſua ſortiuntur nomina. *Morum* nempe vocitatur illud tuberculum lividum, vel colore atro-cæruleo præditum. *Hordeolum*, noſtratibus *Orgeolet* audit, quod grani hordei formam & molem aſſequitur. *Grando*, GRELE, dicitur ubi albicans, & ſub forma orbiculari ſe profert. *Lithiaſis*, GRAVELLE, nuncupatur ob duritiem quam contrahit. *Hydatidis* demum nomen ſortitur ob conſpicuam pelluciditatem, ab inibi ſtagnante lympha ortam: rite tamen diſtinguendæ hydatides a phlyctænis etiam diaphanis, ſed fugacibus, palpebras ſæpius obſidentibus; & veſicarum ab aquæ ferventis ambuſtione emergentium faciem referentibus; quæ toto cœlo a prioribus diſcrepant. Parum aut nil proficitur per diſcutientia & reſolventia vulgatiora, quæ prima fronte hiſce domandis tuberculis magis apta nata videntur: ſed nonnunquam prodeſt ſaliva, jejuno ventriculo, cum fricta admota, præcipue ſi recens ſit tuberculum. Quamdam opem conferre queunt aqua vitæ, vel vulneraria, balſamum Fioraventi, vel Commendatoris, aliaque conſimilia. Nonnullis arridet granum paſſulæ exacinatum, pulpa mali cocti, aliaque emollientia; quibus ad ſuppurationem quandoque coguntur hæc tubercula. Ab aliis decantantur gummi ammoniacum in aceto ſolutum, emplaſtrum diabotanum, de meliloto, Abbatis DE GRACE; aliaque innumera ab inſcia plebe comprobata, quæ parvi habent ſolertiores practici; præſertim ſi jam vetuſtate occalluerint horum tumorum tunicæ.

Sunt qui hanc *curationem* aggrediuntur cauſticis vulgatioribus, vel ipſomet lapide infernali: ſed haud tuto hæc adhibentur auxilia, quæ viciniores partes exquiſitiſſimo ſenſu donatas, lædere queunt. Nil vero, aut parum metuendum a ſimplici ſectione, qua fiat humoris congeſti effuſio; vel corporis concreti extractio: ſed tamen imminet reditus. Tutius ſane quidem per inſtrumentum congruum extirpantur, aut enucleantur, ut integra fiat *folliculi avulſio*: felicius poſtremo adhibetur ligatura, ſi ſinat baſis. Alias conſultius vi-

videtur ab omni curatione abſtinere, cum plerumque citra incommodum geſtentur prædicta tubercula, quæ inſuper ſpontaneo naturæ motu haud raro phlogoſi corripiuntur, & in purulentiam abeunt; qua ſi abſumatur folliculus, integra fit curatio; ſed ubi ſuperſtes evadit, iterum prógerminatur tuberculum. De *verrucis* palpebris familiariſſimis nil addimus, cum a cæteris minime diſcrepent, nec diſſimilem curam efflagitent.

(5) *Sarcoma* vel *pterygium*, oculos obſidens, e tunica adnata, bulbi partem conſpicuam obveſtiente, & interiores palpebras obducente, producitur. Hæc protuberantia ſeſſilis & depreſſa in majori oculi cantho ſitum habens, e quo uſque ad corneam protendi ſolet, ob peculiarem quam obtinet formam *unguis* audit, & noſtratibus *onglet*. Vaſis varicoſis nonnunquam exaſperatur hæc ſarcoſeos ſpecies, cancrique naturam redolet: hinc minime mirum, ſi omnibus remediis plerumque obſurdeſcat. Nihilominus a generalibus, nimirum venæ ſectione, catharticis, temperantibus & refrigerantibus, auſpicanda eſt curatio. Dein explorari debent reſolventia topica, urina nempe tepida, aqua florum ſambuci, fel laurinum, &c. quæ præclara nonnunquam obeunt munia, ſi recens ſit ſarcoſis: ſed futilia cenſeri debent, ubi morbus certum incrementum ſumpſit. Opportune tunc temporis adhiberi queunt exſiccantia & cathæretica; qualia ſunt ſaccharum candidum, pulvis ireos, alumen uſtum, vitriolum album, & viride æris, quæ in pulverem tenuiſſimum redacta & cum ſaccharo mixta, ſingulis, vel alternis diebus inſperguntur: in hunc uſum etiam venit lapis divinus Crollii, imo & infernalis. Sed cæteris adminiculis palmam ſane præripit extirpatio; haud tamen cuivis obvio chirurgo committenda; quam etiam rite ſuccedere in canibus huic morbo obnoxiis nemo ferme neſcit.

(6) *Lippitudo*, Gallis *la chaſſie*, eſt quædam ophthalmia ſpuria palpebras offendens; e quorum marginibus exudat humor viſcidus & glutinoſus, quo invicem coaleſcunt. Hanc materiam puris participem ſuppeditant ulcuſcula confoſſa in hac tunicæ adnatæ propagine quæ interiores palpebras inveſtit. Varios oculorum morbos concomitatur lippitudo, quæ tamen ophthalmiæ ad quam proxime accedit, cujus inſtar *ſicca* vel *humida* ſe prodit, præſertim ſociatur. Morbus de quo in præſentiarum, pruritu & dolore ſtipatus, ſcabiei vel herpetis quaſi particeps, pulverem ſquamoſum globum oculi perpetuo laceſſentem præbet, & marginum palpebrarum occalleſcentiam ſenſim parit; & hæc eſt *lippitudo ſicca*. Sub *humida* vero palpebrarum oræ latice quodam purulento madent; ni inter harum partium quietem glutinis inſtar concreſcat. Ab utraque lippitudine bulbi ſuperficies ſæpius læditur, imo & nonnunquam intra ſaccum lacrymalem colligitur humor purulentus; hinc fiſtula lacrymalis: alias ab infarctu & intumeſcentia tunicæ adnatæ invertuntur palpebræ. Quod ad eventum attinet, ſucceſſu temporis evaneſcit lippitudo infantum; ſed pertinaciſſima eſt in ætate adulta, & plane immedicabilis ſub ſenectute: omnem etiam curam reſpuit ſcrophuloſa, ni congruis præſidiis primario morbo occurratur.

Utraque lippitudo eamdem ferme ſibi vindicat *curationem*, quæ alias vix diſcrepat ab ea quæ ophthalmiæ competit. Pleriſque ſcilicet confert venæ ſectio; opportune exhibentur demulcentia & temperantia; juvant blandiora cathartica, & præſertim aquæ minerales quæ hacce vi pollent: ſuam etiam, pro opportunitate, opem præſtare queunt diaphoretica & diuretica; ut ſileamus de variis ſpecificis, quæ ſæpius omnem curam abſolvunt. Quoad topica, primo adhiberi ſolent emollientia, vapor nempe aquæ tepidæ & decoctum althææ; butyrum & cremor lactis, pomata & cerata ſimpliciora: dein in uſum trahuntur reſolventia; aqua nempe feniculi & euphraſiæ, vinum caryophylli, camphora & ſulphur. Proſunt in lippitudine purulenta, exſiccantia & detergentia, inter quæ uſitatiora audiunt roſæ rubræ, ſaccharum candidum, tuthia & vitriolum album. Carnibus ſuccreſcentibus & palpebras invertentibus fauſte etiam admovetur lapis infernalis: demum non ſecus ac in variis oculorum morbis

bis deprædicantur veſicatoria, ſetaceum & cauterium.

(7) *Epiphora*, vel chronica *illacrymatio* ab infarcto ſacco naſali; vel obſtructis punctis lacrymalibus proſapiam ducit. Hanc etiam promovet uberior lacrymarum proventus; quæ tanta acrimonia ſæpius pollent, ut genas, in quas labuntur, lædant. Varia ſunt hujuſce morbi diſcrimina quæ aſſequi nuſquam licet, ni prius rite innoteſcat horumce organorum fabrica. Si obex ſit in parte inferiori ſacci naſalis, colligitur lacrymalis humor intra prædictum receptaculum, inibique ſtaſim patitur; donec nimia ſacci turgeſcentia, vel quavis inſtituta preſſione, a punctis lacrymalibus eructetur. Sed ubi deeſt protuberantia, nulluſque ab admotis digitis exprimitur humor; haud dubitare licet, quin afficiantur puncta lacrymalia, quæ luxuriantibus lacrymis ingreſſum denegant: perviis vero prædictis ductibus, de affecto organo ſecretorio cogitandum. Ophthalmia, lippitudo, omneſque cauſæ vellicantes externæ epiphoram accerſere queunt. Ægre curatur annoſa, quin potius in genuinam fiſtulam lacrymalem ſæpe faceſſat; ad quam pronos eſſe lacrymabundos nemo neſcit.

Ubi obſtruuntur & impediuntur viæ per quas lacrymæ ad nares pergunt; præmiſſis generalibus, ſi opus ſit, nil non movendum ut *arte Chirurgica* reſerentur. Ab indefinenti ſacci naſalis preſſione præcaveri poteſt fiſtula lacrymalis; ſed ſubſiſtit epiphora, quæ ſoli *methodo Aneliana* cedit; haud tamen ubique occurrunt Chirurgi, qui hanc encheireſim apprime calleant. Ubi vero incuſatur uberior lacrymarum proventus, remediis evacuantibus, catharticis nempe, diureticis, ſudorificis, ſialagogis, & errhinis inhærendum. Nec inutilem opem præſtant aquæ minerales, quæ cuncta permeando, prædictorum vires æmulantur, imo & ſuperant. Varia proponuntur topica, lapis nempe calaminaris, vitriolum, aliaque adſtringentia & exſiccantia; quæ tamen ab expertis, quibus magis arridet aqua ſimpliciſſima, parvi habentur: præterquam quod haud citra periculum oculis plorantibus admoveri queunt: ſed plures fauſto bearunt eventu ſetaceum, cauterium & veſicatoria. De lacrymis ſanguineis, quæ inter rariſſima phænomena numerari debent; nec de commentitiis lacrymis lapideſcentibus nil addimus.

(8) *Fiſtula lacrymalis*, inter oculorum morbos externos etiam recenſenda, tumore phlegmonodeo pus conficiente, & infra majorem oculi canthum ſito, innoteſcit. Sub duplici conſpectu ſe prodit: in prima ſpecie pus per puncta lacrymalia, integra cute, exitum ſibi parat, & noſtratibus dicitur *Fiſtule borgne*, ut diſtinguatur ab alia; ſub qua pus ad exteriora, trans cutem, aliorum abſceſſuum more, viam ſibi cudit. Sed alterius eſt indolis tumor aqueus in eadem parte ſedem habens; licet hunc alter quandoque excipiat; cum inibi ſtagnans materia lacrymarum, acrior evadens, phlogoſim & purulentiam ſæpius accerſat. Pro fiſtula lacrymali perperam etiam habetur puſtula inflammatoria eumdem palpebrarum angulum occupans, quæ illibato ſacco lacrymali ſola tegumenta afficit: quod tamen non impedit quominus in fiſtulam lacrymalem faceſſere valeat; ubi ſcilicet pus inibi confectum, ſubjacentem canalem offendit, & in conſortium trahit. Sed ſola preſſione patet uterque caſus, cum puncta lacrymalia pus eructantia haud infidam genuinæ fiſtulæ lacrymalis notam præbeant. Si pus e prædictis oſtiolis erumpens, ſanioſum, atro-viride vel fœtidum deprehendatur, haud dubitare licet quin oſſa proximiora carie lædantur: quod etiam dilucidius patet a puris ejuſdem naturæ effluxu per nares. Fiſtulam lacrymalem nonnunquam fovet ſanguinis quoddam virus, venereum nempe, ſcrophuloſum, &c. Hanc etiam promovent ophthalmia, alterve oculorum infarctus, variolæ, &c. A quacumque demum cauſa ſoboleſcat, cancri naturam induere valet.

Quod ad *curationem* ſpectat, eo collimandum ut reſerentur priſtinæ lacrymarum viæ, evacuetur pus & detergatur ulcus. Ubi ſe prodit puſtula inflammatoria, congruis auxiliis tentanda eſt reſolutio; qua haud rite ſuccedente admoveri debent emollientia & maturantia. Confecto pure, exploranda venit compreſſio;

cujus

cujus ope materia purulenta per puncta lacrymalia foras abigatur. In subsidium etiam veniunt injectiones, quarum beneficio abstergitur fistula, & nonnunquam referantur obstructæ viæ. Sed si irrita fuerint hæc præsidia; incunctanter incidi debet absessus, ope phlebotomi vel causttici, ut puri sternatur via: postea vulnus solita methodo, haud prætermissis injectionibus detergentibus, pertractari debet. Sed ubi stagnans tabum sinus & cuniculos sibi excavavit, & ossa, uti crebro evenit, carie lædantur; ad operationem Chirurgicam devenire expedit, de cujus encheiresi nil addam, cum neminem lateat Chirurgum: ad quam nusquam, nisi præmissis præmittendis, venæ sectionibus nempe, catharticis, temperantibus, demulcentibus, &c. sese accingere debet. Nec omittenda sunt specifica, si sanguis viru quodam, venereo nempe, scrophuloso, &c. contaminetur.

(9) *Ophthalmia*, morbus notissimus & familiarissimus, præcipuam sedem habet in tunica adnata, non solum partem globi anticam obducente, sed etiam palpebras investiente; quæ scilicet, rubore vel phlogosi corripitur, cum diverso doloris & ardoris gradu; cujus vasa quæ antea visum effugiebant, tum fiunt conspicua. Sed hoc nomine minime insigniri debet hic rubor vel ardor fugax oculi a fumo, pulvere, aliave qualibet causa externa soboleseens. Glandulam lacrymalem, vel interiora globi, sæpius occupat phlogosis in genuina ophthalmia; hinc dolores profundiores, acerbiores & pulsatorii, ægrique lumen refugiunt, & vix temperant a lacrymis, ipsis obversantur muscæ vel nebulæ, noctes insomnes ducunt, &c. Ophthalmia insuper, alia est *sicca*, alia *humida*: prima respectu doloris & inflammationis, levior, palpebris plerumque parcit: sub altera oculus perpetuo madet: luxurians humor acris & purulentus in genas quas lædit, delabitur; & inflammatio, quasi ex traduce, propagatur ad palpebras: sub hac rerum conditione, tunica adnata phlyctænis, pustulis purulentis, & ulcusculis defœdatur; dolores demum, cum nonnulla pulsatione, altius insident. Epidemice quandoque grassatur hic affectus, sed perperam a quibusdam contagiosus existimatur: familiarem esse infantibus & senibus nemo nescit; nec latet luis venereæ, scrophularum, arthritidis, &c. nonnunquam esse participem. Alias a fluxione catarrhali, erysipelate, contusione, ambustione, &c. soboleseit. Inter reliquias demum morbillorum, variolarum, febris malignæ, &c. numeratur.

A bene perspecta organi læsione, & habita ratione curæ, eruenda est *ophthalmiæ prognosis*. Ægre curatur, nec periculo vacat hic affectus, si crassior tunica adnata promineat circa corneam, quæ tum depressior apparet: si glandula lacrymalis phlogosi corripiatur, quæ ab acerbissimo dolore circa partem affectam, & ab ultra modum tumente palpebra superiori dignoscitur: si dolores atrociores ad orbitæ fundum porrigantur, & per totum caput sese spargant: si incandescat febris, urgeant vigiliæ, aliaque emergant graviora symptomata, sub quibus cæcitatis periculum incurrunt ægrotantes. Ubi ophthalmia scrophularum, luis venereæ, arthritidis, &c. symptoma audit, curam duntaxat specificam admittit: pertinacissima est erysipelacea: in ancipiti versatur quæ a contusione vel ambustione ortum ducit: indomabilis judicatur, si inter variolarum reliquias numeratur: demum pro symptomate lethali habetur post casum ab alto, vel graviorem capitis contusionem. E quavis ophthalmia mali moris progignuntur absceffus, & ulcera tunicam adnatam, & ipsammet corneam defœdantia: pus nonnunquam profunditur intra iridem & corneam, unde emergit, ut inquiunt, *hypopyon*, quo, pupilla obturata, lumine plane orbantur ægri, ni collectum tabum, fausto sane, sed rarissimo eventu, resorbeatur; vel partem bulbi decliviorem petat. E cicatricibus ulcerum corneæ prodeunt maculæ, vel, ut inquiunt, *albugines* nulla arte delebiles. Insuper a puris erosione ita quandoque extenuatur cornea ut coercendis subjacentibus partibus plane impar, extus herniæ instar propellatur; & hæc prominentia, quæ medelam mere chirurgicam expostulat, *staphyloma* apud Veteres audit. Ophthalmia correptis nonnunquam prodest uberior lacrymarum proventus:

ventus: ipsis etiam haud raro opitulatur alvi fluxus; ut de aliis salubrioribus naturæ conaminibus silcamus; quæ tamen simplicem ophthalmiam, illibato scilicet organo, respiciunt.

Aliarum inflammationum instar, *curari* debet ophthalmia: itaque ineunte morbo, auspicatissimæ sunt venæ sectiones, plus minusve repetendæ, pro phlogoseos gradu, & dolorum vehementia: ac jure supra cæteras laudatur saphenæ, jugularium, vel ipsiusmet arteriæ temporis, sectio. In graviori quidem ophthalmia sanguis e tumentibus vasculis tunicæ adnatæ educitur; ac admota aqua tepida ejus fovetur fluxus. Celebrantur in eumdem scopum scarificationes, non solum in oculi bulbo, sed etiam in palpebris: hanc vero acerbam medelam aversantur delicatuli. Suas laudes etiam merentur hirudines vicinioribus partibus admotæ; nec aliis cedit hæc sanguinis detractio; quippe quod ejus ope vasa ipsius partis affectæ etiam deplentur. Interea haud parvi interest, sub hocce morbo, ut alvus servetur libera, solitis nempe præsidiis, ac præsertim aquis mineralibus quæ hacce vi pollent: experientia compertum manet ophthalmiam epidemice grassantem diarrhœæ criticæ sæpius cessisse. Proficue insuper adhibentur temperantia & demulcentia; cichorium nempe, borrago & lapathum; jusculapulli, cancrorum fluviatilium & testudinis; lac ejusque serum, emulsiones, cremores hordei & oryzæ, aquæ minerales acidulæ, &c. Pro opportunitate etiam conferunt depurantia ex antiscorbuticis & sudorificis deprompta; nasturtio nempe & cochlearia, china radice & ligno guajaco, diaphoretico minerali, aliisque antimonialibus, jusculis viperæ & anguis, &c. Fauste nonnunquam usurpantur aperientia & incidentia; aselli nempe & martialia, mercurialia: nec postremo despicienda sunt sedantia vel narcotica; cum quibus tamen caute mercari expedit.

Nemo non novit, ut ad *externa* deveniamus, balneorum efficaciam, sed de topicorum specificorum genuinis viribus multum controvertitur: nec fugit solertiores quam de hac re difficile sit verum a falso extricare; quidquid præjudiciis obcæcati, vel lucro inhiantes, in contrarium adducant. Cum vero haud nostrum sit has lites componere; experientia edocti selectiora tantum, & a peritioribus comprobata pro instituto exhibebimus. Itaque egregiam opem præstant, ineunte morbo, albumen ovi cum frusto aluminis subagitatum, aliaque repercutientia, præsertim si incusetur contusio; sub altera rerum conditione, noxia evadunt, & hinc exulare debent, si a causa interna soboleseat morbus. Sed opportune semper admoventur emollientia & demulcentia, ubi dolore & æstu partis affectæ premuntur ægri, & agglutinantur palpebræ; id genus sunt aqua tepida, cum tantilla aquæ vitæ dosi, aqua rosarum rubrarum & plantaginis, decoctum althææ, sanguis columbæ vel pulli, lac muliebre, aliudve; emulsio simplex, mucilagines e granis psyllii, lini & cydoniorum, pulpa pomorum coctorum, cataplasmata micæ panis, frustum carnis bubulæ vel vitulinæ, &c. Opium, etsi a quibusdam laudatur, haud citra periculum oculis admoveri posse crediderim. Tutius adhibetur sal saturni, si nuperrimis observationibus sit fides; vel aqua golardiana temperata, quæ scilicet paratur cum decem vel duodecim guttis aceti saturni extemporanei & duplo aquæ vitæ in aquæ unciis octo. Silentibus doloribus & sedato æstu, juvant resolventia; aqua vitæ nimirum temperata, aqua feniculi, euphrasiæ & florum sambuci; vinum tepidum cui immiscentur nonnullæ guttæ balsami Commendatoris. Parantur insuper innumera collyria e croco orientali, ruta, salvia, hissopo & rore marino; quæ suas laudes merentur. His forte præcellunt aquæ Bellilucanæ, Baregienses & affines.

Ubi ulcusculis defœdantur oculi, in usum trahi debent *detergentia* & *exsiccantia*; hisce viribus pollent saccharum candidum, iris florentina, os sepiæ, tuthia, vitriolum album, lapis divinus, trochisci albi Rhasis; vinum emeticum, &c. Ulceribus vero palpebrarum admovere licet lapidem infernalem, cujus morsus, oculi balneo, vel fotu aqueo, leniri solet. Peculiaria cæterum commendantur resolventia e floribus sambuci & chamæmeli, seminibus fenugræci, &c. parata ad corneæ

vel adnatæ phlyctænas, aut puſtulas veſiculares; quibus vero apertis congruunt detergentia. Ubi pus ſub cornea, vel in quovis folliculo, bulbo oculi accreto nidulat; nil non movendum ut evacuetur, ne diuturniori mora partes viſus organicas lædat, cum nulla fere reſolutionis ſpes affulgeat. Simili ferme modo pertractari debet ſanguinis ſtaſis, ſi certo proventu coerceatur; alias congruis reſolventibus fugari poteſt. Neminem poſtremo fugit quid valeant in ophthalmiis contumacioribus veſicatoria ſcapulis admota; ſetaceum per occipitis cutem trajectum; non ſecus ac fontanellæ quæ multifariam confodi queunt. *Ruborem & inflammationem* ad ophthalmiam proxime accedentem, doloribuſque acutiſſimis ſtipatam, etiam promovent *feſtucæ*, *ſordes*, quiſquiliæ, aliaque corpuſcula extranea oculi bulbo implantata, ni uberiori lacrymarum proventu & aſſidua palpebrarum nictitatione everrantur, & abſtergatur bulbi ſuperficies; vel oculo in aquam immerſo eorumdem proceſſuum motitatione abigantur. Hæc nonnunquam aufert ſuccinum; vel cera ſignatoria vulgatiſſima, fricta prius excalefacta. Eaſdem erga ramenta ferrea vires exercet magnes: quibus incaſſum adhibitis, ad volſellam chirurgicam confugiendum.

(10) Quamdam ecchymoſim patiuntur oculi, quæ *ſuggillatio* audit; ſub qua intenſe rubet, abſque dolore, tunica adnata; oculuſque lumen vel vividiſſimum minime refugit. A cauſa externa, vel inſciis ægrotantibus, nonnunquam proſapiam ducit ſuggillatio, quæ alias a cauſa interna promovetur: hanc immanem quandoque vomitum excepiſſe obſervatione conſtat. Periculo vacat hæc familiariſſima ſanguinis ſtaſis, quæ intra paucos dies ſponte plerumque evaneſcit. Haud raro tamen conducit venæ ſectio: nec inutilem opem præſtant topica reſolventia, vel roborantia; inter quæ uſitatiora audiunt, ſanguis columbæ, aqua roſarum, feniculi & florum ſambuci; aqua vitæ & vulneraria; ſpiritus vini camphoratus; decoctum e radicibus ſymphyti, ſigilli Salomonis, &c. Ad ſuggillationem perperam refertur *ſanguinis collectio inter corneam & uveam*, qua non ſecus ac ab hypopyo, pupilla obturatur; poſt graviores contuſiones haud raro obſervatur hic affectus, cui occurritur corneæ inciſione, ut latici ſtagnanti ſternatur via; ni fauſto admodum exitu reſorbeatur.

(11) *Maculas*, *nubeculas*, *leucomata*, & *albugines*, quæ corneam obſcurant, vel ejus diaphaneitatem conſpurcant, poſt ſe trahunt ophthalmiæ, aliique humorum decubitus, & corneæ ulcuſcula. Sub primo caſu, materia quædam albicans intra contextum corneæ colligitur, adeo ut inibi ſua pelluciditate plane orbetur. In altero occurrunt cicatriculæ ulcera excipientes, vel quædam occalleſcentiæ luminis radiis ingreſſum denegantes. Maculæ primæ ſortis ſuperficiem corneæ occupant, & hinc curatu faciliores cenſeri debent; major etiam ſanationis affulget ſpes in juvenili ætate; ſed ſecus evenit in ſenectute. Genuinæ vero cicatrices in quavis ætate plane immedicabiles exiſtimantur. Defluxionibus vero, quæ ſæpius maculas concomitantur, occurritur venæ ſectionibus, catharticis, temperantibus & balneis: ſed remanent nubeculæ, quibus nonnunquam opportune admoventur reſolventia, detergentia & exſiccantia; vapor nempe ferventis hauſtus caffe; vel halitus feniculo, & ruta prius, jejuno ventriculo, maſticatis, imprægnatus; aquæ feniculi & euphraſiæ; ſuccus calcitrapæ & chelidonii majoris; fel anguillæ, cyprini, lucii & perdicis; ſaccharum candidum & os ſepiæ; tuthia, pulvis antimonii, &c. quibus incaſſum tentatis, ad veſicatoria, ſetaceum & fontanellam confugere fas eſt; quæ tamen reſpiciunt potius defluxiones, albuginum haud raro pediſſequas, quam haſce maculas nulla plerumque arte delebiles.

(12) *Cataracta*, alias *ſuffuſio*, nil aliud eſt quam lentis cryſtallinæ opacitas. In propatulo ſe ſiſtit hic morbus, vel provectus; ſed ægre innoteſcit ejus exordium. Produci ſolet cataracta a defluxionibus chronicis, gravioribus ophthalmiis, epiphora contumaciori, cephalalgia perenni, contuſionibus, &c. Hanc minantur quædam ſimulacra, vel umbræ volitantes, quæ pro floccis, muſcis, &c. habent ægrotantes: ſed plerumque fallax eſt illud indicium, quod ſub innumeris etiam aliis circumſtantiis ſe prodit. Hanc vero imminentem

certius

certius indicat hæc visus obscuratio, qua quævis objecta tela aranea obvolvi videntur; vel quasi per nebulam, linteumve rarum, percipiuntur: dein procedente morbo, visus hebescit & obtenebratur; pupilla ampliatur, & albicat lens crystallina; quæ notæ morbum in propatulo sistunt.

Ut ad *curationem* deveniamus; sub primis hujusce affectus, tarde progredientis, temporibus: varia remedia proficue adhiberi queunt: diluentia nempe & temperantia, inter usum balneorum, præmissis generalibus, fauste nonnunquam usurpantur: suam opem etiam conferunt martialia, aliaque aperientia: nec despicienda sudorifica e lignis & radicibus exoticis petita. Nonnullis prosunt fumus tabaci, fistula notissima haustus; necnon alia sialagoga. Plurimum deprædicatur usus tum internus tum externus euphrasiæ: num tamen hac decantata polleat efficacia hæc plantula dubitare licet: alii, penes quos sit fides, asellos plurimum conducere ad cataractam præcavendam autumant. Huc etiam coincidunt vesicatoria, vel potius setaceum & cauterium; quæ cætera præsidia cujusvis sortis longe antecellunt. Varia demum topica ex emollientibus & resolventibus deprompta imponi solent; inter quæ usitatiora audiunt decoctum althææ, sanguis columbæ, vapor caffe, decocta vel infusa aromatica, &c. Quibus incassum tentatis, ad operationem chirurgicam, vel *cataractæ depositionem*, quasi ad sacram anchoram, confugere expedit. Sed infaustus est hic curandi ritus, si cataracta haud debitam, ut inquiunt, maturitatem attigerit; quæ dignoscitur, si inter oculi frictum, a palpebra digitis commota, nullum motum edat dilatata pupilla. Itaque dubius eventus censeri debet, si iridis motus haud plane aboleatur, & lens crystallina quid cærulei vel viridis præ se ferat; quod sane arguere videtur haud integram esse opacitatem: quo fit ut lentis involucra, vel ligamenta difficilius solvantur, & cataracta in tenues lacinias discerpatur: rite vero succedit hæc operatio, ubi cataracta summe conspicua, colorem album, cinereumve, margaritarum instar, adepta est.

Hac *cataractæ depositione*, non in integrum restituitur visus; sed discutitur cæcitas; adeo ut qui in tenebris prius versabantur ægri, quævis objecta tum percipiunt; obvios scilicet distinguunt; vident inter ambulandum quo via ferat: imo & typis impressa, vel scripta, legere queunt. Hæc (per transennam dicere liceat) duplici modo absolvitur; 1. Lentem crystallinam pelluciditate orbatam acus beneficio versus inferiora a sede deturbando, hancque infra pupillam submergendo, & retro iridem aliquandiu coercendo, ne in pristinum situm recurrat. 2. Prædictam lentem foras extrahendo ope sectionis in parte corneæ decliviori celebratæ: de hacce postrema mentio subjicitur in Actis Academiæ Regiæ Scientiarum anni 1707 & 1708, quam ab oblivione vindicavit, & instauravit oculatissimus Daviel; adeo ut, nemine ferme reluctante, pro faciliori & tutiori habeatur: quod solertioribus judicandum relinquimus. Silentio premere minime debemus, quod de altera cataractæ specie, membranacea nempe, commemorant Auctores; quam tamen vidisse haud mihi contigit, licet stupendum oculorum affectorum numerum sectioni anatomicæ subjecerim: præterea de hac re scripta animum veri avidum minime explent; quorum insuper Auctores parum autopsiæ anatomicæ, quæ sola huic dirimendæ controversiæ apta censeri debet, indulsisse videntur. De alia suffusionis specie, vulgo *la berlue*, sub qua videre putant muscas, scintillas, colores, &c. nil addimus; cum ejus causam meris duntaxat conjecturis assequi liceat, & nihil ab Auctoribus ophthalmiatris tradatur præter commentitiam ætiologiam.

(13) *Amaurosis*, quam *guttam serenam* vocarunt Latino-Barbari; hæc audit cæcitas, sub qua nullum in organo, præter pupillæ quiescentis dilatationem, patet vitium. Utrumque oculum plerumque invadit hic affectus, tarde progredi solitus; qui tamen nonnullos intra brevissimum tempus, vel subito corripit. E paralysi nervi optici prosapiam ducere hunc affectum, hinc variis gradibus submissum, haud falso conjicitur. Cadavera enim secta exhibent vasa cerebri sanguinea ultra modum repleta, stases serosas, vel sanguineas; exsiccationem vel putredinem nervorum o-

pticorum; abſceſſus, tumores lymphatico-cyſticos, alteriuſve naturæ; ſarcoſes, exoſtoſes, lapides, &c. prædictos proceſſus medullares prementes. Per tranſennam addere juvat nervum opticum dextrum graciliorem repertum fuiſſe, uſque ad ſuum principium, poſt cæcitatem oculi dextri: hinc, notante SANTORINO, nec decuſſantur, nec implicantur prædicti nervi, ſed alter alteri duntaxat accedit ut deinceps disjungantur. Viſus debilitas, nulla perſpicua cauſa manifeſta, umbræ vel imagines diverſæ formæ, quaſi volitantes; vel oculorum caligo; dolores profundiores, &c. ſunt totidem hujuſce morbi prodromi. Hunc promovent ſufflaminata ſanguinis profluvia, eruptiones cutaneæ retropulſæ; febris maligna, apoplexia; lapſus ab alto; aliæve capitis contuſiones; incautus ſolis conſpectus, quo oculorum acies præſtringitur; aeris inclementia, &c. Prægnantes cæteroquin nonnunquam invadit; ſed ſæpiſſime natales debet improbo oculorum labori, inter minuta, vel tenuiora conſequenda; non ſecus ac diuturno microſcopiorum, conſpicillorum tubulatorum, aliorumque vitrorum opticorum uſui. Fugari poteſt amauroſis incipiens; majorque curationis ſpes affulget, ſi ſubito ingruat; vel a cauſa fugaci ortum trahat: ſed nil boni expectandum, ſi lente proceſſerit; præſertim in ſenili ætate.

Venæ ſectiones & emetico-cathartica, ineunte morbo, proficue uſurpari queunt: ſed huc præſertim coincidit *euphraſiæ* uſus internus, haud forte immerito decantatus; cum, ſi aliquid ferat auxilii hoc remedium, ſpecifici titulo gaudens, potius ſub amauroſi, quam adverſus cæteros oculorum morbos, id ſane præſtare videatur. Inſuper opportune exhibentur aperientia & incidentia; aſelli nempe, martialia & mercurialia; quibus tamen antecellunt aquæ minerales, tum frigidæ, tum thermales. Huc etiam pertinent diaphoretica, viperæ nempe, lignum guaiacum, china radix, &c. Nec ſuis viribus defraudantur antiſcorbutica; ſed cæteris palmam præripiunt cephalica & antiſpaſmodica; meliſſa nimirum, betonica, valeriana & pæonia; caſcarilla, moſchus; aqua florum aurantiorum, ſpiritus volatiles huic uſui dicati, pulvis de gutteta, &c. Nonnunquam proſunt ſialagoga; non ſecus ac veſicatoria, ſetaceum & cauterium. Nec deſpiciendæ irrigationes ab alto cum aquis bellilucanis, aliiſve thermalibus, quæ tempeſtive adhibitæ, ni fallat experientia, fauſto bearunt eventu. Inanem vero operam ludere videntur topica ophthalmica celebratiſſima & pro ſpecificis venditata; cum imparia plane ſint ſuperando morboſo obici. Nonnullas tamen ſuppetias ferre videntur ſpiritus vini & balſami Fioraventi vapor; fumus hauſtus caffe, aliaque id genus notiſſima, quorum vires explorare nil ſane impedit.

MORBI NARIUM.

(1) HOrum agmen ducit *Coryza*, noſtratibus *enchifrenement*; morbus ſane leviſſimus, qui raro curam medicam expoſtulat. Ubi tamen, hoc vigente, haud rite procedit narium ſtillicidium; promovetur dolor capitis, nunc gravativus, hinc *gravedo*; de qua ſupra, vocitatus; nunc acutiſſimus, quo ſtomachus plerumque ſubvertitur. Interea frequens concitatur ſternutatio, & emergit aurium tinnitus; læditur olfactus, proſternitur appetitus; accedunt inordinati horrores vel fremitus; febris excandeſcit; vires deficiunt; exſurgunt vertigines; urget ſopor, &c. Hæc omnia ſymptomata delet uberior muci proventus, qui ſpontanea naturæ vi moveri ſolet; qui tamen ſi diutius quam par eſt proteletur, ozænam infligere poteſt. Etſi levem metum incutit coryza, haud tamen periculo ſemper vacat; quippe quod nonnunquam ſit prodromus graviorum affectuum, qui fauces, glottidem & pulmones minantur, imo & ominoſus per ſe cenſeri debet hicce morbus in provecta ætate, cum haud raro affectum comatoſum, vel ipſammet apoplexiam poſt ſe trahat.

Coryzam leviorem & vulgatiorem ſponte evaneſcere nemo neſcit, dummodo tamen probæ *victus rationi* indulgeant; & domi ſub hyeme aſpera ſe contineant ægri. Nec alia methodo divertitur imminens humorum defluxus in fauces, laryngem & pectus. Interea nonnihil *opitulatur* ſuffitus e ſuccino,

cino, olibano, saccharo, salvia, &c. paratus; mira præstat vapor inspiratus aquæ tepidæ, vel infusi florum sambuci; quibus scilicet non solum compescitur morbus, sed solito citius solvitur. Quamdam opem etiam conferunt errhina blandiora, salvia nempe, betonica, lavandula, nicotiana, &c. quæ tamen, reluctante natura, cum cautela præscribi debent, ne intempestiva sternutatione, capitis dolor nimia concussione exacerbetur. Ubi vero coryza & gravedo diutius protelantur; præmissis præmittendis in usum trahi queunt temperantia, diuretica, sudorifica, sialagoga, aliaque præsidia cuivis fluxioni dicata; inter quæ vesicatoria & fontanellæ, si res expostulet, haud omitti debent.

(2) *Sternutatio* ad coryzam minime pertinens, cæteris alias bene se habentibus, inter morbos minime recenseri debet. Imo & vigente febre erumpens, nil mali per se arguit; licet narium hæmorrhagiam, quasi fortuito, movere queat; atque pulmones phlogosi correptos lacessat, eorumque dolorem exasperet. Parturientes præterea juvat; soporosos expergefacit, &c. Sternutatio tamen vehementior, vel ultra naturæ limites producta, affectuum spasmodicorum censum subit: nec periculi exsors censetur, cum a violenta capitis concussione graviores emergere queant cerebri morbi, qui cæcitatem nonnunquam post se trahunt. Sub hoc rerum statu nil non movendum ut compescatur sternutatio; quam opem præstant demulcentia & mucilaginosa naribus attracta, aqua nempe tepida, decoctum althææ, lac; oleum amygdalarum dulcium, aliaque consimilia, quæ raro incassum adhibentur. Alias ad odorem opii devenire licet; vel ipsius tinctura naribus inspiratur; sed caute cum hocce remedio mercari expedit.

(3) *Hæmorrhagia narium* a plethora, vel temperie sanguinea; ab exercitatione immodica, vel arduo labore; a vino liberalius sumpto, vel ingluvie; a remediis acrioribus, &c. oriunda; nil utplurimum mali portendit. Sed in ancipiti versatur *hoc sanguinis profluvium*, *vigente febre*: videlicet pro critico habetur quarto, septimo, nono & decimo quarto morbi die; dummodo tamen certis terminis coerceatur, nec ultra debitam copiam, sanguis erumpat: sub hac enim rerum conditione æqualem metum incutiunt majus sanguinis dispendium, & parcus ejus proventus: caute tamen tum vaticinandum. Periculosioris res est aleæ, hæmorrhagia narium, sub statu febrili, si hanc excipiant pulsus debilis, & intermittens, lipothymiæ & sudores frigidi; non secus ac convulsiones; omniaque in deteriora ruant. Nil mali econtra expectandum, ubi a profiliente cruore mitescit febris, sedatur dolor capitis, discutitur delirium, &c. Febrilem narium hæmorrhagiam prænuntiant facies rubor, oculi ignei, pulsus vehementior, vigiliæ vel quædam somnolentia phantasmatibus rubris interturbata; capitis & cervicis dolor, aurium strepitus, lacrymæ spontaneæ, narium pruritus, &c. Nil imminet ominosi ab hæmorrhagia narium *in juvenili ætate*; quæ tamen si crebrius quam par est recurrat, vel ad plures annos proteletur, etiamsi tum nil sanitati demat, in posterum tamen minatur debilem corporis constitutionem, hypochondriasim, aliumve affectum spasmodicum; atque accedente senio arthritidem & lithiasim. Majus impendet malum ab hoc sanguinis profluvio *in provecta ætate*; quod magis calamitosum censetur, si senem jam cachecticum invadat; ob imminentem scilicet serosam colluviem. Luctuosa etiam existimatur inter prædictam ætatem hæmorrhagiæ chronicæ cessatio, quæ necem plerumque infert; ni tempestive ipsi occurratur. Neminem postremo practicum fugit enormem quandoque fieri hæmorrhagiam narium, solis naturæ viribus obtemperantem: mirari profecto subit quod a tanto sanguinis dispendio haud graviora emergunt incommoda: pleno enim gurgite erumpentem cruorem, intra quinque dies, ad quadraginta libras, nullo superveniente infausto exitu, accessisse fertur. De quadam etiam parturiente mentio subjicitur, cujus hæmorrhagia narium viginti libras superavit, succedente felici partu.

Aliarum instar petractari debet hæmorrhagia narium: totum scilicet negotium naturæ committendum, si desit febris; & recens profluvium certis terminis coerceatur: sed ubi majori, quam par est, copia prorumpit

rumpit ſanguis, nil non movendum ut *opportunis præſidiis* cohibeatur. Peculiarem etiam curationem ſibi vindicat hæmorrhagia narium chronica; quam tamen ſiſtere ſæpius vetatur. Nil vigente febre moliendum adverſus hæmorrhagiam narium criticam; ſed opem medicam efflagitat ſymptomatica, præſertim ſi diutius protrahatur, vel ſanguis confertim erumpat. Præſentaneam opem fert ſanguinis miſſio; præſertim e ſaphena: depletis vaſis, omnem abſolvunt paginam temperantia & refrigerantia, aqua nempe larga manu propinata; ptiſanæ acidulæ vel nitroſæ; decoctum hordei vel oryzæ, emulſiones ſimpliciſſimæ, ſerum lactis, &c. Opportune adhibetur liquor anodynus mineralis; ſed caute cum laudano, diacodio, ſyrupo de karabe, aliove narcotico mercari expedit. Nec minus forte pertimeſcenda ſunt abſorbentia & adſtringentia, quæ indiſcriminatim uſurpare ſolet plebs medica; corallum nempe, plantago & equiſetum, ſanguis draconis, martialia, hæmatites, &c. quæ tamen tempeſtive adhibita, haud inutilem operam ludunt: ſed exulare debent alumen, ſpiritus vitrioli, eſſentia *Rabel*, aliaque conſimilia ſtyptica; ni tamen fatum immineat. Immanem hæmorrhagiam nonnunquam excipit æſtus febrilis, quem plures reſtinguere tentant ope corticis peruviani; num tuto? ſolertioribus examinandum relinquimus.

Nec minori egent cautela *medicamenta externa*, crebriori quam par eſt uſu ad imperitos recepta; cum ſæpius haud citra periculum illa experiri liceat; quæ tamen haud inconſulto adhibentur adverſus ſymptomaticum & immodicum ſanguinis profluvium; vel quoties pulſus debilis & obſcurus, fœdus faciei pallor, & lipothymiæ rem patefaciunt periculoſæ aleæ. Tum ſplenia aqua frigida ſimplici, vel nitroſa, acetove imbuta, fronti, temporibus, cervici, occipiti, ſcroto, &c. admoveri ſolent: cataplaſma e bolo, ovi albumine & aceto inflatum, fronti imponitur. Hæmorrhagia ſæpius coercetur ab odore aceti, vel fumo ejuſdem conflagrati: ſed efficaciores ſunt turundæ, aceto, aqua aluminoſa, vel ſtyptica, &c. impræ gnatæ, & naribus inditæ. Eaſdem ferme vires obtinet atramentum vulgatiſſimum goſſypio exceptum, & ſimili modo immiſſum. Opportune etiam inſufflari queunt pulveres boli, gypſi, maſtiches, ſanguinis draconis, &c. Suppetias inſuper ferunt enemata refrigerantia & balnea, fricta artuum inferiorum, vincula in brachia & coxas injecta; cucurbitulæ ſiccæ, vel ſcarificatæ, diverſis partibus affixæ, &c. Obiter notare expedit nuſquam eſſe cohibendam hæmorrhagiam narium, quæ hæmmorrhoidum, vel catemeniorum vices gerit; ni prius in integrum reſtituantur hæc ſpontanea & periodica ſanguinis profluvia. Poſtremo mantiſſæ inſtar addere juvat, cruorem turundarum ope ſufflaminatum, nonnunquam verſus fauces curſum dirigere, e quibus ad ſtomachum pergere, vel ipſammet glottidem ſubire valet: quod poſtremum infortunium ſemel accidiſſe memini in viro quodam ætatis floridæ, qui paulo poſt cohibitam, uti videbatur, hæmorrhagiam, ſomno ſepultus, fato, inſciis aſtantibus, ceſſit, cujus ſectione reperta fuere bronchia ſanguine obruta.

(4) *Ulcus narium* recens & indolens, ac defluxionum vulgatiorum comes, nullius periculi eſt particeps, ſponteque deſinit, vel ceruſſa, aliove pulvere exſiccante facile ſanatur. Sed grave faceſſit negotium ulcus illud contumaciſſimum, ſordidum & dolore ſtipatum, quod *ozænæ* nomine innoteſcit. Cancri naturam quandoque redolet, & tantum fœtorem ſpargit, ut hunc moleſte ferant ipſimet ægri. Late ſerpit hoc ulcus mali moris, ad pervias ſcilicet narium cavernulas, vicinioraque oſſa carie lædit, & palatum nonnunquam depaſcitur. Polypum ſæpius concomitatur, vel excipit ozæna: inter variolarum reliquias haud raro numeratur; ſed ſymptoma venereum, ſcorbuticum vel ſcrophuloſum plerumque audit. Hinc patet cur ſit pertinaciſſima, vel plane immedicabilis; ni cauſa fovens eradicetur; quod haud niſi ardua & diuturna curatione aſſequi licet.

Præmiſſis generalibus, opportune præcipiuntur temperantia; lac nempe, ejuſve ſerum, juſcula pulli, aquæ minerales frigidæ, &c. Quibus auxiliatrices manus præbent balnea. His peractis ſummam opem con-

conferunt depurantia & diaphoretica, inter quæ primatum ducunt juſcula cancrorum fluviatilium, viperarum, &c. Sed nil aut parum proficitur cum vulnerariis, quæ parvi habent ſolertiores practici. Quid valeant ſpecifica primario morbo occurrentia, nemini haud obvium. Quod ad curam externam ſpectat, cruſtarum ſiccitati & hærentiæ occurritur aqua tepida, lacte, butyro, decocto althææ, oleo ovorum, amygdalarum dulcium, &c. Nec impediunt hæc præſidia quominus ab harum delapſu ſæpius erumpant hæmorrhagiæ, auxiliis jam traditis coercendæ. Dein injiciuntur vulneraria & detergentia, aquæ nempe Bellilucanæ, hydromel extemporaneum; decoctum hordei, agrimoniæ, abſinthii, roſarum rubrarum, hyperici, ſcordii & ſabinæ; quibus nonnulli immiſcent aquam calcis, aquilam albam, &c. Inſuper deprædicantur ſuccus geranii robertiani, elixirium proprietatis, tinctura myrrhæ & aloes, unguentum ægyptiacum, &c. Nonnullis prodeſt ſuffitus e laudano, myrrha, maſtiche, ſtyrace, &c. paratus; ſed haud citra periculum in uſum trahitur cinnabaris, quæ pulmones laceſſere poteſt. Agmen claudunt veſicatoria, ſetaceum & fontanellæ, quæ pluribus optime ceſſiſſe experientia conſtat; dummodo tamen illæſa ſint oſſa, quorum caries ſolitis remediis impugnari neſcia, curationi plane adverſatur.

(5) *Polypus narium*, a piſce cognomine ſic nuncupatus; hæc eſt ſarcoſis diverſicolor & plerumque multifida, cum vario ſoliditatis gradu, quæ e tunica pituitaria pullulans, nares ſæpius replet, e quibus haud raro extus propendet; vel ad fauces, pone uvulam, protenditur; hinc patet cur, ore clauſo, haud libera fiat reſpiratio; imo & ſæpius nonnihil impediatur deglutitio. Nunc albicat, nunc rubet polypus, alias lividum, plumbeum vel nigrum colorem præ ſe fert. Alius præterea mollis; alius denſus, vel cartilagineus obſervatur. Ozænæ incumbens, pro ſarcomate vulgatiori a nonnullis habetur; num vero inter ſe diſcrepent prædicti tumores? dubitare licet. Quod ad eventum attinet, polypus mollis, albicans & indolens, curatu facilior cenſetur: ſecus ſe res habet, ſi reniteat, rubeſcat, & dolore ſtipetur. Cæterum pro indomabili habetur lividus & nigreſcens; præſertim ſi labem veneream vel ſcorbuticam agnoſcat, vel cancri naturam redoleat.

Mere *Chirurgica* eſt polypi *medela*; ad quam tamen nuſquam ſe conferre licet, ni prius ſanguini proſpiciatur, ope remediorum generalium, temperantium & aperientium; imo & quorumdam ſpecificorum, ſi expoſtulet prava ſanguinis & humorum diatheſis. Ubi minori mole donatur, & locum aptum vel opportunum occupat; topicis exſiccantibus, & cathereticis impugnari ſolet; pulvere nempe gallæ, corticis granatorum, ariſtolochiæ, & ſabinæ, alumine uſto, vitriolo calcinato, viride æris & præcipitato rubro, unguento ægyptiaco, aqua divina Ferneli, butyro antimonii & lapide infernali: ſed caute admoveri debent eſcharotica, ne horum acredine exaſperetur polypus, vel lædantur viciniores partes, quæ prius illiniri debent unguento nutrito, vel quovis cerato, ut harum tutelæ proſpiciatur: nonnullis demum profuit ſebum ovillum vulgatiſſimum. Egregia munia ſæpius præſtaſſe prædicta remedia ratum apud clinicos manet: ſed tarda & moleſta hæc eſt curatio; hinc fit ut extirpationem, tum per nares, tum per fauces, ſi ſinant ſedes & moles, pluris habeant ſolertiores; præſertim erga polypum mollem & indolentem; etſi hanc operationem ſæpius excipit hæmorrhagia, ſolitis auxiliis coercenda. Sed repullulat polypus, ni radicitus extirpetur; quod tamen ob reconditum ſitum ægre ſæpius abſolvitur. Idem impendet infortunium, ſi oſſa carie lædantur: quod haud raro evenire ſupra innuimus: nonnullis demum proſunt emunctoria toties decantata, quæ cæteris præſidiis palmam præripiunt.

MORBI AURIUM.

(1) PRimum in hoc ordine locum tenet *Otaglia*, vel dolor aurium, qui tantam quandoque ſævitiem exercet, ut parum abſit quin ægros, ejulatu totas ædes explentes, in furorem rapiat; imo nonnullos præ doloris immanitate veſanos factos, præcipites ſe dediſſe, conſtat. Si

a phlo-

a phlogosi membranæ ossis petrosi cavernulas investientis, ut plerumque accidit, pendeat, febris excandescit, truculentioraque emergunt symptomata, delirium scilicet, convulsiones, lipothymia, &c. In suppuratum abit hæc inflammationis species, & a disrupto absessu remittuntur dolores; sed suboritur ulcus pertinacissimum. Præter hanc causam sanguineam & familiarem, progerminantur *vermes*, harumce speluncarum incolæ, qui etiam atrocissimos dolores pariunt; sed haud continuos ob quietem, cui identidem se tradunt prædicta animalcula, quæ sæpius detexit autopsia anatomica. Nec minorem tyrannidem exercent alia *insecta externa* diversæ sortis, quæ per meatum auditorium ad cavum tympani proserpentia, in prædictas spelunças se recipiunt, ni obstet membrana harumce cavitatum contermina. Diversam labem inferunt quævis *corpuscula extranea*, quę vel in aures incaute adiguntur, vel forte in has subrepunt.

Ab insolatione, aerisque inclementia nonnunquam suboritur otalgia: hanc *promovent* consuetorum profluviorum suffla matio, eruptionum cutanearum retrocessus, &c. quę alias defluxionibus capitis magis obnoxios præsertim invadit. Quo dolores altius sunt infixi, eo magis portendit *periculum*: ægrorum enim vita in ancipiti sępius versatur, donec septimo morbi die res sit in vado. Inflammatio raro intra triduum vel quatriduum resolutione evanescit: sed haud dubitare licet quin pus conficiatur; si circa tertium, quartumve diem exacerbentur dolores, & de quadam pulsatione in parte affecta conquerantur ęgri. Puris evacuatione sedantur dolores, & omnia sensim ad alcyonium statum rediguntur; sed remanet, uti supra notavimus, *ulcus contumacissimum*, tędio potius quam dolore molestum, e quo emergit profluvium sanioſum, quod inveteratum nusquam citra ingens periculum sistitur; cum ab hac intempestiva sufflaminatione graviores immineant cerebri morbi; apoplexia nimirum, affectus comatosi, epilepsia, &c. præsertim si ab ipso cerebro prodeat illud tabi stillicidium, quod a carie ossis petrosi, qua viciniora in consensum trahuntur, nonnunquam accidisse norunt practici; de qua strage cogitandum, si atrociores præcesserint cephalalgię.

Otalgia ab inflammatione soboleſcens crebriores *sanguinis missiones* expostulat; imo urgentibus doloribus opportune tunditur *arteria temporalis*. Conferunt etiam sub eodem scopo hirudines vicinioribus partibus admotę, & cucurbitulę scarificatę pone aures aptatę. Præterea proficuus est diluentium & demulcentium usus; inter quem haud prohibentur hypnotica interna, quę caute adhibita expectatissimas impertiuntur inducias. Nec minorem opem præstant anodyna, emollientia & maturantia externa, meatui auditorio indita; inter quę usitatiora audiunt lac muliebre, oleum amygdalarum dulcium, seminum lini, hyoscyami, cataplasma e mica panis, aliudve emolliens & digestivum. Nonnullis opitulatur granum camphorę in auris meatum ineunte morbo immissum: simili quoque modo usurpatur opium, tinctura anodyna, aliaque narcotica, si summos cruciatus patiantur ęgri; sed cautus etiam debet esse horum usus externus; cum, notantibus summis in arte viris, haud levem noxam sępius intulerint. Sunt demum qui nonnullum levamen a pediluvio, vel fricto crurum experiuntur. Post vero disruptum absessum, in usum vocandę sunt injectiones vulnerarię & detergentes; urina, aquę Bellilucanę, Bagnerienses & Baregienses, decoctum agrimonię & aristolochię, infusum rosarum rubrarum & florum hyperici, aqua hordei mulsa, & fraxini, quibus immiscetur tinctura myrrhę & aloes, ad hoc opus usurpari solent. Postremo guttatim auribus instillantur balsamum Fioraventi, Commendatoris, aliaque innumera ulcerum curationi dicata. Quoad vero insecta in auribus genita, vel foris huc admissa, lactis injectione sedantur, vel oleo amygdalarum amararum, petroleo, decocto colocynthidis, hydrargyri, &c. impugnari & enecari queunt; ni quovis obice ad sedem morbi minime appellant prędicti liquores. De corporum, insectorumque extraneorum eductione, cęteris auxiliis longe præstante, nil addimus.

(2) In obscuris plerumque latet *surditatis* causa: præter enim organi spurcitiem

citiem a purulentia & offium carie ortam; alia patent vitia in auditus organis diligenter perluſtratis : nimirum deſiderantur in pluribus officula: membrana tympani, nunc prima conformatione craſſior, vel cruſta quadam impedita deprehenditur ; nunc dilacerata obſervatur, vel plane deeſt. Auris cavernulæ aqua, muco, ſanguine vel tabo obrutæ ſæpius reperiuntur: tubæ euſtachianæ obſtructæ vel infarctæ deteguntur. In conſpectum veniunt tumores cerebro, ejuſque involucris adnati, nervos acouſticos comprimentes: vel ſe offet colluvies ſeroſa eumdem effectum exerens. Alia occurrunt vitia in meatu auditorio; nempe ſarcoſes canalem oſſeum replentes; cerumen huc collectum & inſpiſſatum, quo plane obturatur prædictus ductus ; piſa, nuclei, glandes plumbeæ, aliaque innumera intimius ad membranam tympani adacta, vel in meatum caſu illapſa. Hæc ſunt auditus impedimenta, quæ in viventibus cerni & explorari queunt: alia vero meris duntaxat conjecturis aſſequi licet: utrorumque ſunt varii gradus ; unde ſurditatis & gravis auditus diſcrimina. Per tranſennam notandum haud ſemper aboleri hanc ſenſationem a membranæ tympani defectu ; plures enim novi ſat liquide audientes, qui hac plane carebant: ſi quidem hæc vitioſa diſpoſitio, uti ſupra innui, oculis ſæpenumero viſendam ſe præbet; quam etiam prodit prægreſſus puris fluxus, cujus fomes ultra meatum auditorium latitat. Conſtat præterea quod inter fumantium ludibria, fumus tabaci ore receptus, quadam haurientium induſtria auribus redditur, intacto auditus organo.

Surditas congenita, vel a prava organi conformatione parta, plane *immedicabilis* cenſetur. Nec curatu facilior judicatur in ætate provecta, cum foveatur utplurimum a paralyſi vel occalleſcentia nervi acouſtici. Levis curationis ſpes eluceſcit poſt variolas, cephalalgias diuturniores, & annoſam luem veneream ; poſt certum puris vel ſanguinis ex auribus profluvium, poſt lapſum ab alto, &c. Ægre etiam impugnatur ſurditas a tormentorum bellicorum, campanarum, &c. ſtrepitu ſenſim accedens. Facillime vero curatur gravis auditus, ſi a congeſto cerumine ortum mutuetur, vel ab inſecto, quolibetve corpore extraneo obturetur meatus auditorius. Difficilior eſt cura ſarcoſeos, hunc canalem replentis : haud deſperandum de nervorum ſtupore, de ſeroſa, ſanguinea vel purulenta colluvie organum obruente, &c. Surditas a febribus mali moris contracta ſponte utplurimum evaneſcit: haud ſolutu difficilis cenſetur hic gravis auditus hyſtericis & hypochondriacis familiaris, ac cauſæ ſpaſmodicæ particeps ; qui ſcilicet ab aurium ſtrepitu vel bombo fovetur ; cujus tamen exitus in ancipiti nonnunquam verſatur, cum epileſiam, alioſque affectus convulſivos in quibuſdam præmentiet, auditumve plane extinguat.

Secundis etiam avibus judicari poteſt *ſurditas* vel gravis auditus, ſi nullo præexiſtente vitio organico, *a membranarum* & nervorum inſolita *rigiditate*, vel nimia *flaccidítate*, ſuboriatur. Nec utraque cauſa difficile innoteſcit, ſi attendatur ad varios quos edit effectus aeris conſtitutio; ubi ſcilicet flantibus aquilone & borea melius ſe habet auditus ; & ſurditas ingraveſcat ſub auſtri vel africi imperio ; haud falſo conjicitur laxiores eſſe villos nerveos, membranaceos & muſculares organi: ubi vero contrarium obſervatur, nimiam prædictarum fibrarum tenſionem incuſare licet. Præterea ingens ſoni ſtrepitus nocet iis qui auris ſiccitate laborant ; dum cæteros juvat, quod ſane utriuſque ſurditatis diſcrimen dilucide prodit, & notatu dignum occurrit.

E ſuper habitis patet *diverſam* eſſe *curandi methodum* ; habita ſcilicet ratione cauſæ. Ubi igitur cerumen inſpiſſatum majori quam par eſt copia colligitur, quod crebrius quam vulgo cogitatur, evenit, auriſcalpio everrendum, vel aquæ tepidæ vapore emolliendum, ut ſponte decidat: plures, cauſæ ſurditatis neſcios, & de recuperando auditu plane deſperantes, hac ſimpliciſſima methodo, præter expectationem, curatos vidi. Si ſarcomate obturetur meatus auditorius, totum opus arti Chirurgicæ committendum. Quoad corpora extranea, præmiſſis injectionibus lubricantibus, congruis inſtrumentis extrahi debent. Vapor aquæ tepi-

dæ, & injectiones ex emollientibus paratæ, nimiæ organi ſiccitati medentur. Aliam curam expoſtulat morboſa flaccíditas & vulgatior; ſub qua conducunt ſialagoga & errhina, quorum ope derivatur luxurians ſerum: alios ſalubriores effectus præſtare valet ſternutatio, quam promovent hæc poſtrema: hac ſcilicet, nonnunquam blandiente fortuna, foras eliminatur colluvies ſeroſa, ſanguinea & purulenta, qua obruitur organum, vel abiguntur animalcula, aliaque corpora extranea huc intromiſſa. Præterea nervorum, membranarum & muſculorum tonum reſtituere valet vapor ſulphuris inflammati, decocti ſalviæ, abſinthii, rutæ, roriſmarini, ſeminum aniſi, baccarum juniperi, &c. ope ſcilicet infundibuli aure exceptus. Nec, ſub eodem conſpectu, immerito laudatur granum moſchi, vel ambræ cineritiæ, goſſypii beneficio, auri inditum; quod remedium nonnullis etiam ſenibus optime ſucceſſiſſe fertur. Alii ſumme deprædicant formicas in ſucco ceparum contuſas, vel hunc ſuccum ſimplicem aqua vitæ dilutum, nec adverſatur experientia. In ſimilem uſum etiam trahuntur ſpiritus vini, tinctura caſtorei, oleum laurinum, vel amygdalarum, oleum caryophyllorum, & cinnamomi, &c. Apud vulgus celebratur aqua e fraxini virgulis igne calentibus ſtillans; ſed de hujuſce remedii efficacia dubitare fas eſt. Quandam inſuper opem conferre queunt irrigationes ab alto, ex aquis thermalibus ſulphureis, vel quovis congruo decocto paratæ. Nonnullos demum ſurdos ſuctione aeris per meatum auditorium curatos fuiſſe traditur.

Quod ad *auditus læſionem* ab aurium *ſibilo*, bombo, tinnitu & ſtrepitu, noſtratibus *ſifflement*, *tintement*, aut *brouiſſement d'oreille*, attinet; cum mere ſpaſmodica, uti jam innuimus, videatur; alium curandi ritum ſibi vindicat. Itaque medicaminibus antiſpaſmodicis impugnari ſolet, non ſecus ac cephalicis quæ priorum vires æmulantur. Haud inanem operam ludunt, inter prædictorum uſum, cathartica identidem exhibita. Huc quoque pertinent obſtructiones reſerantia, aliave remedia ad nauſeam uſque decantata. Suum inſuper ſymbolum conferre queunt topica emollientia; vapor nempe aquæ tepidæ, vel decocti althææ, & injectiones e lacte, oleo amygdalarum dulcium, aliiſve demulcentibus paratæ. Fauſte etiam uſurpari queunt roborantia, vapor ſcilicet decocti ſeminum aniſi, alteriuſve plantæ aromaticæ, oleum e nucleis perſicorum, aqua vitæ temperata, fumus ſuccini, fœtor ſpiritus ſalis ammoniaci, &c. Quibus addere licet rectam vivendi rationem, citra quam nil plerumque proficitur. Suſurrus a plethora venæ ſectione fugatur. Cuivis patet remedium, ſi ab inanitione ortum ducat. Lipothymiæ vero prodromus nullam peculiarem curam ſibi vindicat.

MORBI ORIS.

(1) *Labia*, æque ac cæteræ partes muſculoſæ, *convulſione* & *paralyſi* tentantur; qui affectus, etſi toto cœlo diſtant, eumdem tamen effectum erga os edere videntur; cujus ſcilicet *torturam* promovent, nunc a reſolutione muſculorum unius lateris, nunc a convulſione alterius. Si utraque labiorum commiſſura convellatur, emergit *ſpaſmus cynicus*, vel, ut inquiunt, *riſus ſardonicus*. Paralyſis alterutrius lateris apoplexiam prænuntiat, concomitatur & excipit: convulſio vero, epilepſiæ, alteriuſve congeneris affectus eſt prodromus. Suis *ſignis* inſtruitur uterque morbus: in paralyſi ſcilicet oris commiſſura ab aure recedens voluntati minime obſequitur; in convulſione vero pro ægrotantium nutu movetur prædictum latus. Quanti ſit momenti, ut recta ineatur curatio, hoſce morbos prima fronte conſimiles rite diſtinguere, nemini haud obvium: ſternutatoria enim vulgo uſurpata, & paralyſi congrua, noxia ſub convulſione evadunt; de cæteris remediis alterutri affectui dicatis, nil addimus, ne recoctam crambem apponamus. Illud duntaxat quaſi per tranſennam adjicere lubet, nonnulla proſtare topica ab Auctoribus celebrata in utroque morbo, uti videtur, adhiberi ſolita, camphoram nempe, oleum macis & juniperi, ſpiritum ſalis ammoniaci & aquam Reginæ Hungariæ, nec dilucide patet ex eorum obſer-

obſervationibus quid ſit expectandum e prædictorum medicaminum adminiſtratione: quapropter de hac re ulterius inquirendum eſſe cenſemus.

(2) In propatulum venit *labiorum fiſſura*, (*gerçure des levres*); cujus curatio ſimplicioribus peragitur; variis nempe axungiis ad hoc opus paratis, oleo olivarum & amygdalarum dulcium, unguento roſaceo, ceratis vel pomatis demulcentibus & vulgatiſſimis. Nec deſpicienda hæc medela; cum hicce morbus, etſi leviſſimus, nonnunquam in ulcus contumaciſſimum faceſſat. Quaſdam præterea patiuntur *puſtulas* labia, brevi in ulcera cruſtis defœdata faceſſuras, quæ inter febres intermittentes & nonnullas continuas futuram valetudinem prænuntiant: & hinc nullam expoſtulant curationem. Sed alia occurrunt labiorum *ulcera*, a cachexia vel lue venerea prognata; quæ præter curam ſpecificam; topicis exſiccantibus, unguento nempe nutrito, de ceruſſa, &c. leniri vel impugnari ſolent. De ulcere labiorum cancroſo, a cæteris cognatis minime diſcrepante, nil addimus. Quoad *labium leporinum*, (*bec de lievre*,) Chirurgiæ plane ſubmittitur; cujus ope faciei indecoræ proſpicitur; ſed ſæpius remanet vox abſona, ob fiſſum ſcilicet velum palati; quod vitium congenitum labio leporino ſæpiſſime ſociatur, ac plane immedicabile cenſetur.

(3) Ad *tumores* diverſæ ſortis pronas eſſe cæteras *oris* partes nemo neſcit. Erumpunt *e gingivis ſarcomata*, nunc indolentia, nunc moleſtiſſima; quæ pravæ ſanguinis diatheſi, ſcrophuloſæ nempe, vel ſcorbuticæ adſcribi ſolent. Hæ protuberantiæ molles, doloriſque expertes nullum, ni inſolitam craſſitiem aſſequantur, portendunt periculum; ſed majorem terrorem incutiunt renitentes & dolore ſtipatæ, ob imminentem cancrum, cujus naturam ſæpius induunt. Irrita hactenus, imo & noxia fuerunt quævis topica reſolventia & maturantia adverſus utramque ſarcoſim adhiberi ſolita, nec feliciori eventu admota fuere cathæretica. Hinc omnia abdicantur ab expertis, qui ſoli extirpationi confidendum eſſe exiſtimant: quæ operatio ſecundis avibus quotidie celebratur, tum ope phlebotomi, alteriuſve inſtrumenti congrui; tum ligaturæ auxilio; ſi ſinat tumoris forma.

Vulgatiſſima eſt *gingivarum intumeſcentia phlegmonodea*, quæ a dentium labe plerumque genita, labia & genas in conſenſum ſæpius trahit: hic gingivarum infarctus in abſceſſum ſæpius faceſſit, quo diſrupto vel ſecto, ſedantur dolores & brevi evaneſcit tumor. Sunt qui velint vulnuſcula tumentibus gingivis infligere, ut ſanguini inibi hærenti ſternatur via; ſed nil hac methodo proficitur, ſi tumor ad ſuppuratum vergat; ſub qua conditione, magis proficua ſunt emollientia; carica nempe pinguis parti tumidæ admovetur; vel ore excipitur lac tepidum, vel decoctum emolliens; quorum præſidio non ſolum leniuntur dolores; ſed etiam promovetur purulentia. *Abſceſſus* faſtigiati ſponte vel levi preſſione diſrumpuntur; ſed ubi intra textum partium profundiores ſepeliuntur, phlebotomo incunctanter aperiri debent; ne ſtagnans pus foveas ſibi cudat, perioſteumque lædat; vel fiſtulæ contumaciſſimæ anſam præbeat. Evacuato pure colluitur os cum vino tepido, aqua mulſa, decocto agrimoniæ, alterove detergente. Summis laudibus extollitur gummi lacca ad gingivarum putredinem. Ubi demum ſimplici infarctu, nulla vera accedente phlogoſi, intumeſcunt; identidem cruentari debent; nec alia excogitanda curandi ratio.

Ranula, gallis *grenouillette*, eſt tumor cyſticus & ſubalbicans, linguæ fræno adnatus, materiamque ſalivarem viſcidam, albuminis inſtar, plerumque recondens. Ad ovi gallinacei molem nonnunquam accedit hic tumor; hinc minime mirum ſi lingua ſolitis edendis motibus, tum impar evadat; & ideo lædantur loquela & deglutitio; imo & in nonnullis reſpiratio impediatur. Non ſolum laticem ſalivarem, mora inſpiſſatum; ſed haud raro tabum, concretiones gypſeas, &c. colligit prædictus folliculus. Nemo neſcit infantes ranulæ magis obnoxios eſſe; quæ ſæpius virus ſcrophuloſi eſt particeps; atque præpoſtera curatione cancri naturam induere valet. Futilia & nociva fore topica adſtringentia, ſtyptica, alteriuſve ſor-

tis, admoveri solita, experientia constat. Consultius phlebotomo abscinditur tumor, vel ferro candente solvitur: probe evacuata cystide, inflicto vulneri prospiciendum, ope collutionum detergentium, & decocto hordei & agrimoniæ, melle rosato, tinctura myrrhæ, &c. paratarum. Nil interea non movendum, ut absumatur tumoris folliculus ope succi chelidonii majoris, alteriusve cathæretici; alias recurrit tumor, vel suboritur fistula omnem Chirurgorum artem eludere solita. Aliam forte tutiorem medendi viam præbet extirpatio, ope instrumenti congrui, vel ligaturæ, si sinat basis tumoris: sed ad alterutram operationem nusquam se componere licet, ni præmissis generalibus, & præsertim specificis; si sanguis & lympha quadam tabe inquinentur: in hunc censum veniunt, depletis vasis, & primis viis, diluentia, diaphoretica, aperientia & incidentia; ac præsertim catharticorum hydragogorum usus; circa quæ, vide diarium Medicum mensis Martii anni 1759.

Tonsillæ præter phlogosim quæ anginam respicit, *infarctum chronicum* patiuntur, qui sensim scirrhi naturam induit; hinc angina scirrhosa audit: nec exulceratione immunis est hic tumor, si a viru quodam venereo vel scrophuloso foveatur. Leve incommodum pariunt tonsillæ tumidæ, integræ & indolentes, ni harum moles in immensum crescat; sed has ulcere confossas molestè ferunt ægri præsertim inter deglutiendum. Quod ad curationem spectat; huc etiam coincidunt generalia medicamina; ac præsertim primario morbo dicata. Nonnullam opem præstant vesicatoria scapulis admota; sed his præcellunt setaceum & fontanella. Haud desunt qui has impugnare velint cathæreticis; vel ipsomet cauterio actuali, sed eviluit hæc methodus, haud tamen semper despicienda. Præter tonsillarum intumescentiam; alii e labiis, lingua, cæterisque *oris* partibus suboriuntur *tumores scirrhosi*, ad cancrum vergentes; qui ineuntes sub forma pustulæ indolentis se produnt; quæ tarde progreditur; donec tandem dolore stipata ulcere defœdetur. Nonnunquam tamen diuturna sunt hæc *tubercula indolentia*; dummodo haud intempestivis topicis efferantur. Sola extirpatione, præmissis remediis internis supra traditis, quæ sanguinis & humorum dyscrasiæ medentur, domari queunt prædicta tubercula *cancrosa*: sed plerumque obstat horum situs; adeo ut sola fere labiis insidentia huic operationi submitti queant.

(4) Haud minorem molestiam creant *oris ulcera* mali moris; in quorum censum minime veniunt hæc linguæ, labiorum & gingivarum ulcuscula fugacia *aphthæ* vocitata; quæ tamen latius quandoque proserpendo, per œsophagum, ventriculum & intestina disseminantur; ac febrem, diarrhœam vel dysenteriam concitant. Aphthæ præterea os infestantes inter symptomata, febrium inflammatoriarum, intermittentium, & remittentium autumnalium, &c. numerantur. Ad hæc ulcuscula pronos esse infantes, præsertim verminosos, neminem practicum latet: his etiam obnoxii sunt senes; quæ alias utero gerentes sæpius invadunt: sed plerumque a pravis digestionibus soboleseunt. Levem metum incutiunt aphthæ pallidæ & albicantes; sed ominosæ audiunt atrolividæ: utræque demum, in phthisi confirmata, funestum præsagiunt eventum.

Cætera vero *oris ulcera profundiora* & sordida, quæ primo intuitu ab aphthis distinguuntur, uvulam, tonsillas, linguam, gingivas & palatum obsident; ac luis venereæ, scorbuti, vel scrophularum, symptoma audiunt. Tuberculum, aliumve tumorem excipere solent hæc ulcera, plerumque phagedænica, quæ ideo summam in ore stragem edunt. Venerea & palato insidentia brevi ossa carie lædunt; hancque fornicem perforant: eadem impendet labes cæteris ossibus vicinioribus; nec immunis est maxilla inferior. A quacumque causa prodeant prædicta ulcera, sæpius cancrosa evadunt; & hinc plane immedicabilia censeri debent. Hunc etiam infaustum exitum habere queunt ulcera a mucronatis dentium fragmentis confossa; si humorum massa quodam viru inficiatur.

Nullam *curam* efflagitant *aphthæ febriles*, cum pro eruptione quadam critica, haud citra periculum sistenda, haberi soleant apud praxi edoctos. *Aphthis* vero *simplicibus* admoventur frustum vitrioli; spi-

ſpiritus ejuſdem, vel ſulphuris; eſſentia *Rabel*, &c. quibus ſi ſemel, biſve attingantur, brevi evincuntur & evaneſcunt; nec alia egent curatione. Quoad *alia oris ulcera*; nil non movendum, ut cauſa fovens ſæpius intricatiſſima evolvatur: inquirendum ſcilicet, num ſit venerea, ſcorbutica vel ſcrophuloſa; ut congruis remediis impugnetur: inter quæ proficue ſæpius adhibentur decoctum ſudorificum e lignis & radicibus exoticis paratum, juſcula viperarum, teſtudinum, &c. ſed præmittendus eſt uſus diluentium & demulcentium; lactis nempe, ejuſve ferì, juſculorum pulli; nec omitti debent laxantia. Suam pro re nata conferunt opem gargariſmata emollientia, detergentia, exſiccantia & antiſcorbutica; quibus immiſceri ſolent mel, tinctura laccæ, balſamum Commendatoris, &c. Pluris etiam habentur oris collutiones cum aquis Bellilucanis, Baregienſibus, &c. quibus addere licet oleum tartari per deliquium, elixirium proprietatis, aliaque coſimilia, quæ ſtylo goſſypio munito identidem ulceri imponi ſolent.

Alterius ſane quidem ſortis cenſeri debent *ulcera gangræno ſa*, quæ peculiari cuidam anginæ ſociantur, aliamque curam efflagitant. Præmiſſis ſcilicet præmittendis, colluitur os cum aqua, nitro vel ſale ammoniaco ad ſaturationem ferme impræ gnata, cui addere licet tantillum aceti, vel ſucci mali citrei. A plurimis decantatur mel roſaceum cum ſpiritu ſalis, ea proportione ut ſint prædicti ſpiritus guttæ circiter quadraginta pro quaque mellis uncia. *Palato perforato*, notiſſimis præſidiis coerceri debent ulcus & oſſium caries, quibus abſolutis paratur lamina aurea vel argentea, cui alligatur ſpongiola ad foraminis formam comparata; cujus ope obturari poteſt prædictum oſtium; & ſic inconditæ voci proſpicitur, & deglutitio liberior evadit. Extirpationi ſubmittuntur ulcera cancroſa labiis & gingivis inſidentia; ſed quæ cæteris oris partibus incumbunt cura duntaxat palliativa leniri queunt.

(5) *Ptyaliſmus*, (*la ſalivation*,) non ſolum ſub infantium dentitione vulgo ſe ſiſtit; ſed etiam familiaris eſt hypochondriacis, ſcorbuticis & cachecticis, qui tantam quandoque ſalivæ copiam profundunt ut intra nychthemeri ſpatium ad libras duas accedat hic excretus latex. Quare minime mirum ſi hinc ſenſim emergat maraſmus. Alias proſapiam vulgo ducit ptyaliſmus ab humorum in hanc vel illam capitis partem decubitu: hunc etiam fovent aphthæ, aliaque oris ulcera, non ſecus ac vulnera ductibus ſalivaribus inflicta; promovetur demum a maſticatione, a quavis materia vellicante, ab hydrargyroſi, &c. Peſſime ſe gerunt qui nimium ſalivæ profluvium adſtringentibus cohibere moliuntur; cum vitata Charybdi, in Scyllam delabantur: ab intempeſtiva enim ſufflaminatione plures ſubnaſci queunt morbi, ptyaliſmo longe periculoſiores. Tutiori incedunt via qui revulſioni promovendæ debito catharticorum, diureticorum, ſudorificorum, &c. uſu operam impendunt; quorum ope ſerum ſuperfluum ad cætera incernicula adactum parciori ad glandulas ſalivares irruit proventu; donec horumce organorum munia ad conſtitutam naturæ normam accedant.

(6) *Inter varios dentium morbos* principem ſane locum obtinet *odontalgia*, (*douleur de dents*,) morbus familiariſſimus, & nulli ferme ætati parcens; ac nonnunquam ſæviſſimus, vigilias ſcilicet, febrem, delirium, convulſiones & animi deliquia accerſens; qui a quadam humorum defluxione exordium plerumque capit; ſed a dentium carie in primis fovetur. Nunc a frigido, nunc a calido potu, nunc ab aere frigidiori, a ſaccharo, &c. exacerbatur hic dolor; qui partium viciniorum intumeſcentia compeſcitur, & ſæpius plane fugatur. Certa corporis conſtitutio congenita; materia rheumatica, vel arthritica, devia; virus venereum vel ſcorbuticum; graviditas, inſolatio, vel intenſiſſimum frigus caput feriens; aer paludoſus vel pravis halitibus inquinatus, &c. ſunt totidem cauſæ quibus odontalgiæ inſultus adſcribi ſolent; quarum inter curationem habenda eſt ratio.

Ubi non ultra modum ſævit hic affectus, totum *curationis* opus naturæ committitur; ſed urgentibus doloribus omni arte proſpiciendum. Nonnullis ſolatium im-

impertitur venæ sectio: plures gingivarum cruentatione dolores compescere solent; nec despiciendus est hic modus: evulsio demum dentis carioſi princeps audit remedium, quod tamen adhibere vetat dolorum ferocia: quibus incassum tentatis, si ægri hisce torminibus diutius ferendis impares evadant, ad hypnotica interna, præmissis præmittendis, confugere licet. Sed prius experiri debent præsidia vulgatissima; aquam nempe vitæ, vel Reginæ Hungariæ, acetum pipere, caryophyllis, vel cinnamomo imprægnatum, vel cum salvia, aut pyrethro coctum, quæ singula aliquandiu in ore retineri debent. Præterea denti carioso, prius rite detersо, admoventur olea thymi, caryophyllorum, buxi, aliaque consimilia, opium vel tinctura anodyna, spiritus vitrioli vel sulphuris, &c. nonnulli cauterium actuale, vel ferrum candens filiforme, dolenti nervo admovendum perperam deprædicant; summam enim noxam quibusdam intulisse illud remedium experientia novi. Suas laudes merentur sialagoga, nicotiana nempe, pyrethrum, semen staphisagriæ, aliaque id sortis stimulantia, quæ masticata copiosum salivæ fluxum promovent. Ad gingivarum denique intumescentiam adhibentur lac tepidum, decoctum caricarum pinguium, aliave emollientia & demulcentia, quæ diu in ore contineri debent; non solum ad compescendos dolores, sed ut puris confectioni faveatur. Nonnullis demum, post varia incassum tentata, profuit arteriotomia.

Pacatis doloribus, dentis carioſi fovea, rite a sordibus purgata, gossypio vel tenuissimis plumbi lamellis repleri solet, ut præcaveatur aeris accessus: si huic operi obstet forma cariei, dens extra dolorum ferociam eximi debet: sed ab hac evulsione nonnunquam emergit *hæmorrhagia*, notissima arte sistenda; adigitur nempe in alveolum linum carptum spiritu vitrioli, vel aqua styptica imbutum; quam opem etiam præstare potest agaricus, cera mollis, &c. Nec desunt alia adversus dentium dolores præsidia, pro curantium nutu & arbitrio usurpanda; frustulum nempe nucis incensum, & in dentis foveam adactum, emplastra vesicatoria pone aures impositа; alter viburni cortex meatui auditorio inditus; emplastrum de tacamahaca, cui immisceri solet opium, vel oleum hyoscyami temporibus affixum, masticheе simili modo adhibita, limaces contusi iisdem partibus cataplasmatis instar admoti, &c. Sunt qui, post *Spigelium*, cauterium actuale, quo inuritur antitragus, summe deprædicant, nec forte immerito. Mantissæ demum instar addere lubet pertinacissima haud raro erumpere tubercula in variis faciei partibus, dentibus labefactatis adscribenda, quæ ideo brevi a dentis evulsione fugantur.

Aliæ, sed minoris momenti occurrunt *dentium læsiones*, *spurcities* nempe, *laxitas* & *stupor*. Quoad primam, deterguntur dentes ope panis adusti, & collutione e vino parata; ut taceam varias artes munditiei studiosis notissimas: crusta vero tartarea dentibus hærens instrumento congruo auferri debet: vermiculis sub prædicta crusta latitantibus, cariem dentium & oris fœtorem inducentibus, medetur decoctum sabinæ, collutionis instar adhibitum. Usurpantur ad firmitatem dentibus laxioribus conciliandam dentiscalpia e lentisco efformata, vel crebræ collutiones e decocto ejusdem ligni paratæ: in eumdem usum trahitur vinum gummi lacca, catechu, &c. imprægnatum. Fugatur postremo *stupor dentium*, nostratibus *agacement*, fructibus acerbis, stridulo sono, affrictu dentium, &c. concitatus, collutione cum aqua vitæ, vel Reginæ Hungariæ; hunc etiam brevi compesci a masticatis portulaca, nasturtio & eruca, amygdalis, avellanis, caseo, &c. neminem vel rudem & inexpertum fugit.

(7) *Oris fœtor* a dentibus carioſis nonnunquam fovetur; sed sæpius lui venereæ, vel scorbuticæ, quæ utraque summam stragem in ore edere solet, natales debet. Hunc etiam promovent narium sordidæ exulcerationes, saburra nidulans in primis viis, vermes in iisdem latebris latitantes, pulmonum putridæ defœdationes, insolita pylori laxitas, &c. Nec semper causæ morbosæ innititur oris fœtor; cum sæpius suboriatur a quadam sanguinis diathesi, nil sanitati demente; qua fit ut aer e pulmonibus, alias illibatis, exiens effluviis

gra-

graveolentibus inquinetur. Ut ſileamus de fœtore ab eſu allii, & ceparum crudarum, a fumo tabaci, &c. Oris fœtor fugax, nullo præexiſtente vitio organico, pravarum digeſtionum ſuſpicionem movet: ubi vero in infantibus ad aciditatem vergit, de vermibus cogitandum: quod ad graveolentiam ſymptomaticam attinet, nullis remediis, ſubſiſtente primario morbo, obtemperat. E *cadaverum ſectionibus* in apricum veniunt thymus, pulmones, viſceraque abdominalia putredine defœdata, ſtomachus ulcuſculis exeſus, &c. hinc minime mirari ſubit ſi oris fœtor ſub hac rerum conditione nullam ferme curam admittat. Nil, ut omnia in unum contraham, proficitur, ni prius rite proſpiciatur cauſæ foventi, congrua medendi ratione impugnandæ: ſed ut verum fatear, in cimmeriis plerumque latet tenebris: unde fit, ut ſæpius inanem operam ludant curantes. Plane demum immedicabilis cenſeri debet, qui illibata alias ſanitate, pendet a peculiari ſanguinis craſi, cujus ratione e bronchiis erumpunt effluvia inquinata, quæ per aera diſperguntur: hæc dilucide patet cauſa, ſi ſimilia miaſmata exitum per cutis ſpiracula ſibi parent. Hic fœtor diluitur ſtudioſa munditie; accedentibus materiebus aromaticis, quæ in ore contentæ vel veſtibus affixæ hoc incommodum, ſingulis obviis inviſum, paululum reprimere queunt. Acetoſam demum ſcorbuticis opitulari experientia docet.

(8) *Sitis intenſa* ab alimentis calidioribus, ab æſtu aeris, vel corporis inaſſueta exercitatione orta e morborum albo expungi debet. Sed pro morboſa habetur ſitis vehemens, quam febris inflammatoria, alteriuſve ordinis comitem habet. Nec minorem metum incutit ſitis, quam tabes, cachexia, ſcorbutus, hydrops, &c. poſt ſe trahunt. A quavis cauſa procedat ſitis intenſa, moleſtam oris ariditatem, imo & raucedinem ſæpius infert: aqua ſincera, cui præſertim tantillum vini immiſcetur, ſitim a cauſa externa ortam ſedare ſolet: hæc ſiti febrili magis fit congrua, ſi nitro, ſucco limonum, ſpiritu vitrioli, alterove acido, tum vegetabili, tum minerali imprægnetur. Plurimum confert decoctum cichorii ad compeſcendam ſcorbuticorum & hydropicorum ſitim. Potus demum demulcens ex oryza, hordeo, pullo, &c. paratus medetur huic ſalivæ ſalſedini, quæ oris ariditatem, moleſtiſſimamque ſitim tabidis & nonnullis cachecticis impertiri ſolet. Haud exiguam demum meretur laudem, inter cætera demulcentia, mucilago ſeminum cydoniorum ſub linguæ & faucium ardore vel excoriatione. Coronidis loco addere licet, nil mali timendum a ſitis defectu; cum plures occurrant, qui ab omni fere potu abſtinentes, vegeta fruuntur ſanitate. Sed calamitoſus eſt materiæ cujuſcumque potulentæ horror, qui hydrophobiæ caracterem prodit: minorem vero incutit metum hæc averſatio, ſi inter ſymptomata febrium malignarum numeretur; quo ſymptomate nonnullos clinicos, alias de re medica bene meritos, deceptos vidi.

(9) *Uvulæ prolapſus*, vel laxatio, noſtratibus *chute de la luette*, morbus familiariſſimus in regionibus, quæ ſubitaneas aeris mutationes patiuntur; utplurimum leviſſimus, nonnunquam tamen moleſtus evadit; eo quod boli deglutiendi fallacem ſpeciem præbet, & nonnullis ægris ſuffocationis metum incutit. Remediis externis tota peragitur curatio: nonnullam tamen opem ferre queunt cathartica & diuretica; aliaque præſidia defluxionibus & catarrhis dicata; ſed his longe antecellunt topica adſtringentia & repercutientia; gargariſmata nempe e decocto lentiſci, plantaginis, pervince, &c. parata. Attingitur uvula aqua Reginæ Hungariæ, ſpiritu vini camphorato, ſpiritu ſalis ammoniaci, &c. vel quod magis uſu comprobatur, parti affectæ admovetur pulvis aluminis, piperis, pyrethri, gingiberis, biſtortæ, &c. vel in hunc immergitur uvula ope inſtrumenti, ad minimi cochlearis figuram efformati. His incaſſum adhibitis adverſus morbum jam inveteratum, explorari debent vires cauterii occipiti inuſti: nec felicius cedente hoc præſidio, ad uvulæ amputationem devenire nil vetat: ne minimum quidem imminere periculum, ab adempta columella, quidquid in contrarium adduxerit HIPPOCRATES, variique Auctores, qui

cæ-

cæco brutorum more ejus vestigiis insiterunt, multiplici experientia edocti asserere minime dubitamus. De phlogosi uvulæ, anginam respiciente, nil addimus.

DEGLUTITIO LÆSA.

INnumeris propemodum causis, nunc levioribus, nunc gravissimis submittitur hic affectus. Hæ sunt externæ vel internæ: ad primas referri debet vulgatissima, & multigena *œsophagi obstructio*, quæ scilicet contrahitur ab eduliorum bolo, haud probe masticato; quo nonnulli suffocati interierunt; a voratis ossibus, spinis piscium, aliisque corporibus extraneis quæ fortuitu in œsophagum irrepserunt; vel stulta morositate deglutita fuerunt. Ubi sufflaminatum carnis frustum canalem impedit, diversimode succurri debent ægrotantes; vel exercendi sunt pugni in horum dorsum; ut impactus bolus ulterius, vel ad stomachum pergat; quod plerumque rite succedit. Sub aliis conducunt emetica, quibus accedente vomitu everritur obex: sed prius adhibenda veniunt lubricantia, butyrum nempe, olea & jusculapinguia, quæ expeditiores vias parant: quibus frustra tentatis ad extractionem, si sinat morbi sedes, devenire expedit: alias corpus inibi hærens ope cereoli, vel bacilli cetacei rite lævigati, ad ventriculum adigi debet: quemdam hac postrema methodo, cæteris nil proficientibus, nummo argenteo, ponderis unius unciæ, liberandum curavi. Ubi vero corpora acuta, vel aduncа, carnibus infixa haud dimoveri patiuntur, superest purulentia & putredinis spes; enimvero deglutitionis difficultatem, ab spina piscis œsophagi contextui implantata, & a semine caucalis, variis spiculis, uti neminem fugit, horrido, cum offa vorato, hunc felicem exitum habuisse memini: nec in utroque casu prætermissi sunt cereoli & bacilli cetacei, haud sine maximis ægrorum cruciatibus; quibus ferendis nonnulli impares sunt; præsertim si hæc operatio imperito committatur.

Ut ad causas internas deveniamus: circa phlogosim, contractionem spasmodicam, paralysim & tumores pharyngi, œsophagoque adnatos, vel vicinioribus partibus incumbentes, vel ulcera mali moris circa fauces, versantur. Phlogosis anginam, de qua seorsim agere consultius visum fuit, respicit. *Constrictio* horumce organorum *convulsiva*, potu frigido ingravescens, hypochondriacos, scorbuticos & hystericas crebro invadit: nec hisce cancellis continetur spasmus; quin potius ad viciniora propagatur; in propatulum nempe veniunt rigentes cervicis musculi: in consensum trahuntur ventriculus & tubus intestinalis; hinc nausea, flatulentia & borborygmi: a mesenterii distractione emergunt dolores in dorso; nec parcit renibus hic affectus; unde prodeunt urinæ limpidæ & subalbidæ: ut de tremore, horrore, aliisque symptomatibus morbi characterem exhibentibus, & alibi traditis sileamus. Hæc vero omnia plane desunt in pharyngis & *œsophagi resolutione*; sub qua in eodem statu perstat deglutiendi difficultas, quæ in altero casu varias intermissiones, remissiones vel exacerbationes patitur. Præterea alimenta solida, quæ œsophagum convulsum ægre subeunt, facilius obicem superant in paralysi: secus vero evenit a liquidis: unde patet utriusque morbi discrimen. *Phlogosis* demum faucium, ut infra dicemus oculis subjicitur, febre & siti stipatur, &c. ac toto cœlo a prioribus discrepat: sed aliter se res habet in inflammatione diaphragmatis, quæ ægre sæpius dignoscitur; & deglutitionem plane præpedit. Similem quandoque effectum edit portentosa hepatis moles: hæc docet autopsia anatomica.

Immanis iracundia, inter & post cibum; cujusdam alimenti vel medicaminis aversatio; invisum insectum, aliudve corpus fœdum forte deglutitum; venena, &c. pharyngis & œsophagi *constrictionem spasmodicam accersere* queunt; quæ alias febrem malignam nonnunquam concomitatur; vel a vermibus, aliove primarum viarum vitio soboleſcit: neminem sane fugit stomachum nauseantium in consensum trahere oris partes vel ipsasmet glandulas salivares; quæ tunc temporis majorem salivæ proventum eructant: a bene perspecta illius affectionis spasmodicæ causa institui potest *prognosis*, ac dirigi potest *curatio*, quæ in medicaminibus antispasmodicis præcipue

cipue versatur; suum symbolum conferentibus nonnullis aliis pro re nata præsidiis. Raro prodest venæ sectio, sed conducunt emetica & cathartica: nec posthabenda demulcentia, oleum nempe amygdalarum dulcium, sperma ceti, &c. noxia jure censentur hypnotica; sed tuto usurpari queunt sedantia e nitro, camphora, & anodyno minerali deprompta. Quid valeant in nonnullis antihysterica, vermifuga, antidota, &c. e præhabitis dilucide patet. Suam opem etiam conferunt enemata stimulantia & carminantia, pediluvia calida, vesicæ lacte tepido turgidæ, necnon fotus & cataplasmata emollientia cervici admota. Quoad *resolutionem pharyngis* & œsophagi, quæ apoplexiam, aliumve cerebri morbum comatosum plerumque excipit, remediis cæteris paralyseos speciebus dicatis impugnari solet: sed hisce auxiliis etiam exquisitioribus raro cedit hic affectus, ni in subsidium veniant spontaneæ œconomiæ animalis vires. Addere juvat esurientes, tum ab impedita deglutitione, tum ab alimoniæ penuria, tandem febre corripi, cessante fame.

Ut ad *organicam œsophagi obstructionem* deveniamus; hanc pariunt *tumores* ex ipsomet canali erumpentes, vel vicinioribus partibus insidentes: exhibent enim *secta cadavera* præter polypum narium & faucium, deglutitionem impedientem; & corpora extranea ductum cibarium obstruentia; tubercula & sarcoses in œsophagi cavo protuberantia; hunc ductum callo induratum vel cartilagineum; annulos skirrhosos crassitie conspicuos, circa pharyngem vel ventriculum sitos, nil discrepantes ab iis qui pylorum sæpius invadunt; ulcera phlegmonodea passim in prædicto canali occurrentia; stupendum adipis proventum, quo obruuntur trachea & œsophagus; tumores ex aspera arteria prodeuntes; thymum infarctum; intumescentiam tyroidis, & aliarum cervicis glandularum; aortæ aneurismata; variamque pulmonum labem; quibus addere licet ingentem hepatis molem, qua premitur superius ventriculi ostium; & versus umbilicum non raro detruditur hoc viscus, quod alias ita contractum apparet, ut vix ad renis magnitudinem accedat, & ejus cavum fere obliteretur. Inaniſſima etiam intestina occurrunt absque ullo stercoris vestigio; bile nidulante in horumce organorum cavo. Ut sileamus de innumeris aliis vitiis post insolitas inedias observari solitis.

Hæ sunt totidem *causæ internæ*, atra utplurimum *caligine immersæ*, quæ œsophagi obstructionem promovere & deglutitionem impedire solent; quibus debellandis imparia plerumque sunt præsidia medica; unde fit ut *curæ palliativæ* inhæreant solertiores, quæ scilicet versatur circa demulcentia; decoctum nempe seminum lini, vel florum malvæ, oleum amygdalarum dulcium, serum lactis, &c. quorum ope lubricatæ viæ nonnullum alimoniæ aditum præbent. Quibus incassum tentatis, & abjecta omni curationis spe; unum superest miselis ægris solatium; ut tædiosam vitam aliquandiu protrahant ope enematum e lacte vel jusculis paratorum; quorum exigua pars per vasa lactea in crassiora intestina hiantia ad sanguinem appellit: quamdam mulierem, meæ curæ commissam, hac arte per octo vel decem menses integros, fatis eripuisse memini. Haud me latet varias prostare historias *inediarum* plurium annorum absque magno virium dispendio: de quarum fide multum, nec immerito, apud Auctores controvertitur: equidem quamdam sola aeris inspiratione quadraginta annos vixisse refert *Hermolaus Barbarus*: credat Judæus Apella. Pro comperto habeo repertas fuisse, haud sine adstantium admiratione, digestionum reliquias in cadavere cujusdam mulierculæ ob annosam inediam, dum viveret, famigeratissimæ; de cujus ingenuitate ne quidem dubitare fas erat; tantam facile est lucro inhiantibus præbere mendacio fidem. Numerosissimæ circa inedias prodigiosas recensentur ab Auctoribus observationes, quas summa cura congessit SCHURIGIUS in sua chylologia; quæ omnes, ni fallor, haud levem fraudis suspicionem movent. Præter jejunia commentitia; vel mendacia detecta & deprehensa variorum nebulonum, qui sub divini cultus specie multum lucri, vel æstimationis sibi concitare studebant; haud desunt tamen exempla nonnullarum inediarum, haud infucatarum, a quibusdam fatuis & stultis

peractarum; quæ sane quidem arguunt vitam sine cibo & potu, ad unum alterumve mensem protrahi posse.

ANGINA.

IN eadem pergimus de angina dicturi; cum haud aliam, ac jam traditi morbi, sedem sibi vindicet. Barbaram posterorum Græcorum nomenclaturam, in scholis acceptissimam, quæ potius otio luxuriantis ingenii opus, quam genuinam doctrinam sapit, missam facimus: nec curant clinici, quos non fugit anginam esse *phlegmonodeam*, *catarrhalem*, *gangræno sam* vel *spasmodicam*; atque pharyngi, laryngi, proximioribusque oris partibus insidere; variis gradibus submitti, diversisque symptomatibus stipari. Ut ab *angina inflammatoria*, vel exquisita, Gallis *esquinancie*, & Gallo-Provincialibus juxta vocabulum græcum, *ankoues*, exordium capiamus; inter morbos graviores & acutissimos jure numeratur hæc phlogoseos species. Horror & rigor, febris vehemens, dolor capitis, vultus flammeus, conspicuus faucium, partiumque ambientium infarctus phlogodeus; deglutitionis & respirationis læsio, cum lotio rubro, hunc morbum testaciunt. Pharyngi, tonsillis, uvulæ, linguæ, laryngi, partibusque conterminis insidet hæc anginæ species; qua vigente impeditur deglutitio, & fit assumptorum per nares reversio; æstuans facies in nonnullis intumescit; protuberatque cervicis pars anterior; ac lingua tantam quandoque crassitiem assequitur, ut illam extra os exerere, haud citra summum incommodum, cogantur ægri.

Ab accessu aeris frigidi, corpore æstuante, sæpius *contrahitur angina inflammatoria*, præsertim in juvenili ætate. Præterea nonnunquam promovetur ab erysipelatis retrocessu, arthritide anomala, mensium vel hæmorrhoidum sufflaminatione, &c. Hanc postremo infligunt venena, morsus animalium venenatorum, &c. fovetur ab inflammatione, purulentia & putriditate pulmonum; viscerumque abdominalium, ac præsertim hepatis; imo & colluviem serosam in cranio, thorace & pericardio post se trahit: hæc docent extispicia cadaverum. Inter *morbos periculosiores* recenseri hunc affectum, ni uvulam duntaxat alterutramve tonsillam invadat, neminem ferme latet: nonnulli enim decumbentes intra primum morbi diem rapiuntur; alii circa quintum, ad libitinæ rationem ducuntur, ni opportuna medela vel spontaneis naturæ viribus mortem effugiant. Procedente morbo, lingua inflammata, oris spuma, vox acuta & clangosa, pulsus depressus & intermittens, convulsiones, presertim maxillæ inferioris, anxietates &c. funeris metum incutiunt. Nonnunquam observatur translatio materiæ, ut inquiunt, morbosæ; quæ scilicet a larynge & pharynge secedens cervicis partes externas invadit; vel ad pulmones irruit, cerebrumque impetit: quid sit expectandum ab alterutra metastasi, nemini haud obvium. Constat quoque laryngis inflammationem longe periculosiorem esse; etsi nonnunquam accidit ut, ab ingenti tonsillarum abscessu, de vita periclitentur ægri. Cæterum angina inflammatoria, æque ac cæteræ phlogoseos species, resolutione, suppuratione, skirrho & gangræna judicatur: quæ alias a mensibus vel hæmorrhoidibus erumpentibus nonnunquam evanescit. Mantissæ instar addere juvat quod semel hoc morbo correptis immineat reditus, ni exquisita victus ratione, fontanella, aliisve remediis prophylacticis præcaveatur. De angina skirrhosa supra actum fuit.

Anginæ inflammatoriæ curatio venæ sectionibus incunctanter celebratis est auspicanda. Mittitur nempe sanguis e brachiis, pedibus, cervice & lingua. Admoventur hirudines partibus vicinioribus: affiguntur cucurbitulæ scarificatæ cervici, occipiti, scapulis, &c. Interea larga manu propinantur serum lactis, aqua nitrosa, aliaque diluentia & demulcentia. Alvus insuper servanda est libera ope blandiorum purgantium, vel enematum stimulantium ad hoc opus comparatorum. Emeticum, sub urgentissimo casu, in pretio jam dudum est: plures quidem vidi hocce remedio ex orci faucibus ereptos: hinc in hisce angustiis ad hoc, tanquam ad sacram anchoram, servatis servandis, confugere nil vetat. Haud citra periculum exhiberi

que-

queunt narcotica. Nonnullis demum prosunt diaphoretica, vasis prius depletis; ac post debitum diluentium usum, ne plus æquo incandescat sanguis.

Repercutientia, ut ad *externa* deveniamus; bistorta nempe, plantago, pervinca & urtica; oxycratum, syrupus de moris, catechu, alumen, &c. e quibus parantur gargarismata, egregiam opem, ineunte morbo, præstare queunt; sed hoc primo elapso tempore, emollientia & demulcentia præscribi solent, e lacte nimirum, radicibus althææ, floribus malvæ, seminibus lini, caricis pinguibus, gummi arabico, &c. deprompta. Nonnullis opitulantur sialagoga, alias potiori parti noxia. Interea imponuntur cataplasmata anodyna, & emollientia e radicibus althææ & liliorum, foliis hyoscyami & geranii robertiani, floribus chamæmeli & croco, seminibus lini, oleo olivarum, & chamæmeli parata; quæ scilicet non solum deprædicantur ad dolores compescendos, sed etiam ad fovendum humorum decubitum externum. Vulgo celebratur *nidus hirundinis*, qui quadam vi resolvente, pro specifico habetur; nec adversatur experientia. Vesicatoria occipiti imposita faustam revulsionem peragere queunt; idem præstant, uti supra innui, cucurbitulæ scarificatæ circa cervicem; nec inutilia censeri debent crurum balnea. Nonnunquam etiam, annuentibus primi subsellii Medicis, conducunt scarificationes partibus oris tumentibus inflictæ. Si demum plane obturato larynge mors præ foribus imminet, ad bronchotomiam confugere nil vetat. Præterea in quacumque oris parte se prodat *abscessus*, nulla mora incidendus: evacuato pure præcipienda sunt gargarismata detergentia ex aristolochia, agrimonia, pervinca & rubo; floribus hyperici, & rosis rubris; cathecu, vino, melle, spiritu vitrioli, aliisque id genus materiebus parata. Infarctum skirrhosum tonsillarum nonnunquam post se trahere anginam phlogodeam jam supra notavimus: ideo nil addimus; ne recoctam crambem apponamus.

Angina catarrhalis, vel *spuria*, quibusdam *pharyngitis*, vernacule *mal de gorge*, quæ a frigore diversimode suscepto, ab intensiori clamore, a constitutione aeris pluviosa, &c., contrahitur, nullam vel levem febrem movet. Fauces, ac præsertim tonsillæ, levi phlogosi corripiuntur, e qua prodeunt pustulæ purulentia albicantes, quæ brevi sponte evanescunt: sub hac dispositione emergit deglutiendi difficultas, quæ leve plerumque incommodum parit. Coryzam plerumque comitem habet, cui dein succedit tussis catarrhalis, de qua supra. Notare juvat nonnullos pro angina notha etiam habere hunc parotidum, maxillarum, aliarumque glandularum salivarium infarctum phlogodeum, infantibus familiarem sub nomine *oreillons*; de quo, dum de parotidibus actum fuit. Insuper ad quamdam anginæ spuriæ speciem proni sunt scrophulosi, & syphilidei; quæ, etsi eamdem ferme faciem præ se fert, multum tamen a catarrhali discrepat. Alterius etiam est naturæ hæc anginæ species quæ variolas, morbillos, & quasdam febres malignas solet concomitari; non secus ac illæ quæ ab hydrargyrosi promovetur; quæ sane differentiæ a bene perspectis antecedentibus erui solent.

Periculo ferme vacat angina catarrhalis; ejusque *curatio* simplicioribus peragitur; ni solis naturæ viribus, accedente congrua victus ratione, committatur. Nonnullis temperie sanguinea præditis, & ætatis floridæ opem fert venæ sectio: nec raro conducunt, procedente, vel decrescente morbo cathartica blandiora, dummodo tamen haud prætermittatur largus diluentium potus. Opportune obducitur cervix lana succida: nil aliud adhibet vulgus quam tibialia e laneo stramite contexta, quibus collum obvolvere solet. Alii cineres calidos, fimum columbinum, hyoscyami folia sub cineribus cocta, innumeraque alia diversæ sortis resolventia, vel anodyna, in consimilem usum adhibent. Hæc dum peraguntur, haud posthaberi debent gargarismata e lacte, decocto caricarum pinguium, pervincæ, hyperici, consolidæ majoris, &c. quæ tametsi a pluribus parvi habentur; haud tamen, me judice, inutilem operam ludunt.

Angina gangrænosa, ab *Aretæo* primum, ni fallor, delineata, *epidemica* & contagio-

gioſa nulli ætati parcit; ſed pueros & infantes plerumque *invadit*: obſcurus ſane & dubius eſt hujuſce morbi inceſſus; unde fit ut incauti ſub hoc primo exordio decipiantur. Tonſillarum glandularumque ſalivarium dolore, & intumeſcentia ordiri ſolet hic truculentus affectus, quem raro præeunt horror & rigor. Febris, ſub primis diebus, mitis; circa tertium plus minuſve intenditur: ſed pulſus depreſſus & inordinatus in pleriſque obſervatur. Tunc temporis, vel citius, oculis ſubjiciuntur, præter uvulæ & tonſillarum protuberantiam, maculæ lividæ vel fuſcæ, phlyctænæ, & ramenta membranacea ſiderata, non ſolum in faucibus, ſed in aliis circumambientibus oris partibus. Hiſce ſtigmatibus brevi ſuccedunt aphthæ, vel ulcuſcula late ſerpentia, quorum oræ inflammatæ & dolentes quid virulenti redolent. In quibuſdam alte inſidet hæc labes, quæ oculis minime ſubjicitur; ſed deglutiendi difficultas, raucedo, reſpiratio difficilis, & ronchus; ac in primis ramentorum membranaceorum excretio, hunc morbum dilucide produnt. Hæc enim ulcera gangrænodea non ſolum os, fauces & narium cavernulas infeſtare; ſed etiam in œſophagum, ventriculum & inteſtina, æque ac in laryngem, tracheam, bronchia & pulmones ingruere *autopſia anatomica* conſtat. E partibus affectis & conſpicuis ſponte decidunt eſcharæ, vel eximuntur ramenta membranacea, nonnunquam latiſſima, non ſecus ac in genuina exfoliatione. Interea ſummum fœtorem ſpirat os; inſolitam craſſitiem eſſequitur lingua, & ſaburra craſſa defœdatur: intumeſcunt, uti jam innuimus, parotides; ſaliva graveolens, & mucoſa, majori copia ſtillat, &c. His non raro accedunt vomitus & alvi fluxus: ut ſileamus de effloreſcentiis cutaneis, aliiſve variis ſymptomatibus, quæ rarius obſervantur. Hac porro deterrima labe correptis fatum a quinto ad nonum diem; quibus ſuperatis ad vigeſimum, trigeſimum, vel quadrageſimum protenditur morbus.

E præhabitis intelligitur cur angina gangrænoſa, etſi ſub exordio mitiſſima videtur, *maximum terrorem* incutiat; eo quod ſcilicet ejus deleterium primis digeſtionum viis & pulmonibus minetur; qua labe nil calamitoſius poteſt excogitari. Hic infauſtus imminet exitus, ſi ſordida & conſpicua oris ulcera late, & citius quam par eſt, diffundantur; ſi eſcharæ atro-lividæ pertinaciores hæreant, & deglutitio moleſtiſſima evadat. Quo accedente infortunio brevi cum morte colluctantur ægri; qui ſcilicet circa quintum morbi diem, raro tardius, rebus humanis vale ſupremum dicunt. Pro comperto manet, apud omnes clinicos praxi edoctos, hunc ferociſſimum morbum periculoſiorem eſſe in juvenili & adulta ætate, quam ſub ſenectute: conſtat poſtremo juvenes qui ex hacce anginæ ſpecie evadunt, morboſa corporis conſtitutione, vel lubrica, ut inquiunt, valetudine diutiſſime conflictari.

Venæ ſectionem quandoque efflagitat angina gangrænoſa; ſed, ineunte morbo, celebrari & raro iterari debet. Idem ferme eſto judicium de emeticis: opportuniora videntur blandiora cathartica; alvus enim, procedente morbo, ſervanda eſt libera; ſed omni ſtudio vitanda eſt hypercatharſis. De alexiteriis & ſudorificis controvertitur, quæ tamen haud plus æquo æſtuante ſanguine citra periculum adhiberi poſſe crediderim. Omnibus palmam præripiunt antiſeptica; aqua nempe ſucco limonum vel ribeſiorum imprægnata, aliave acida, nitrum, cortex peruvianus, & alia quæ ſimili efficacia pollere videntur; inter quæ uſus camphoræ haud immerito deprædicatur. Nonnullis proſunt cucurbitulæ ſcarificatæ occipiti affixæ: plures etiam fauſto bearunt eventu veſicatoria cervicis lateribus admota; præſertim ſi inflicti a cathæretico vulneris purulentia foveatur. Peſſimum habuerunt exitum ſcarificationes ad promovendum carnium gangrænoſarum delapſum celebratæ, hinc a ſanioribus practicis abdicantur, qui ſcilicet hunc effectum exerere tentant gargariſmatibus demulcentibus, & refrigerantibus; inter quæ laudibus extollitur ſaccharum ſaturni in aqua ribeſiorum, vel roſarum rubrarum, ſolutum. Multis demum arridet linimentum ſpiritu ſalis & melle paratum; quo pluries per diem inunguntur partes affectæ: congruit præſertim infantibus hoc topicum, quibus denegatur cuiuſvis gargariſmatis uſus.

An-

Angina convulsiva, œsophagi constrictioni spasmodicæ, de qua supra, cognata, & utplurimum adjuncta, a cæteris anginæ speciebus multum abludit, tum majori spirandi difficultate; tum magis impedita deglutitione; adeo ut etiam erecti ægri spiritum ducere nequeant; dum nulla ab accuratiori intuitu patet nota ruboris, infarctus & intumescentiæ circa partes affectas. Tantus est hujusce morbi impetus ut nonnullos ægros intra paucas horas e medio tollat. Hæc velocissima anginæ species, de qua quasi oscitanter egerunt Auctores, raro essentialis occurrit; sed utplurimum symptomatica audit prioris affectus spasmodici; tetanos nempe, hysteris, hypochondriasis, &c. Hanc præterea nonnunquam promovent pulmonum, thymi, hepatis, &c. labes putrida, uti ex historia cadaverum anatomica colligitur. Angina convulsiva a causa fugaci orta, nullo præexistente vitio organico, vano plerumque metu adstantes terret. Sed ubi graviorem morbum, vel quamvis immodicam evacuationem excipit, luctuosa censeri debet: si vero hepatis vel pulmonum putridam defœdationem concomitetur, cogitandum de exequiis. Sæpius postremo pro catarrho suffocante ab incautis haberi anginam convulsivam, jam supra notavimus.

Quod ad ejus *curationem* attinet; nil non movendum ut compescatur efferus spirituum motus, vel revulsionis ope alio dirigatur. Primum effectum præstant antispasmodica, tum extus admota, tum intus, si sinat obex, exhibita: naribus scilicet insufflatur fumus plumarum, veteris corii, aliusve fœtidissimus a diversarum materierum ustione excitatus. Inspirandus præbetur odor aceti acerrimi, spiritus salis ammoniaci, salis volatilis anglicani, &c. Propinantur, quantum licet, aqua florum aurantiorum, tinctura castorei, aliaque id genus. Interea injiciuntur enemata cathartica & stimulantia, ut scilicet solvatur alvus, & hoc est præcipuum curationis momentum. Celebrantur fricatus in dorso & artubus inferioribus. Affiguntur cucurbitulæ siccæ cervici, occipiti & scapulis. Quibusdam opitulatur sanguinis missio e saphena; præsertim si consueta sanguinis profluvia sufflaminentur, alias haud citra periculum celebratur. Pluribus postremo prosunt emetica, si turgeant primæ viæ: nec minus opportune præscribuntur cathartica, dummodo sinat obex, & per temporis angustiam liceat. De angina varioloſa & morbilloſa, hysterica, venerea, hydrophobica, aliave symptomatica, suo loco.

SECTIO III.

DE MORBIS TRUNCI ET ARTUUM.

PLEURITIS NOTHA.

A Dolore acuto circa ambitum pectoris, tum in sterno & costis, tum in claviculis & dorso, qui ab explorantibus digitis, vel singulis inspirationibus exacerbari solet, *dignoscitur* pleuritis notha, tussim siccam cum febre haud raro comitem habens. Multiplex hic morbus a communi defluxionum causa, a flatibus, vermibus, a diathesi scorbutica, rheumatica, &c. oriri videtur. Frequens observatur pleuritis spuria, quæ vulgo *flatulenta* audit, & diro dolore excruciat, ac respirationem intercipit, cum pulsu lento & contracto. Hæc plerumque brevi recedit, & ab spasmo originem mutuari videtur, cum studiosos, hypochondriacos, & hystericas presertim invadat, & sponte, vel linteis calidis fugetur. Pleuritis spuria *verminosa*, infantes potissimum respiciens, oris fœtore, ac febre vaga, non inflammatoria, ut de cæteris vermium signis sileamus, stipatur. *Scorbutica* varias pectoris partes, eodem insultu, peragrare solet: comitem habet tussim, cum anacatharsi viscosa, respirationem quandoque præpedit, non sine mortis formidine. *Rheumatica* contumacior haud tamen metum incutit; graveque curantibus facessit negotium: nec minus pertimescenda quæ a devia materia arthritica, vel a retroceſſu

eru-

eruptionum cutanearum profapiam ducit. Intercoſtalibus, aliiſque muſculis thoraci incumbentibus, inſidere videtur hic fugax affectus, (*point de cote*) & ad inflammationem, præpoſtera curatione, nonnunquam vergit, quam conjicere licet, ſi eductus ſanguis notiſſima phlogoſeos indicia præbeat, quæ tum familiariſſima translatione, membranam coſtas ſuccingentem, pulmones vel ipſummet hepar, teſte autopſia anatomica, minatur. Brevi ſolvitur hic morbus, qui ſcilicet raro ultra ſeptimum diem protelatur; ſed ſæpius recurrit, ni ſibi caveant ſemel correpti. Periculi exſors cenſetur, dummodo partibus internis parcat: nec metuenda hæc pernicies, ſi dolor ex una parte ſerpat in alteram. E præhabitis colligitur pleuritidem notham longe diſcrepare a dolore pectoris chronico, qui a partium internarum labe fovetur.

Pleuritis ſpuria in pleriſque, vel ſponte, vel admotis linteis calidis fugatur: ſed nonnunquam pertinacior opem medicam expoſtulat; quæ perſpecta quantum licet morbi cauſa, circa *ſanguinis miſſionem* verſatur, ſi acriter ſæviat dolor, vel adſint plethoræ ſigna; alias futilis cenſeri debet: nec minus auxilium præſtant emetico-cathartica, quoties primæ viæ pravis digeſtionum reliquiis ſcatent; ſed ſemper opportune exhibentur diluentia, demulcentia & bechica; ſumme deprædicatur infuſum herbarum vulnerariarum; rariſſime fallunt diaphoretica blandiora; inducias agunt hypnotica, quæ tamen nuſquam, niſi præmiſſis præmittendis, ſunt præſcribenda. Præſentaneam opem ferunt, ut ad externa deveniamus, topica emollientia & anodyna, axungia nempe humana, aliave, oleum lumbricorum, unguentum de althæa, vel populeum, balſamum tranquillans, &c. horum vires ſuperant vel æmulantur fotus emollientes vulgatiſſimi; necnon cataplaſmata ejuſdem ordinis, quibus nonnulli ſaponem commiſcent: camphora demum inter hæc externa haud infimum locum obtinet. Fauſtam poſtremo revulſionem peragere queunt veſicatoria parti dolenti impoſita, vel ſcapulis admota: ſummis præconiis apud plebem celebratur pulvis piperis & gingiberis, qui ſimili modo adhibitus eadem munia obire poteſt.

LUMBORUM MORBI.

PRimum ſane locum obtinet *lumbago*, quæ ſuum nomen mutuatur a parte affecta: ſedem ſcilicet habet in illa vagina aponeurotica & craſſiſſima quæ muſculos extenſores obveſtit, & quaſi colligit. Rheumatiſmi & arthritidis ſæpius particeps hic *dolor lumbis impactus*, a quovis trunci motu vel attactu exacerbatur, & hacce nota apprime diſtinguitur a genuina nephritide, renibus ſcilicet vel ureteribus inſidente, quæ alias ſuis propriis ſignis facile innoteſcit. Periculi expers cenſetur lumbago, alias contumaciſſima; preſertim in ſenili ætate, ſub qua a materia arthritica foveri jure exiſtimatur. Haud tamen juvenibus parcit nephritis ſpuria: quin potius ab immodica corporis exercitatione quam hæc fert ætas, ſæpiſſime ſoboleſcat. Hanc etiam nonnunquam promovet menſium vel hæmorrhoidum ſuppreſſio; non ſecus ac diatheſis ſcorbutica & ſyphilitica. Illud per tranſennam notare expedit ſimillimum affectum nonnunquam pati muſculos abdominales, qui nunc pro colico dolore, nunc pro horumce organorum phlogoſi ab imperitis habetur, atque felici ſane eventu, remediis adverſus commentitium morbum uſurpatis nonnunquam evincitur.

Proficuam fore *venæ ſectionem*, ſi incuſetur profluviorum ſanguineorum ſufflaminatio, nemo non intelligit: ſed præſertim danda eſt opera ſub hac conditione, ut congrua præſidiorum ſupra laudatorum adminiſtratione, in integrum reſtituantur priſtinæ evacuationes. Opportune præcipiuntur cathartica, aliaque auxilia quæ alvum liberam ſervare valent. Hæc dum geruntur, haud prætermittendus eſt diluentium & demulcentium uſus; ſeri nimirum lactis, aquæ pulli, emulſionum, &c. Suas laudes merentur mitiora diaphoretica; dummodo haud obſtet ſanguinis plus æquo æſtuantis impetus. Huc etiam coincidunt topica emollientia & anodyna pleuritidi ſpuriæ dicata, ſed his præcellunt fricti, & irrigationes ab alto cum aquis thermalibus, vel quovis decocto reſolvente paratæ. Suis viribus etiam pollent fotus & cata-

cataplasmata ejusdem indolis, quæ spiritu vini camphorato acui solent: pars demum affecta villosis pellibus probe muniatur. Sed omnibus hisce auxiliis palmam sane præripit lumborum motus, primo ob summam quam infert molestiam levis, qui dein sensim adauctus hunc morbum arcere solet.

Quantum discrepet *lumborum dolor febrilis* a lumbagine, nemini haud obvium: sed *alter* est *lumborum dolor sævissimus*, qui propius ad nephritidem spuriam accederet, ni subito ingrueret & a notissima causa externa contraheretur; nempe a motione lumborum violenta, vel a pravo quodam musculorum extensorum situ; dum corpus inflexum & incurvatum erigitur. Itaque nil aliud est quam certa organorum moventium *distorsio*; qua fit ut a levi nisu exsurgant cruciatus ferocissimi, donec partes a sua genuina sede dimotæ pristinum situm recuperent, quod spontanea naturæ vi, vel simplicissima arte perficitur. Nescio quo fato in hujusce morbi medela, non secus ac in distorsione pedis plane ferme cæcutiant, vel peritiores Chirurgi, ni operationem simpliciorem perperam despiciant, quæ utplurimum hominibus rudioribus, qui artem Chirurgicam ne quidem a limine salutarunt, vel quibusdam mulierculis quotidie, nec infelici successu committitur, quæ scilicet solo fricto partis oleo inunctæ, cum pollice, vel manu integra, motu juxta dorsi longitudinem recto, absolvitur.

Haud prætereundum censemus, dum de affectibus dorsum spectantibus differimus, *tumorem* quemdam *adiposum*, qui non solum e dorso, sed etiam ex scapulis protuberat, & in tantam molem sæpius attollitur ut cucurbitæ majoris amplitudinem æquatur. *Natta* apud Auctores vocitatur hæc cuti concolor, & mollis intumescentia, quæ in tumorum cysticorum classi lotum jure sibi vindicat. Nil præter adipem colligit hic folliculus nullius doloris particeps, etsi nonnunquam macie confectis gestatur. Laterem lavant qui remediis internis huncce morbum expugnare tentant: imo & futilia sunt omnia, vel exquisitiora, topica resolventia adversus morbum sola extirpatione domandum, quæ operatio insuper facillime absolvitur, & periculo plane vacat. De tumore aqueo spinali infantum, de quo suo loco, nil addimus.

VENTRIS INTUMESCENTIA.

In apricum sane quidem venit hic *morbus multiplex*; sed sæpius in obscuris latet ejus genuina indoles; ut de causa, utplurimum inextricabili, sileamus. Numerosissimos morbos, de quibus passim in hoc opere, respicere hanc morbosam corporis conditionem, nemo non intelligit; quos in memoriam revocandos, quasi per transennam, sub hocce titulo colligere, haud incongruum fore cogitavimus; facem præferente autopsia anatomica: versantur circa viscerum abdominalium intra & extra peritonæum sitorum infarctum, inflammationem, purulentiam & putredinem; tumores multiformes, e prædictis visceribus erumpentes, e corpore celluloso prodeuntes, processibus membranosis & involucris adnatos, vel in ipsismet arteriis, aliisque vasis sedem habentes: ingentem adipis copiam; flatulentiam demum & stagnationes diversæ sortis. Quibus addere licet varios uteri, ovariorum & tubarum affectus; ut de genuina graviditate sileamus, quæ sæpissime in pseudo-virginibus pro morbo medicabili ab incautis habetur.

Equidem in *evisceratis cadaveribus* annotatur ventriculus mole ingens, vel flatu, aqua & sanguine huc effuso, distentus; ac nonnunquam lapides recondens. Patent intestina flatulenta, fæcibus obstructa, pituita vel humore quodam mucoso infarcta, phlogosi tacta, skirrhosa & invicem accreta. Occurrit hepar ingentis molis, inflammatum, infarctum, tuberculosum, skirrhosum, steatomatosum, calculosum, abscessum fovens, hydatidibus fœtum, sideratum & putre: vesicula fellea numerosissimis calculis biliaribus nonnunquam tumet. Lien conspicitur ingens, skirrhosus, tuberculosus, putridus & e sede dimotus. Detegitur pancreas phlogosi læsum, amplissimum, skirrhosum & putridum. In apricum veniunt mesenterium adipe obrutum, tumens, skirrhosum & pus colligens; epiploon crassissimum, skirrho-

rhoſum, ſideratum, diſruptum, convolutum & nodoſum: renes lotio diſtenti, inflammati, pure turgidi, lapidibus fœti; non ſecus ac ureteres: veſica a retento lotio ultra modum diſtenta: uterus portentoſus molam recondens, cartilagineus, skirrhoſus vel hydrope affectus: ovaria a collecto ſero mire tumentia, ingentia, variis concretionibus infarcta; vel fœtum continentia: tubæ aqua diſtentæ, ingentes, skirrhoſæ, fœtum recondentes, &c. Inveniuntur tumores carnei, ſteatomatoſi, cancroſi, cyſtici & purulenti; e meſenterio vel peritonæo erumpentes; veſicæ, inteſtino recto, utero, &c. adnati. Se produnt flatulentiæ intra & extra viſcera; ſtagnationes ſeri & ſanguinis, bilis a vulnerata vel diſrupta veſicula; chyli a dilaceratis ductibus lacteis; ſordidæ, purulentæ, ichoroſæ & fœculentæ: hydatides poſtremo in peculiaribus capſulis reconditæ, vel in abdomine fluitantes.

E præhabitis luce clarius patet abdominis intumeſcentiam chronicam *curatu* eſſe *difficilem*; & plerumque indomabilem; recentem vero, vel ſpontanea naturæ vi evaneſcere; vel opportunis remediis evinci poſſe; dummodo tamen apprime innoteſcat ejus genuina indoles; alias futilis eſt curatio, vel lethifera; ni obſecundet fortuna. Inter hanc dubiam & intricatam rerum conditionem, judicio & ſcientia opus eſt; cum plerumque lateat recta curandi methodus. Haud vetantur ſub hiſce anguſtiis cautæ periclitationes: ſed vitanda incondita remediorum farrago: imo & nonnunquam ab omni curatione, recto inſtituto regimine, abſtinere præſtat; cum nonnunquam tædio potius quam dolore moleſtus ſit hic ſtatus morboſus, qui alias haud raro ad decem, vel viginti annos, & ultra protelatur.

HERNIÆ ET AFFINES.

(1) NEminem vel rudem & inexpertum latet hoc nomine inſigniri tumorem a quavis abdominis parte erumpentem, a delapſu vel exitu cujuſdam viſceris ortum. Huic morboſæ depulſioni obnoxia ſunt inteſtinum ileum, epiploon, ventriculus, veſica, &c. Tubus inteſtinalis exitum ſibi parat per annulos inguinales; per arcus crurales; per foramina ovalia; per emarginationes iſchiaticas; per vaginæ parietes; per umbilicum, præſertim in recens natis: aliaſve abdominis partes; hinc prodeunt *hernia inguinalis*, *cruralis*, *ovalaris*, *iſchiatica*, *vaginalis*, *umbilicalis* & *abdominalis*. Scire juvat has ſingulas ſpecies eſſe duplicis ſortis; in proceſſu ſcilicet peritonæi producti, quem ſaccum hernioſum vocant, continentur; vel extra peritonæum ſitæ a dilaceratione vel diſruptione hujuſce membranæ originem ducunt: primæ indolentes ſenſim protuberant & lente procedunt; ſecundæ vero, noſtratibus *ruptures*, vivido dolore primum ſtipatæ, brevi incrementum ſumunt, & ſacco carent hernioſo. Simili ferme modo extra abdominis cavum detruduntur epiploon, ventriculus & veſica; hinc *herniæ inteſtinales*, *epiploicæ*, *gaſtricæ*, & *veſicares*; nunc ſimplices, nunc compoſitæ. Vulgatior ſane *inguinalis*, nunc ab inteſtino, nunc ab epiploo; alias ab utraque parte prognata; in inguine coercita *bubonocele* vocitatur; ad ſcrotum vero devoluta, *enterocele*, vel hernia ſcrotalis audit; quæ poſtrema tantam ſæpius molem aſſequitur, ut parum abſit quin ad genua uſque propendeat. Sed ægre ſæpius dignoſcitur num inteſtinum, epiploon, vel utrumque contineat prædictus tumor: nec facilius innoteſcit *hernia veſicaris*, quæ haud abſimilem ſitum obtinet. Herniam inteſtinalem etiam mentiuntur bubo, & teſticulus annulo hærens; hinc errores emergunt ſæpius lethales. Peculiaribus tamen ſignis aſſequi poſſunt horumce tumorum differentiæ: hernia ſcilicet *inteſtinalis*, magis ad amuſſim orbiculata, peculiari elatere donatur: *epiploica* vero, cujus ambitus eſt inæqualis, flaccidior apparet. *Veſicaris* a compreſſione evaneſcit, ſequente mejendi deſiderio. Bubo ſuis peculiaribus ſignis innoteſcit: teſticulus vero, inani ſcroto, ſe prodit. Herniæ vero ex umbilico, aliiſve muſculoſis abdominis partibus erumpentes per ſe patent, de hernia vaginali alibi. Ductum inteſtinalem inflexum vel geminatum reperiri in herniis vulgatiſſimis nemo neſcit, ſed alia occurrit herniæ inteſtinalis *ſpecies*, *rariſſima* qui-

quidem, & a Ruischio primum, ni fallor, observata; quæ a producto, sacci instar, uno intestini latere efformatur; cujus ratione, canalis liberum semper aditum materiebus alvinis in abdomine concedit: sed ægre distinguitur inter vitam hæc herniæ species, quæ tantummodo deprehenditur in exenteratis *cadaveribus*. Nec facile etiam nonnunquam innotescit *hernia cruralis*, cui obnoxiæ sunt puerperæ, bubonis sedem, faciemque obtinens; hinc minime mirum si incauti, vel imperiti affinitate decepti ad sectionem commentitii bubonis sese accingentes in errorem lethiferum se præcipites ruant.

Labores ardui vel violenti, corporis nisus, lapsus ab alto, clamores immodici, tussis vehemens, sternutatio crebra, partus difficilis, &c. totidem audiunt *causæ* herniam promovere solitæ, quæ alias peculiari vel congenitæ corporis constitutioni natales debet. Herniam facillime curari in juvenili ætate nemo nescit; sed aliter se res habet in adulta & senili. Tædio potius quam dolore molestus tandiu existimatur hic affectus, quandiu laxatus annulus abdominalis ingressum & regressum largitur fæcibus alvinis; sed secus evenit, si morbosa constrictione afficiatur prædictus aditus; adeo ut plane sufflaminetur materierum intestinalium circuitus; quod infortunium, herniam intestinalem legitimam præsertim respiciens, presso pede sequitur *morbus iliacus*, sub quo diutius protracto imminent inflammatio & gangræna. Hunc *infelicem exitum* prænuntiant vel patefaciunt sæviora tormina, singultus, sudores frigidi, pulsus obscurus & intermittens, &c. quæ omnia symptomata pro mortis præconibus habentur.

Nil præter solitum accidente, intestinum delapsum blande propelli debet, ut intra remeet; quod facile vel ab ipsomet ægrotante decumbente absolvitur, dummodo tamen haud immensa sit tumoris moles, quo in casu experta Chirurgi manu *reponi debet intestinum*. Sed ubi nimis constrictus annulus huic repulsioni obstat; eo enitendum ut flexilitas ipsi concilietur: hanc opem præstant venæ sectiones, & ipsamet hypnotica, quæ inflammationi, dolores cicurando, occurrunt; constrictionemque spasmodicam solvere queunt: prosunt etiam sub hac rerum conditione, enemata emollientia, fotus & cataplasmata ejusdem sortis, semicupia, &c. Repositio intestino *subligaculis* notissimis muniri debet pars, ne in posterum relabatur canalis debito repagulo coercitus. In subsidium veniunt varia emplastra adstringentia officinalia, vel cataplasmata e farina fabarum, radicibus sigilli Salomonis, consolidæ majoris, &c. parata. Nec despicienda infusa vulneraria intus exhibita; ptisana e radicibus symphyti, &c. Nescio qua ratione ab usu fere recessit spiritus salis ore sumptus; remedium scilicet *Prioris*, ut inquiunt, *de Cabrieres*, tandiu celebratissimum, quandiu pro arcano venditabatur; quod tamen multis, etiam adultis, optime cessisse experientia edocti asserere minime dubitamus. Sed necessum est ut æger, inter ejus usum, per quadraginta dies ad minimum in lecto quietus decumbat.

Ubi vero in annosis herniis partes extra abdominis cavum depulsæ hærentiam contraxerunt, vel plus æquo constrictus annulus dilatari minime patitur; adeo ut incassum moliatur Chirurgus intestini repulsionem, & urgeant symptomata; ad *sectionem* solitam nulla mora devenire expedit; quæ sane ingentem artificis solertiam & dexteritatem expetit. Mos hactenus invaluit ut impedito intestini regressu, incideretur annulus ad patentiorem viam: sed aliam faciliorem, & minus ærumnosam methodum proponit solertissimus le Blanc; quæ versatur in simplicissima prædicti annuli dilatatione, ope digiti vel cujusdam instrumenti quod delineandum curavit de re chirurgica bene meritus Auctor. Hac equidem enkeiresi, longe blandiori, declinantur dolores acerbissimi, quos parit sectio partis aponeuroticæ, & tutius præcavetur reditus: hinc fit ut curatio per hanc methodum plane absolvatur, quæ multos jam fausto beavit eventu. Sed infelicem habet exitum hæc utraque operatio; si intestinum plogosi vel gangræna corripiatur: quale infortunium accersere solent incauta intestini repellendi pertractatio, vel diuturnior cunctantium mora. Nec desunt tamen sub hac luctuosa rerum conditione artis præsidia, quæ scilicet fa-

tum procraſtinant; ſed rariſſime avertunt. Conſultius ſane & facillime celebratur *hæc operatio*, intacto tamen annulo, vel leviter ſaucio, inter morbi inducias, ut opportuna cicatrice, ſacco hernioſo, vel ipſimet annulo hærente, quaſi obturetur, vel anguſtetur hæc via, quæ hinc lapſuris inteſtinis & omento præcluditur. Tum enim periculi expers cenſeri debet hæc ſectio, dummodo tamen vires ferant: alias pro ardua & ſumme periculoſa jure habetur. Circa quam obiter notare expedit haud abſonum fore, aliam forte tutiorem & *faciliorem* experiri *methodum* ſub urgentiori caſu; dirigendo ſcilicet ferrum, ita ut reſcindatur annuli conſtricti pars ſuperior: poſtea ſtylo ſtriato notiſſimo per hoc vulnus in ſaccum hernioſum immitteretur, cujus beneficio aditum ſibi pararent forcipes in prædictum ſaccum, qui intra exiguum momentum ſalvo inteſtino aperiretur: hinc *tuto*, ni fallor, & *ſumma celeritate* perficeretur, quod haud citra ingentes cruciatus, & maximum vitæ diſcrimen abſolvitur: ſed hanc methodum in ſolis cadaveribus, ni fallor, exploratam ſolertiorum Anatomico-Chirurgorum examini ſubmittimus; quos ſcilicet ſolos reſpicit hoc judicium.

Por hernias inguinales & crurales, frequentius obſervantur *umbilicales*, vel juxta lineam mediam aponeuroticam imi ventris ſitæ, rarius vero occurrunt cæteræ *abdominales*. *Stomachus* extra ſitum ſimili etiam modo depellitur, ſed ſæpius forte diaphragmatis repagulum quam muſculorum abdominalium obicem ſolvere hoc viſcus, autopſia anatomica edoctus facile credideriim. Quamcunque partem occupent herniæ abdominales, magis inter tuſſim & a cohibita reſpiratione prominent, qua præſertim nota, a cæteris tumoribus rite diſtingui ſolent. Quod tamen non impedit quominus nonnulli illas pro abſceſſu habuerint & peſſimo ægrotantium damno ſecuerint: quod etiam ſæpius eveniſſe ſub tumente veſicula fellea ſupra inculcavimus. Difficilius tamen innoteſcit hernia *umbilicalis epiploica*, & vulgatiſſima; eo quod hærentiam ſæpius contrahat, & nullam in pleriſque protuberantiam extus pariat; quod herniæ genus crebro reperiri in ſectis *cadaveribus* neminem anatomicum fugit. Notare juvat herniam umbilicalem, vel *omphalocelem*, in immenſum creſcentem, præter omentum plerumque ſkirrhoſum, quamdam ſtomachi vel inteſtini coli portionem haud raro recondere; unde emergunt diſtractiones moleſtiſſimæ, vel quædam cardialgiæ ſpecies, in qua plane cæcutiunt plerique medentes, qui præpoſtero medicaminum multigenorum uſu morbum exaſperant, nedum levent. Minus portendunt periculum herniæ umbilicales, cæteræque abdominales; quæ alias difficilius cohibentur: ſed ſtrangulationis infortunium rariſſime incurrunt, & hinc nuſquam fere operationi Chirurgicæ & cruentæ ſubmittuntur. Ad has poſtremo procliviores eſſe mulieres poſt partus difficiles vel numeroſos, docet praxis.

Hernia veſicæ utrumque ſexum reſpiciens, frequentior ſane quam vulgo fertur, hydroceles in viris faciem præ ſe fert: ſed quavis adhibita preſſione complanatur hæc herniæ ſpecies, & plures ægri propria experientia edocti haud alia arte mingere ſolent. Nonnunquam tamen implicita occurrit hernia veſicæ; præter enim cætera viſcera in aliis herniis obſervari ſolita, vaginæ partem quandoque recondit: hoc docent ſecta cadavera. Minime mirum ſi in hoc elongato veſicæ proceſſu ſæpius occurrant lapides, de quibus commemorant varii Scriptores. Minime reticendum hanc veſicæ partem extra ſitum nativum depulſam brevi partibus ambientibus agglutinari: hinc nulla arte evinci poteſt hic affectus, ni mature ipſi proſpiciatur, circa hoc herniæ genus, adire juvat alterum Academiæ Regiæ Chirurgicæ volumen, cujus Auctores hanc materiam penitus exhauſiſſe videntur.

Ad herniam *veſicæ* referri debet eju tunicæ internæ *inverſio*, vel prolapſus, noſtratibus la *veſſie renverſee*; rarus ſane morbus utrumque ſexum reſpiciens, ſed in ſolis fœminis conſpicuus. Occurrit enim ſub hoc infortunio quædam protuberantia ad ovi columbini, vel gallinacei magnitudinem accedens, quæ cyſtidem refert tenuem & ſubdiaphanam; quodam latice fœtam, extus clauſam, e meatu urinario erumpentem. Tum urinæ plane ſufflami-

nan-

nantur, vel guttatim ſtillant circa tumoris ambitum. Dolet tenſum abdomen; accedit vomitus, ac tandem ingruunt convulſiones, quæ ad ultimam rerum lineam ducunt. Autopſia anatomica detexit ureteres in ſua inſertione obſtructos, & lotio inibi retento ita dilatatos, ut inteſtini craſſioris amplitudinem æquarent: in conſpectum venit membranæ interioris veſicæ inverſio, & per urethram extruſio. Hunc morbum plane immedicabilem eſſe nemini haud obvium. Facile quidem repelli valet in utroque ſexu hæc membrana e ſua ſede dimota; ſed nulla arte retineri poteſt in ſitu, ob ſolutam hærentiam. Sed hæc, experientia deficiente, meris conjecturis innituntur.

Suam etiam in gravidis *herniæ ſpeciem præbet uterus*, quæ a cæteris ratione formæ multum diſcrepat, & hinc facillime innoteſcit, ac ſimpliciſſima arte coercetur, dummodo tempeſtive ipſi occurratur. Nonnunquam tamen irrita ſunt quævis tentamina; & in ſola *ſectione*, ut inquiunt, *cæſarea* opportuno tempore celebrata verſatur parturientium ſpes, quam operationem pluries ſub hiſce circumſtantiis rite ſucceſſiſſe experientia conſtat. Præter viſcera memorata, lien, aliæve abdominis partes extra ſitum & extus nonnunquam propelluntur, ac ſimili curandi rationi ſubmittuntur. Nec a ſolo ambitu abdominis muſculari prorumpunt herniæ, ſed juxta Scriptores intactæ fidei, foramina ovalia, aliique pelvis oſſeæ hiatus, inteſtinis & omento exitum largiri queunt; ſed hæc inſolita vel rariſſima prætereunda eſſe cenſemus.

(2) Huc coincidit quædam *hernia notha umbilicalis*; quæ ob humorem aqueum inibi collectum, *Hydromphalus*, vel *exomphalus aqueus* audit. Quamdam pelluciditatem obtinet prædictus tumor, cujus ratione ab herniis diſcrepat. Huic obnoxios eſſe infantes, neminem practicum fugit: ſed ab aſcite haud raro proſapiam ducit in adulta & provecta ætate, adeo ut colluvies ſeroſa abdominalis per laxatum vel ſubmotum umbilicum egreſſum ſibi parans, cute flexili & extenſili coerceatur, inibique tanta copia ſæpius colligatur, ut tegumenta ulterius elongari neſcia dilacerentur & diſrumpantur: adeo ut evacuato per hanc rimam ſero, non ſolum ſubſideat tumor: ſed etiam totum complanetur abdomen. Hinc fit ut ſub hoc morbo implicato dum cogitatur de paracenteſi, opportunius in hocce tumore umbilicali ſit celebranda. Nec deſunt poſtremo umbilici protuberantiæ flatulentæ, cruentæ vel purulentæ, quæ non ſecus ac congeneres pertractari ſolent.

(3) Supereſt ut, coronidis loco, alium & inauditum abdominis morbum externum a nobis haud procul ab hinc annis obſervatum adumbremus; qui, ob præcipuum quem habet ſitum, *hypogaſtroceles* nomen ſortiri poteſt. A prava adipis abdomen circumvolventis conſtitutione, ab ſkirrhoſa haud multum abludente, ejuſque ſtupenda craſſitie ſoboleſcit hic tumor pendulus, ab herniis ſumme diſcrepans. Tardi fuere hujuſce morbi progreſſus in muliere nobiliſſima quinquaginta circiter annorum: ſub primis temporibus, ſenſim & citra dolorem in altum elevabatur abdomen; ſed in dies moleſtus evaſit hic tumor, & febrem lentam concitavit. Stupenda tegumentorum extenſio ab ingenti corporis adipoſi totum abdomen obvolventis mole, non impedivit quominus in hypogaſtrio ulterius protenderentur & bronchoceles inſtar, ad media crura, duplicata propenderent. Interea ceteræ partes marceſcebant, quaſi ab ingenti adipis abdominalis ſubminiſtrata copia exhaurirentur. Hoc morbo decumbebat præclara inter optimates mulier, quæ poſt tres quatuorve menſes, a primo morbi, uti videbatur, exordio, macie & doloribus confecta fatis ceſſit. *Aperto cadavere* in apricum veniebat miranda corporis adipoſi craſſities, quæ circa illa ſeptem ſuperabat pollices: viſendum etiam ſe præbuit epiplomphalon, extus minime protuberans & umbilico accretum. Maximam inſuper ſtragem paſſa fuerant viſcera abdominalia, non ſolum ſkirrhoſa reperta, ſed purulentia & putredine defœdata. Nos ſane minime latebat hæc labes viſcerum; ſed huic impugnandæ imparia fuerunt quæcumque præſidia: varia enim & innumera a Medicorum & Chirurgorum cohorte excogitata fuerunt remedia, quæ plane inertia, haud

ſemper innoxia fuerunt; quare his recenſendis haud immorabimur. Similis ferme affectus hiſtoriam, ſed parum accuratam, tradidit AMATUS LUSITANUS, tumoris ſcilicet viginti quinque librarum, ex inguinibus prognati, & ſupra crura propendentis: num tamen eadem ſit utriuſque morbi indoles, dubitare licet.

MORBI GENITALIUM.

(1) CHoream ducunt *phimoſis* & *paraphimoſis*, morbi inter vulgatiores recenſendi. Præputium, vel hic tegumentorum proceſſus, qui glandem obtegit, inflammatione ſæpius corripitur, ejusque ora nunc ſupra, nunc infra glandem conſtringitur; unde prodit differentia inter phimoſim & paraphimoſim. E parte inflammata ſub utroque caſu, non ſecus ac ambuſtione, emergunt *phlyctænæ*, quæ apud noſtrates *cryſtallines* audiunt. Virus venerei ſæpius eſt particeps hæc plogoſeos ſpecies, quæ alias a violento congreſſu cum virgine defloranda, vel cum cynędis ortum ducit. Nonnunquam ita obvolvitur & coarctatur penis apex, ut urina ægre profiliat, & vix mederi liceat ulcuſculis ſub tumente præputio latitantibus. Aliud portendit periculum paraphimoſis, glandis nempe gangrænam, a nimia ſcilicet, quaſi ab injecto vinculo, conſtrictione ortam.

Aliarum inflammationum inſtar pertractari debent phimoſis & paraphimoſis: ideo conducunt *venæ ſectiones*, nec minorem opem conferunt diluentia, demulcentia, paregorica, aliaque tralatitia remedia ſub hac rerum conditione uſurpari ſolita: in quorum ſubſidium veniunt *topica* emollientia & reſolventia, cataplaſma ſcilicet e mica panis, floribus ſambuci & chamęmeli paratum, quod cæteris ſane, experientia judice, præſtat; ſimili modo adhibetur aqua althææ, vel ipſummet lac, quo crebro & tepide fovetur pars. Suas laudes pro re nata meretur emplaſtrum de mucaginibus, aliudve ſimilis efficaciæ. A nonnullis deprædicatur emplaſtrum de Vigo, cum balſamo peruviano, vel oleo guaiaci ſubactum. Prodeſt glandis lotio cum propria urina, quæ inter exitum compreſſis præputii marginibus ad hoc opus ſiſtitur: vel injiciuntur vinum tepidum, decocta vulneraria & detergentia, &c. Quorum præſidio non ſolum prædictarum partium ulcerationi proſpicitur: ſed etiam harum præcavetur adglutinatio. Sub re urgentiſſima ſcarificatur, circumciditur, aliave ſectione expeditur tumens præputium, ut ſoluto obice imminens avertatur periculum. Quod phlyctænas ſpectat, foveri ſolent cum ſpiritu camphorato, vel aqua calcis ſale ammoniaco imprægnata, alterove liquore ſimili efficacia prædito adverſus proximam gangrænam, cui obnoxia eſſe organa genitalia, neminem expertum latet.

(2) *Variis tuberculis*: ut incepta proſequamur, defœdantur utriuſque ſexus genitalia, quæ ratione formæ varia ſortiuntur nomina: *pori* ſcilicet, *criſtæ*, *condylomata*, &c. vocitantur. Glandi, vel præputio, inſidentia, nunc ſicca, nunc humida, numeroſiſſima quandoque occurrunt; parum tamen afferunt incommodi; ſed haud levem luis venereæ ſuſpicionem movent. Ideo priuſquam ineatur curatio, probe inquirendum, num a deliteſcente viru venereo proſapiam ducant; quo in caſu ad ſupra traditam, & ſpecificam methodum ſe conferre expedit. Nec tamen hiſce preſidiis vel exquiſitioribus evaneſcunt prædicta tubercula, quæ medelam externam etiam expoſtulant. Hæc vero brevi abſolvitur extirpatione cum forcipibus peracta, vel ſimplici ligatura, ſi ſinat tumoris baſis. Tardiorem curationem præbent cathæretica, alumen ſcilicet uſtum, inter mitiora recenſendum; pulvis ſabinæ, præcipitatus ruber, &c. quæ parti ſaliva madenti inſperguntur; vel cum unguento baſilico immiſcentur. Nonnulli aquam phagedænicam in eumdem ſcopum adhibent; vel butyrum antimonii, lapidem infernalem, aliaque id genus, quæ caute ſunt admovenda, ne viciniores partes exquiſitiſſimo ſenſu præditas laceſſendo phlogoſim accerſant.

Alia obſervatur in genitalibus tumoris ſpecies, rara quidem, ſed non prætermittenda. *Nodi* nomine innoteſcit hæc intumeſcentia, a nimio æſtuantis tentiginis ardore plerumque contracta, quæ corporibus

caver-

cavernosis insidet, nulloque stipatur dolore. Nec nisi ab erecto pene in propatulum venit hic tumor, qui alias incassum exploratur. Nihil aliud est quam quędam prædictorum tumentium sacculorum, herniæ instar, protuberantia, quæ nullam ferme curam admittit, cum pars affecta cuilibet compressioni, genuino horumce dilatationum remedio, nusquam submitti possit. Nonnulli suadent emplastrum stypticum *Crollii:* sed inutilem operam ludunt topica adstringentia vel validiora, cum etiam levis teli tentigo horum exquisitiorum viribus obstet.

(3) Quibusdam *exulcerationibus* obnoxia sunt utriusque sexus genitalia, vix, ut opinor, discrepantibus ab ulcusculis quæ puerorum lactantium os, vel nutricum papillas invadere solent. A viru venereo recenti vel antiquo ortum plerumque habent *hæc ulcera*, quæ alias a sola spurcitie soboleſcunt. Cancri nomine designantur in castris venereis contracta, quorum alia indolentia & subalbicantia, certisque cancellis coercita haud ultra superficiem excavantur; alia profundiora & latius serpentia, dolore stipata & sanie fœtida plerumque conspurcata, quorum oræ inflammatæ vel callosæ se prębent. Nec desunt ulcera pręputii frenum obsidentia, quæ foveam ad urethrę cavum sibi cudunt. Hunc affectum sępius comitantur gonorrhœa virulenta, bubones, aliaque luis venereæ symptomata; hinc fit, ut pertinacissimus quandoque evadat. Alterius sane sortis sunt *rhagades* & *fissurę* genitalium, tum virilium, tum muliebrium, quæ oleo ovorum, cerato Galeni, aliove linimento demulcente brevi sanantur: ut de pustulis simplicibus e prædictis partibus nonnunquam erumpentibus, brevi evanescentibus, & suppurationis plerumque nesciis; hinc a venereis summe discrepantibus, sileamus.

Ulcera haud late penetrantia, licet a neglecta munditie soboleſcant, vel a quadam labe venerea progerminentur, *simplicissima lotione* cum vino tepido, aqua Bellilucana, aliave thermali, brevi fugantur: sed *aliis telis* impugnari debent *ulcera mali moris:* conducit nempe venæ sectio, si horum ambitus phlogosi corripiatur: nec minus prosunt sub hac conditione fotus & cataplasmata emollientia. Sedata inflammatione, purulentiæ favendum, ope unguentorum ad hunc usum comparatorum. Quibus peractis alumen ustum, pulvis sabinæ, præcipitatus ruber, & id genus alia exsiccantia & detergentia, expertis notissima, in usum vocari debent. Ubi nil proficiunt prædicta topica, ad unguentum neapolitanum, ad suffitum e cinnabari paratum, aliaque efficaciora confugere expedit. Cathæreticis validioribus attingi solent *ulcera callosa*, aqua nempe phagedænica, vel divina Fernelii, collyrio Lanfranci, butyro antimonii, vel lapide infernali: cavendum tamen, ne hisce stimulis irritentur crabrones & accersatur phlogosis. Sedatis doloribus ab acriorum applicatione obortis, curationem claudunt digestiva, unguentum nempe mundificativum de apio, rubrum exsiccans, diapompholygos, &c. quibus addere licet oleum myrrhæ per deliquium, quod nonnullis de re Chirurgica bene meritis magis arridet. Hæc dum geruntur, sanguini prospiciendum, congruo scilicet victus regimine, catharticis mercurialibus identidem repetitis, medicaminibus sudorificis, vel genuinis antivenereis; quæ scilicet remediis extus adhibitis obsecundant.

(4) Quid sit intelligendum per *priapismum* vel *satyriasim* in viris, & *furorem uterinum* in feminis, nemo literis eruditus nescit. Tantam sæpius tyrannidem exercet hæc pruriginosa genitalium libido, ut ægros blandimentis & increpationibus obsurdescentes, in furorem rapiat. Utrumque sexum respicit, mutato nomine, hic turpissimus morbus, qui sola seminis emissione paululum compescitur. Sed tanto veneris æstu incenduntur ægri, ut etiam repetitis congressibus, minime satiari valeant. Juvenes plerumque *invadit* satyriasis, cujus stadium sub hac ætate haud diu protelatur: sed tanto impetu quandoque insurgit hoc fœdum malum, ut miſellos ægros brevi ad libitinæ rationem ducat. Nec parcit ætati provectæ satyriasis, sub qua haud ominosa, sed longe pertinacior censetur. Huic obnoxii sunt admissarii, amoris œstro perciti, qui lepidissimis, lascivioribusque colloquiis cum

ama-

amasiis inebriantur ; qui librorum obscœnorum lectioni assidue incumbunt ; qui cantharidibus utuntur , ut ad petulantiorem venerem cieantur ; ac demum laute victitantes , vel vino , exquisitissimisque dapibus indulgentes. Hanc etiam libidinosam promovent tentiginem ulcera vesicæ cancrosa , ingens renum moles , geminata vasa spermatica : in sequiori vero sexu uterus sanguine infarctus , & quasi inflammatus ; ovaria ingentia ; stupenda clitoridis moles ; aliaque nonnulla vitia organica , quæ exhibet *sectio cadaverum*.

Sub hoc rerum statu , danda est opera , ut compescatur efferus spirituum impetus , & lymphatæ menti monitis , vel minis prospiciatur. Quapropter larga manu *mittendus est sanguis* ; nec dissimili ratione propinantur refrigerantia & demulcentia , in quorum censum veniunt lac , ejusque serum , succus limonum aqua temperatus , hordeatum & emulsiones , juscula pulli vel carnis vitulinæ , aqua nitro impræguata , &c. Præsentaneam opem ferunt sedantia e camphora & nymphæa ; non secus ac e seminibus papaveris albi , lactucæ , portulacæ , & agni casti adversus hunc morbum famigeratissimi deprompta. Nec omittenda sunt balnea vel semicupia , sub hisce circumstantiis summe proficua. Postremo angue pejus fugiant hoc pudendo morbo correpti , lupanaria , cogitationes libidinosas , lectiones obscœnas , confabulationes cupidineas , quæcumque demum mentis ludibria , quæ morbum proritare , vel exacerbare queunt.

(5) Inexplebilem coeundi cupiditatem excipit *impotentia ad venerem* , quam fascino inepte referunt nonnulli. Si a quavis labe chronica prosapiam ducat , fugato primario morbo , sensim evanescit , alias omnibus remediis obsurdescit ; si a mente præjudiciis obcæcata , vel quadam insulsa verecundia suboriatur , bono animo esse jubeantur trepidantes , nec alia opus est curatione. Facile demum evincitur hæc impotentia , quæ helluones libidinosisque oblectationibus solutos invadit ; sed immedicabilis censetur , si a quovis vitio organico pendeat. Omnem sæpius curam absolvunt optima victus ratio ; mens salubrioribus præceptis ad hilaritatem composita , ac gratæ corporis exercitationes ; ideo opportune exhibentur lac vaccinum , ova sorbilia , carnium gelatinæ , columbæ assatæ vel elixæ , amygdalæ , avellanæ & nuces pistaciæ , vinum generosum , chocolatum , aliaque resarciendis viribus apta. Sunt qui pessimo sane consilio cantharidum usum , ganeonibus & luxuriæ perditis familiariorem , suadent ; sed fugaces vires impertitur hoc remedium , quod alias mictum cruentum , dolorem nephriticum , aliamve noxam inferre solet. Sunt demum qui blanditiis ab amasiis notis , improba mammarum tractatione , osculis ori impressis , vel verberibus lustrato veneris campo , ad dulcissimam voluptatem se componant : sed hæc libidinosa potius flagitia sapiunt , quam genuina Medicinæ præcepta.

(6) *Gonorrhœa* , vernacule (*chaudepisse*) etsi familiarissima , inter morbos intricatissimos recenseri debet. In obscuris sæpissime latet ejus indoles , cum ægre evolvantur causæ , & genuinus morbi fomes nostræ subtrahatur indagini ; ac postremo multum faceſſat negotii ejus medela. Nec dilucidius patent gonorrhœæ discrimina , etiam rudiori modo spectata ; quæ tamen pro viribus enucleare expedit. Itaque quadruplicem occurrere gonorrhœæ speciem , experientia edocti , jure conjicimus ; *virulentam* nempe *internam* & familiariorem ; *virulentam externam ; simplicem ;* & *spuriam*. Sed quævis species suos subit modos , diversosque gradus assequitur ; ac demum alterius consortio ita ambigua evadit , ut sæpius Œdipo opus esset. Hic est tamen morbus quem despiciunt artis proceres , & cujus cura imperitis & ineptis , plerumque traditur.

Gonorrhœa virulenta interna , ut propositum prosequamur , circa quartum diem a concubitu impuro , & raro ultra duodecimum se prodit. Hac ineunte , stillat e pene latex quidam serosus qui in dies flavescit , vel quamdam viriditatem contrahit ; lentior evadit , ac nonnunquam fœtet. Minime dubitare licet quin puris sit particeps hæc materia ; cum ejus etiam uberior proventus non impediat quominus accedente congressu copiosum semen erumpat ; quod sane asserti veritatem ultra o-

mne

inne dubium arguit. Dolore & ardore inter mingendum ſtipatur hæc gonorrhœæ ſpecies; atque in extremo glande ſedem habere falſo videtur prædictus dolor, qui tamen in nonnullis per totum urethræ tractum, vel juxta radicem penis ſævit. Interea ægre fluit lotium, imo & nonnunquam ſufflaminatur: cruciatus qui hinc emergunt, exacerbantur ab arrecto pene, qui in quibuſdam funis inſtar contorquetur; unde fit, ut gonorrhœa hoc ſimptomate ſtipata (*chaudepiſſe cordée*) apud noſtrates audiat.

Gonorrhœæ virulentæ ſæpius ſociantur varii alii morbi ab eadem cauſa oriundi, *præputii* nempe *inflammatio* & *tumores*, ut inquiunt, *cryſtallini*; ulcera paſſim occurrentia, bubones, ophthalmia, &c. Familiariſſimus præterea eſt ſub hac gonorrhœæ ſpecie hic *humorum defluxus in teſtes*, eorumque involucra, qui vulgo dicitur (*chaudepiſſe tombée dans les bourſes*). A ſufflaminato laticis virulenti profluvio natales debet hoc ſymptoma, quod promovere ſolent equitatio, ſoluta vivendi norma, injectiones adſtringentes, a nonnullis ſciolis adhibitæ, &c. *Gonorrhœa ſicca* perperam a quibuſdam vocitatur hæc morbi conditio; cum rectius, opinor, hoc nomine inſigniatur *diſuria venerea*, acerbioribus doloribus & ardoribus inter mejendum ſtipata; quæ ſcilicet, ſi humoris fluxum excipias, eamdem ac gonorrhœa virulenta faciem præ ſe fert, ſimiliaque poſt ſe trahit ſymptomata.

Gonorrœa virulenta recens & opportunis remediis impugnata facile evincitur; ſed *pertinaciſſimam* eſſe inveteratam nemo neſcit; cum ſcilicet inter innumeros morbos venereos ſola occurrat, quæ hydrargyroſi etiam pleniori domari recuſat. Ubi uno tenore, vel nullo accedente gravi ſymptomate ſua percurrit tempora; atque haud ultra quadraginta vel quinquaginta dies producitur, rariſſime luem veneream impertitur; ſed ſi intempeſtiva curatione citius quam par eſt ſiſtatur gonorrhœa, vel curantium ægrorumve ſocordia chronica evadat, pro luis venereæ indicio habetur, exquiſitioribuſque præſidiis ſæpius obſurdeſcit. Annoſa demum atrophiam acceſſit, & ad ultimum fatum nonnunquam protrahitur. Hujuſce morbi fomitem in proſtata exhibent *cadaverum ſectiones*, quæ etiam patefaciunt veſicularum ſeminalium labem, renumque purulentiam; non ſecus ac exulcerationem in urethra, e cujus vetuſtioris coalitu emergit cicatrix calloſa, & non nil protuberans, quæ canalem anguſtando liberum urinæ exitum præpedit. Hæc eſt commentitia ſarcoſis, ad quam referri ſolet dyſuria chronica quæ diu poſt ſublatam gonorrhœam ægros manet.

Curatio e venæ ſectione plerumque auſpicatur: ſedatis doloribus egregiam opem præſtant cathartica mercurialia; ſed haud ante quatuordecimum morbi diem ſunt exhibenda; pluries vero hoc elapſo tempore iterari debent. Interea danda eſt opera per totum morbi ſtadium, ut injiciantur enemata demulcentia & emollientia, quæ non ſolum alvum ſervant liberam, ſed etiam, inſtar balnei interni, dolores leniunt. Proficue adhibentur ſub eodem curriculo diluentia, demulcentia & aperientia blandiora; inter quæ uſitatiora audiunt lac ejuſque ſerum, emulſiones, aquæ nitro imprægnata, ptiſana e radicibus althææ, graminis, fragariæ, nymphææ; &c. Suas laudes quoque merentur aquæ minerales aperientes, tum frigidæ, tum thermales, quæ cæterorum medicaminum vices explere valent. A nonnullis deprædicantur diaphoretica; ſed haud prius exhiberi debent, quam omnia ad alcionium ſtatum redigantur. Idem eſto judicium de vulnerariis & detergentibus, inter quæ præſtat aqua calcis lacte temperata; ſed ſolerti manu pertractari debet illud remedium. Caute etiam præſcribi debent hypnotica, laudanum nempe, diacodium, pilulæ de cynogloſſo, &c. ſed urgentibus doloribus ſuccurrendum. Tutius ſane uſurpatur camphora, quæ etſi tanta efficacia pollet, effectum tamen minus fugacem edit. Ubi opportuno prædictorum remediorum uſu pacantur omnia ſymptomata, & debitus purulenti laticis proventus, latentis ulceris medelæ proſpiciendum. Fauſte in hunc ſcopum præcipiuntur balſamum Copahu, Canadenſe, terebinthina Chia, & id genus affinia: quibus incaſſum tentatis, ad ſanguinem draconis, alumen, cathecu, aliaque adſtringentia

in-

interna, cæteris consentientibus, confugere nil vetat. Eumdem affectum, ac minori discrimine, exerere valent aquæ Forgienses, Passienses, cæteræque martiales, quæ intimiora corporis penetralia lustrare queunt. Si vero omnibus hisce exhaustis præsidiis nequaquam morem gerat gonorrhœa, haud incongruum judicamus quoddam experiri remedium a GARIDELLO, differente de cisto in Historia plantarum Gallo-Provinciæ, traditum; cujus compositionem subeunt hypocistis, gummi guajaci, coccinilla & cantharides: hoc remedium minime despiciendum sub hac sola rerum conditione usurpare licet, adversus nempe gonorrhœam pertinaciissimam, quæ nulla alia arte domari potuit.

Nec posthaberi debent, ut incœpta prosequamur, *remedia externa*, quorum nonnulli internis palmam præripiunt. Inter quæ nil sane efficacius reperitur quam inunctio mercurialis, scroto, partibusque vicinioribus admota; una circiter drachma unguenti neapolitani ad hoc opus adhibetur; quod tribus aut quatuor diebus interpositis, quater, quinquiesve iteratur per totum morbi curriculum. Si sub primis morbi temporibus sæviant dolores inter penis tentiginem, sedari queunt fotu e lacte, decocto althææ, aliove emolliente parato. Fauste adversus ischuriam usurpantur semicupia; vel lenitur illud symptoma in urethram injiciendo lac, oleum amygdalarum dulcium, decoctum althęę, seminum lini, &c. Morbo decrescente & fugatis symptomatibus, humore demum, quo madet glandis apex, lento & albicante, proficue adhibentur *injectiones e panacea*, vel aquila alba, in aqua plantaginis paratæ. Fauste etiam simili modo usurpantur aquæ Bellilucanæ, Baregienses, aliæve thermales cognatæ. Quibus nil proficientibus, ad injectiones adstringentes confugere licet, quas ingrediuntur bistorta, tormentilla, equisetum, balaustia, cortex granatorum, alumen, sanguis draconis, &c. sed, ut verum fatear, haud citra periculum adhibentur hæc postrema remedia adstringentia, senioribus clinicis semper invisa.

Inter veteris gonorrhœæ *reliquias*, nil sane magis ægros angit, quam hæc *urethræ coarctatio*, quæ dysuriam vel ischuriam post se trahit: hanc a chronicorum ulcerum cicatrice nonnihil protuberante & callosa, nequaquam vero a sarcosibus, uti fertur, oriri supra notavimus: nunc supereſt, ut rationalem medendi methodum, multiplici experientia confirmatam, candide aperiamus. Itaque si plane sufflaminetur lotium, præmissis præmittendis, catheteris ope educatur, cum urgentiori sit succurendum. Postea composito regimine congruo, diluentibus & demulcentibus internis diu inhærendum; nec minus prosunt injectiones, fotus & semicupia ex emollientibus parata. Quibus nihil proficientibus, ad *virgulas plumbeas*, vel *cereolos* diversæ crassitiei, quæ catheteris instar caute in urethram, oleo prius lubricatam immittuntur, confugere expedit; quorum ope sensim dilatatur canalis, & obliteratur obex; unde fit, ut profilienti lotio liberior paretur via. Si morboso superando repagulo imparia sint hæc simpliciſſima auxilia; alii adhiberi debent *cereoli e cathæreticis* & *maturantibus conflati*, quorum ope cruentatur cicatrix, quæ dein purulentia absumitur; quibus peractis, præcipuum curationis momentum in eo versatur, ut diutius protracto cereolorum simpliciorum usu præcaveatur altera a recenti cicatrice anguſtia. Neminem postremo, vel rudem & inexpertum fugit quid sit peragendum *in gonorrhœa sicca*, sub qua eo sane collimandum, ut rigidiora & constricta organa emolliantur & laxentur; quam opem præstant venæ sectiones, diluentia, demulcentia & paregorica interna; non secus ac semicupia, fotus, injectiones, enemata &c.

Gonorrhœa virulenta externa, glandi & præputio incumbens, a phlogosi & exulceratione inter utramque partem delitescentibus promovetur; e quibus parciori copia manat humor purulentus qui adhibita pressione uberius prorumpit. Etsi leviſſimus videtur hic affectus, haud tamen periculo plane vacat; atque eamdem ferme curam, gonorrhœæ scilicet internæ dicatam, sibi vindicat; si tamen excipias injectiones in urethram cujuscumque labis immunem; aliaque remedia dysuriam & stran-

ſtranguriam reſpicientia, quæ hanc gonorrœæ ſpeciem nuſquam concomitantur. Præſentaneam inſuper opem fert lotionum vulnerariarum & detergentium uſus, quorum vices nonnunquam explet vinum tepidum ſincerum. Proſapiam ſæpe ducit hic affectus a gonorrhœa interna, cum qua tum implicatur: ubi ſcilicet quidpiam humoris virulenti a phimoſi nativa vel contracta ſufflaminatur, & ſub prepucium colligitur; a cujus mora emergit prædicta harumce partium labes: ſub quo rerum ſtatu, nil omittendum ex emollientibus, ut glans detegatur; vel congruis injectionibus jam recenſitis huic vitio occurritur; quod plerumque fauſte abſolvitur.

Gonorrhœa ſimplex nil aliud eſt quam genuini ſeminis ſtillicidium, quod nullo dolore ſtipatur, nec luis venereæ eſt particeps. Ante aut poſt mictum, vel una cum lotio ſponte & parco proventu fluit hic latex albicans; qui alias inter egerendum, ab injecto enemate, vel quovis tempore excernitur. Nonnunquam ſuboritur a luxuriante ſemine in laute victitantibus, cœlibemque vitam trahentibus; præſertim ſi lectioni, colloquiis, vel cogitationibus obſcœnis delectentur; ſub qua cauſa levem incutit metum hic affectus: ſed periculoſior cenſetur, ſi organorum laxitati vel atoniæ natales debet; uti nonnunquam evenit in debilibus & phlegmaticis. Pro ominoſa habetur hæc gonorrhœæ ſpecies, quæ a prava ſanguinis diatheſi proſapiam ducit; ad quam proni ſunt cachectici & ſcorbutici, quorum ad atrophiam properantium vires ſenſim exhauriuntur. Nec minorem impertitur terrorem quæ a labe quadam organica progerminatur; quod vitium impendet his qui annoſa gonorrhœa virulenta laborant, vel qui petulantiori veneri ſe addixerunt. Ut omnia in unum contraham, ſi hæc gonorrhœæ ſpecies nullum vitium in feminis receptaculis vel emiſſariis, nec in humoribus agnoſcat, periculo plane vacat, & facile domatur; alias grave curantibus faceſſit negotium hæc fluoris ſpecies.

Raro inter *curandam gonorrhœam ſimplicem* ſanguinis miſſione opus eſt: cathartica vero ſumme proficua cenſentur; ſed rheum duntaxat, caſſia, tamarindi, magneſia, aliaque blandiora uſurpari debent. Conducunt, cæteris conſentientibus, temperantia & demulcentia, lac nempe, ejuſque ſerum, emulſiones, aqua ſucco limonum vel nitro imprægnata, camphora, &c. Nonnullis opitulantur depurantia, antiſcorbutica, vulneraria, diaphoretica, &c. Non ſecus ac ad gonorrhœam virulentam etiam proſunt vulneraria & roborantia, balſamum nempe Copahu, vel Canadenſe, & terebinthina, roſæ rubræ & balauſtia, cortex peruvianus, ſanguis draconis, martialia vel aquæ minerales ejuſdem indolis, &c. Parum vero conferre videntur topica adſtringentia; nil tamen impedit quominus explorentur: nec deſpicienda balnea aromatica, roborantia frigida, &c.

Gonorrhœa ſpuria doloris æſtuſve pruriginoſi expers, ægre ſæpius a poſtrema diſtinguitur. Diverſum tamen exitum habent prædicti morbi: gonorrhœa ſcilicet ſimplex, uti jam innuimus, diutius producta, atrophiam minatur; nec mirum, cum ſit genuinum ſeminis profluvium: notha vero, etſi chronica, leve incommodum parit, ob diſcrimen ſcilicet manantis laticis, qui a proſtata glanduliſque vicinioribus ſuppeditatur. Cognata videtur gonorrhœa notha fluori albo muliebri, nec facilius ſe expugnari patitur. Ad hanc ſpeciem referri debet gonorrhœa quæ ab hauſta cereviſia recenti promovetur, cui tantillum aquæ vitæ medetur. Quamcumque cauſam admittat gonorrhœa ſpuria, congruis præſidiis abigitur, dummodo haud altas egerit radices; alias pertinaciſſima cenſetur. Itaque præmiſſis generalibus, ſi res expoſtulet, in uſum vocantur temperantia & aperientia blandiora, inter quæ primatum ſane ducunt aquæ minerales acidulæ, quas rite ſæpius ſucceſſiſſe multiplici experientia conſtat. Suas laudes merentur diaphoretica, quæ materiam morboſam ſanguini immixtam ad cutis ſpiracula ciere ſolent. Hinc fit ut in ancipiti verſetur balſamicorum & adſtringentium uſus; cum ab intempeſtiva hujuſce excretionis ſufflaminatione graviores concitari queant morbi, ni inuſto cauterio divertantur: ſed paucis arridet hoc

tædiosum præsidium adversus morbum periculi expertem, qui alias nullum parit incommodum.

Absolutis quæ de variis gonorrhœæ speciebus erant dicenda, ordinis ratio exposlulat, ut nonnulla de *pollutione nocturna* subnectamus. A somniis libidinosis plerumque concitatur hæc venus involuntaria: hanc etiam inter vigilandum promovent mulieris formosæ conspectus, amasiorum blanditiæ, &c. Periculo minime vacat hic affectus, si diutius proteletur, cum sæpius in gonorrhœam simplicem facessat, quæ sub hisce circumstantiis ægre domatur, & tabem minatur. Familiarissime invadit hoc morbi genus juvenes amoris æstu percitos, vel qui inverecundis lepidissimisque colloquiis plus æquo indulgent. Hinc fit ut in cujusvis libidinosæ consuetudinis interdicto, præcipuum versetur curationis momentum: nec alia sæpius opus est medela. Interea prosunt juscula refrigerantia, aqua nitro vel succo limonum imprægnata, emulsiones, &c. Maximi æstimantur anodyna, nymphæa scilicet, camphora, aliave satyriasi dicata; quorum vires æmulari videtur liquor anodynus mineralis. A quibusdam, penes quos sit fides, deprædicantur bursa pastoris, aliave adstringentia: nonnullis arridet cataplasma e vino & fragaria paratum, pubisque regioni admotum. Nec demum despicienda balnea roborantia, imo & frigida, quæ aliis auxiliis egregie obsecundare valent. Nonnulli demum saccharum saturni inconsulto adhibent, ad sistendas crebriores pollutiones: hoc enim præposlero remedio plures enecatos fuisse constat.

(7) Expedit, priusquam ulterius progrediamur, ut de *hæmorrhagia penis* breviter agamus; qui fluxus e vasis sanguineis ipsiusmet partis prodiens, rite distingui debet a mictu cruento e vesica & renibus ortum trahente, sub quo sanguis intime miscetur cum lotio; dum sincerus stillat in genuina hæmorrhagia, de qua in præsentiarum. Haud alterius forte est naturæ hoc sanguinis ex urethra profluvium, rarissimum vero, quod catameniorum instar patiuntur nonnulli viri, & non secus ac in sequiori sexu a pubertate ad quadragesimum vel quinquagesimum ætatis annum producitur: sed maximum occurrit discrimen inter utriusque status causas & stadia. Ad genuinam penis hæmorrhagiam proni sunt juvenes petulantiori veneri addicti; ganeones qui pessimo sane consilio cantharidibus utuntur, ut ad venerem ciantur, & voluptatibus se immergant. Hoc periculum incurrunt admissarii qui inter gonorrhœam virulentam lupanaria sectantur; quibus nonnumquam accidit ut lubricitate diffluentes, sanguinem, vice seminis, inter coitum fundant. Gravem incutit metum hæmorrhagia urethræ, præsertim si diutius proteletur: cum exhinc non solum emergat canalis exulceratio, sed etiam immineat tabes. Aliarum hæmorrhagiarum instar pertractari debet hic morbus, qui insuper injectiones e lacte saccharato, decocto hordei, rosarum rubrarum, &c. paratas expostulat.

(8) *Phlogosis testium & scroti*, de qua jam per transennam egimus, a laticis virulenti sub gonorrhœa defluxu in has partes, utplurimum promovetur. Sed aliam prosapiam quandoque ducit, a lue scilicet venerea, ab ictu, vehementi compressione, vel tralatitia cæterarum defluxionum causa. Si a suppressa gonorrhœa ortum mutuetur hic infarctus, hac in integrum restituta, brevi evanescit tumor. De hac morbi vulgatissima solutione haud dubitare licet; etsi quo ritu procedit haud in promptu sit exponere: nec tamen, gonorrhœa nequaquam recurrente, domari recusat hic morbus, qui primam & postremam sedem habet in epididymide, quæ sæpius, fugato morbo, diu tumida & indolens perstat. Testium, eorumque involucrorum inflammatio resolutione plerumque solvitur: nonnunquam tamen purulentiam, ulcus fistulosum, skirrhum & gangrænam, hydrocelem, sarcocelem, &c. post se trahit. Si a testium contusione oriatur, vomitum ciet, convulsiones, aliaque graviora symtomata concitat: ubi a purulentia peritonæi fovetur, omnem curam respuit. Sub hac rerum conditione gangræna sæpius absumitur scrotum; adeo ut testis quasi nudus appareat; sed stupenda naturæ vi, intra breve tempus, progerminatur hoc involucrum, & contractius redintegratur.

Æque

Æque ac cæteræ inflammationes, *venæ sectiones* efflagitat horumce organorum infarctus. Depletis vasis & sedata phlogosi proficue adhibentur cathartica blandiora: præsertim si gonorrhœæ suffl aminatæ innitatur hæc intumescentia. Præsentaneam opem ferunt sub primis morbi temporibus cataplasmata ex emollientium & resolventium connubio parata, conferuntque maturantia, si incusetur causa externa. Inter resolventia plurimum decantatur, nec immerito, *terra cultrariorum*, e cote scilicet versatili decidua, oleo & aceto rosaceo subacta, & cataplasmatis instar admota. Nonnulli folia hyoscyami sub cineribus cocta suadent; sed haud citra quoddam periculum parti ad siderationem proclivi topicum stupefaciens imponitur. Sed omnibus recensitis palmam sane præripiunt inunctiones mercuriales in ipsomet scroto, vel partibus vicinioribus caute celebratæ, si luis venereæ sit particeps hæc intumescentia: harum vices explere valet suffitus e cinnabari. Admovetur demum emplastrum de Vigo, ad delendam reliquam epididymidis protuberantiam. Ubi vero cuivis contusioni adscribitur hic humorum decubitus, fauste adhibentur emplastrum diabotanum, de cicuta, aliave id genus resolventia. Hæc dum geruntur, minime prætermittenda enemata emollientia & anodyna, congrua victus ratio, &c.

(9) Ad *alias tumorum species* proclivia sunt prædicta organa, inter quos primum locum sane sibi vindicat *hydrocele*, quæ tumor audit cysticus, vel, ut inquiunt, tunicatus, testibus, eorumque involucris accretus. Nullum sub exordio incommodum parit hic affectus, qui alias plerumque occultatur, adeo ut sæpius ab insciis ægrotantibus diu gestetur, donec adaucta mole veniat in propatulum. Sub quo statu a cæteris tumoribus quadam fluctuatione distinguitur hydrocele, quæ serum utplurimum limpidum, sed nonnunquam cruentum recondit. Alia observatur hydroceles species cui obnoxii sunt hernioси ascite laborantes; sed habet hæc postrema in hoc peritonæi processu, qui intestinum vel epiploon extra abdomen recipit. Hinc patet quam facile sit inibi collectum laticem in abdominis cavum, vel levi adhibita pressione propellere; & hæcce nota prædicti tumoris characterem prodit, dummodo de hernia & ascite constet; cum idem accidat, uti jam innuimus, in hernia vesicæ; sed urina hac pressione per urethram profiliens utrumque statum rite distinguit: de rarissimo scroti tumore a lotio, cui denegatur reditus ad vesicam, nil addimus. Superest demum scroti tumor aquosus, cæteris vulgatior ab infarctu scilicet œdematoso, quem hydrocelem spuriam nonnulli vocitant: hydropem minatur, vel sequitur hæc tegumentorum sacciformium intumescentia, quæ ad penem, sæpius portentosum, propagatur, phimosimque vel paraphimosim, ægris molestissimam, accersit.

Hydrocele legitima inter morbos pertinacissimos numeratur, præsertim si sit annosa: parum enim proficiunt cathartica & diuretica, cæteris colluviei serosæ speciebus dicata: nec magis opitulantur topica discutientia & resolventia: utraque tamen caute experiri nil vetat. Quibus nil juvantibus ab omni curatione abstinere præstat; donec tumorem majori incremento molestum ægre ferant ægrotantes. Tum punctione ope instrumenti congrui & notissimi evacuatur folliculus; qui tamen successu temporis iterum turget, & pristinam adipiscitur molem; quo fit ut identidem iterari debeat hæc operatio. Sub hac rerum conditione unica patet medendi via, cystidis nempe extirpatio, periculosa sectione celebrata; vel ejus consumptio cathæreticorum præsidio, inter quam tantis cruciatibus torquentur ægri, ut nonnulli in furorem rapiantur. Hinc patet utriusque methodi exitum in ancipiti versari; unde fit ut anxii hæreant solertiores, vel curæ palliativæ inhærere malint.

Cum *hydrocele spuria* cujuscumque hydropis symptoma audiat; haud diversam medelam internam, ac morbus primarius sibi vindicat. Proficue etiam adhibentur topica resolventia & roborantia; fotus nempe e vino aromatico, spiritu vini, aqua calcis, lixivio cineris sarmentorum, absinthii, &c. parati; necnon cataplasmata, e vino, eupatorio Avicennæ, agri-

monia, &c. confecta. Pluris habetur ſal marinum, prius decrepitationi commiſſum, ſacculo linteo reconditum; quod ubi quamdam humiditatem contraxit, renovari debet. In tantam quandoque aſſurgit molem ſcrotum, non ſecus ac *penis œdematoſus*, ut ad ſcarificationes ſit deveniendum, quorum ope brevi ſubſidet pars affecta: ſed hanc operationem nonnunquam excipit gangræna, quæ ſpiritus vini camphorati fotu tepido præcaveri vel fugari ſolet. Summas etiam laudes ſub hoc infortunio meretur cataplaſma e cortice peruviano paratum, jam multiplici experientia comprobatum. Setaceum poſtremo per cutem in parte decliviori trajectum, hunc infarctum œdematoſum tutius exhaurire poteſt; hinc minime mirum ſi ſcarificationibus periculoſis, apud ſolertiores, anteponantur.

(10) *Pneumatocele*, noſtratibus (*hernie venteuſe*), eſt tumor flatulentus alterutrius ſcroti lateris. Adultos raro invadit hic affectus, infantibus familiariſſimus. Peculiari pelluciditate ab hydrocele diſtinguitur: hæc præterea tarde progreditur; illa vero celerrimum incrementum ſumit. Periculo plane vacat pneumatocele, & facile utplurimum curatur remediis diſcutientibus & reſolventibus; fotubus nempe ex ariſtolochia, mentha, ſalvia, floribus chamæmeli, ſambuci & vino paratis; vel cataplaſmaribus e farina cumini, ſecalina, &c. confectis; quibus addere licet aquam calcis, ſtercus vaccinum, aliaque conſimilia pro curantium lubitu eligenda. Si vero hiſce præſidiis obſurdeſcat tumor, ad paracenteſim devenire expedit: ſed ut verum fatear, hac operatione chirurgica rariſſime opus eſt.

(11) *Varicocele* vaſis ſpermaticis inſidet, & ſub conſpectu tumoris, variis prominentiis varicoſis, racematim quaſi congeſtis, exaſperati ſe præbet; qui per prædictorum vaſculorum tractum propagatur; adeo ut haud exigua ejus pars in abdominis cavo ſæpius deliteſcat; ſub quo ſtatu levis ſane emergit curationis ſpes. Doloribus plerumque ſtipatur varicocele; nec raro ad cancrum vergit; præſertim ſi præpoſtera curatione impugnetur. Ad hanc morbi ſpeciem proclives cenſentur qui omnem abdicant venerem: a quavis etiam contuſione contrahitur: ſed ſæpius a lue venerea, ſcorbuto, aliave ſanguinis labe proſapiam ducit. Quod ad medelam attinet, omnem implent paginam diluentia, temperantia & aperientia blandiora: quibus præmiſſis ad aſellos & martialia devenire licet. Quid valeant naſturtium, cochlearia, mercurialia, &c. ſub viru ſcorbutico, vel venereo, nemo non intelligit. Sunt præterea qui partem affectam aqua frigida fovere ſolent: alii fotus & cataplaſmata adſtringentia admoveri curant: ſed futilia plerumque ſunt hæc omnia interna vel externa remedia; adeo ut curationis ſpes verſetur in ſola tumoris, & ipſiuſmet teſtis amputatione: quæ tamen operatio raro ſuccedit; imo & exitialis evadit, ſi tumor partim in abdomine occultetur: ſub quibus anguſtiis ab omni curatione abſtinere conſultius videtur. Affinem morbum concitat *ſemen retentum*, quo turgent canales deferentes, non ſecus ac veſiculæ ſeminales; e qua labe varii ſæpius prodeunt morbi; imo & epilepſia lethalis: nonnullos poſt petulantiorem veneris uſum, caſtimoniæ addictos, hoc fatum ſubiiſſe experientia conſtat.

(12) Supereſt ut ad finem properantes, de *Sarcocele* breviter agamus. Hoc nomen ſortitur hæc protuberantia ſkirrhoſa, non ſolum teſtibus, ſed etiam eorum vaſis & involucris incumbens. Non ſecus ac varicocele, ab ictu, lapſu ab alto, aliave contuſione ortum mutuatur hic affectus; qui alias luis venereæ, ſcorbuti &c. particeps cenſetur. Pluries ab imperitis vel ſciolis Chirurgis pro hernia habetur, maximo ſane ægrotantium damno; cum ſcilicet variis tentaminibus, in hernia adhiberi ſolitis, proritetur & exacerbetur morbus. Ægre etiam nonnunquam diſtinguitur ab hydrocele; ſed a bene perſpecto tumoris ambitu eruitur utriuſque morbi diſcrimen; ut de fluctuatione quæ ad ſolam hydrocelem pertinet, nil addam. Indolens plerumque eſt ſarcoceles exordium: ſed ratione incrementi, tarde ſane progredientis, moleſta evadit; imo & cancri naturam nonnunquam induit hæc intumeſcentia, quæ ſub primis incunabulis opportune impugnari valet;

let; alias vero plane indomabilis censetur.

Ut nil omittatur eorum quæ *curæ* profutura videntur; præmissis generalibus; nimirum venæ sectione, catharticis diluentibus & balneis: aperientium, sudorificorum, incidentium, aliorumve remediorum scrophulis dicatorum, vires explorare licet. Extus admoventur resolventia, emplastrum nempe saponaceum, de cicuta, de ranis cum mercurio, inunctiones mercuriales, &c. Sed nil plerumque conferunt hæc præsidia, nec major spes affulget ab extirpatione; cum feralem sæpius habeat exitum; præsertim si de servando teste incolumi cogitetur; quod nusquam perfici potest citra molestissimam dissectionem, quæ graviora accersit symptomata; convulsiones nempe lethales, & præcipue hanc speciem, quæ apud Auctores tetanos audit; uti pluries observasse memini. Nec minus reformidanda tumoris absumptio ab admotis cathæreticis, cum inter horum actionem tantis cruciatibus torqueantur ægri, ut hisce ferendis plane impares, ad æthereas sedes convolent.

MORBI ANI.

(1) PRæcipuum sane in hacce classe locum merentur *Hæmorrhoides*, quæ in venis cognominibus, e mesentericis, vel hypogastricis oriundis, tam internis, quam externis sedem habent. Hæmorrhoides *tumidæ*, de quibus in præsentiarum, hæc audiunt tubercula varicosa, nunc solitaria, nunc stipato agmine anum obsidentia, cum minori vel majori doloris gradu; ac nonnunquam inter alvum adstrictam furentia. Oculis visenda se præbent externa: in propatulum etiam quandoque veniunt, dum egeritur, interna; vel ope explorantis digiti in anum adacti innotescunt. Hæmorrhoides nunc molles & rugosæ, ac crystarum instar propendentes se sistunt; alias tumentes, lividæ & nigricantes conspiciuntur. Diversa est earum moles; nunc enim pisi magnitudinem vix superant; alias ovi gallinacei amplitudinem nonnunquam assequuntur. Quasi herpetis participes, pruritu molestæ sæpius evadunt; sed infidum est illud *signum*, eo quod, uti jam inculcavimus, ascarides etiam respiciat. Hæmorrhoidum dolor pulsans, gravativus, lancinans, &c. ita sæpius exacerbatur, ut vix affari possit. Familiares censentur hæmorrhoides melancholicis; his præsertim qui crebras hæmorrhagias sub juvenili ætate patiebantur: has *promovent* liberalior cupediarum, vel liquorum ardentium usus, equitatio diuturna, vita desses & umbratilis, balnea calida, graviditas, partus difficilis, alvus adstricta, aloetica; solitorum fluxuum sanguineorum suppressio, dysenteria & tenesmus, &c.

Ne minimum quidem incommodum pariunt hæmorrhoides pannuceę, quæ utplurimum ab insciis gestantur. Parum præterea *molestæ evadunt tumidæ*; dummodo certis cancellis contineantur: sed acerbissimos inferunt cruciatus phlogosi correptæ, tantamque tyrannidem quandoque exercent, ut febrem vehementiorem, affectum iliacum, delirium, convulsiones, apoplexiam, &c. accersant; quibus truculentioribus symptomatibus ægrum in vitæ discrimen trahi, vel rudibus & inexpertis obvium fit. Alia ab haece inflammatione impendent *infortunia*, nempe purulentia, quæ sæpissime in fistulam pertinacissimam faceſſit; vel infarctus skirrhosus, qui haud raro cancri naturam induit; ut de gangræna sub hisce circumstantiis semper imminente nil addam. Pro comperto habemus, *anatomica autopsia* edocti, hęmorrhoidum, vel externarum, phlogosim & gangrænam in intestina, mesenterium, aliave abdominis viscera sæpissime propagari: quid tum de eventu statui potest, nemo non intelligit.

Ubi phlogosi tentantur hęmorrhoides, vel plus ęquo sęviunt, repetitis venę sectionibus auspicanda est *curatio*. Nonnunquam profuit in re urgentissima, sanguinem mittere ad animi deliquium. Opportune præscribuntur taxantia blandiora; oleum nempe amygdalarum dulcium, dilutum cassiæ, &c. Interea larga manu propinari debent diluentia, demulcentia & temperantia, videlicet serum lactis, aqua pulli, emulsiones, jusculą refrigerantia cum cancris fluviatilibus, carne vitu-

tulina, &c. quibus præmiſſis, & ſedatis ſymptomatibus, aperientia imo & incidentia in uſum vocare licet; nimirum martialia, æthiopem mineralem, &c. Sed caute diu & refracta doſi exhiberi debent prædicta remedia. Sulphuris uſus, tum internus, tum externus, plures ſub hoc caſu fauſto beavit eventu. Furentibus doloribus inducias ſane impetrant narcotica interna; ſed ſummam noxam inferre queunt: quod ſane minime fugit ſolertiores clinicos, qui cum hiſce medicaminibus caute mercari ſolent. Hæc de remediis internis dicta ſufficiant; ad altera, in quorum congrua adminiſtratione præcipuum verſatur curationis momentum, deveniamus.

Præſentaneam ſæpius opem fert aquæ tepidæ, vel decocti verbaſci, alteriuſve herbæ emollientis *vapor*. Eumdem effectum præſtant *fotus* e lacte, decocto althęę, caricarum pinguium, &c. parati; qui inſuper injectionum materiam ſuppeditant. A nonnullis, penes quos ſit fides, deprædicatur ſuffitus e pulvere ſcrophulariæ concitatus. Opportune præterea admoventur *cataplaſmata* emollientia, nimirum e mica panis, e pulpa pomorum, aliiſque conſimilibus confecta; quæ excipere ſolent reſolventia e floribus chamæmeli, ſambuci, &c. deprompta. Nullum forte euporiſtum præſtantius excogitari poteſt vino tepido, quo crebro foveri debet pars affecta. Suas laudes merentur linimenta demulcentia & anodyna, extus impoſita, vel in anum immiſſa; qualia ſunt oleum ovorum, vel lini, cremor vel butyrum lactis, unguentum populeum, nutritum, aliaque id ſortis; quibus pro re nata immiſceri queunt camphora, ſal ſaturni, vel ipſummet opium. Summis laudibus extollitur aqua golardiana, vel pomatum ſaturni. Sed inter præſtantiora reſolventia & anodyna primatum ſane ducit unguentum Neapolitanum, quod omnium aliorum *topicorum* vices explere, multiplici experientia edocti, aſſerere minime dubitamus. Aliud etiam exquiſitiſſimum topicum præbet malum citreum ſub cineribus coctum, adverſus hæmorrhoides tumentes & dolentes; ejus nempe ſucco tepido pluries per diem irrigatur pars affecta: moleſtiſſimum ſane eſt illud remedium; ſed majori ſane efficacia pollet. Nec deſunt alia topica a quibuſdam celebrata; oleum nempe buxi, folia nicotianæ viridia & contuſa, &c.

Ubi vero hæc omnia adminicula, tum interna, tum externa, morbi pertinaciam ſuperare nequeunt; ad aliam methodum ſe conferre expedit; quæ in prædictorum tuberculorum depletione verſatur. In hunc finem *admoventur hirudines*, quarum ſuctu brevi marceſcunt hæmorrhoides, & hinc compeſcuntur dolores. Sunt qui hoc opus celerius abſolvere velint ope *phlebotomi*, ut ab inflicto vulnere ſanguis ſtagnans illico exitum ſibi paret: quænam ſit præſtantior methodus, ſolertioribus examinandum relinquimus. Alia eſt, forte tutior, medendi via; nimirum *extirpatio*, quæ facillime ſane quidem abſolvitur, & fauſte quotidie celebratur adverſus hæmorrhoides numeroſiores; dummodo tamen una aut altera ad ſentinam hæmorrhoidalem ſervetur; alias haud leve periculum ægris impenderet. Maximi poſtremo eſt momenti inter curandas hæmorrhoides tumentes, quæcumque adhibeatur methodus, ut alvus ſervetur libera, tam dięte refrigerantis auxilio, quam laxantium & enematum blandiorum ope: hac enim poſthabita cautela, futilem ſępius operam ludunt cętera prędia.

(2) *Profluvium hæmorrhoidale*, ut inchoatum ordinem proſequamur, ſub quo venæ cognomines ſanguinem ſincerum eructant, ſalubre cenſeri debet, & nonnullis viris æque neceſſarium, ac feminis menſes, ſi periodice recurrat, certiſque cancellis contineatur, facileque a quovis fluore cruento diſtinguatur: ſed parcum & indeſinenti fluxu ſtillans, pro dyſenteria ſcorbutica nonnunquam habetur: ſanguis tamen dyſentericus ſemper dilutus, vel materiebus mucoſis intime mixtus ſe præbet, ac nuſquam niſi inter egerendum excernitur; dum cruor hæmorrhoidalis ſincerus ante vel poſt ſcybala ejicitur. Fluxum etiam hepaticum nonnunquam mentitur profluvium hæmorrhoidale; ſed ſolus dejectionum conſpectus ab errore vindicat; ut de cæteris ſignis, de quibus alibi, nil addam. *Immodicum* cenſetur profluvi-

fluvium hæmorrhoidale, si plus æquo proteletur, crebriusque quam par est recurrat; vel demum si sanguis pleno gurgite erumpat: nonnunquam enim ad viginti vel triginta dies prorogatur; alias bis, ter, quaterve per mensem se sistit: vel majus fit sanguinis dispendium singulis diebus; ejus copia ad libram unam vel alteram nonnunquam accedente: de quodam libras duas sanguinis per sex hebdomadas dejiciente mentionem subjecit Montanus. Fluxum immodicum *prænuntiant* dolores gravativi in dorso vel circa pelvim, tormina, æstus internus, febris, vertigines, crurum torpor, &c. Hunc excipiunt vires prostratæ, fœdus faciei pallor, cachexia, &c. Hæmorrhoidibus fluentibus obnoxii sunt temperie sanguinea vel melancholica præditi, laute victitantes, vitam inertem vel otiosam ducentes: has *promovent* alvus plus æquo adstricta, equitatio diuturna, &c. Hæc morbosa corporis dispositio sæpius a parentibus in prolem transmittitur; nec desunt infantes septem vel octo annorum qui hunc fluxum ad ultimam rerum lineam protrahendum jam patiuntur: qui alias juvenibus parcit.

Salubrem esse *fluxum hæmorrhoidalem* certis terminis coercitum, jam supra notavimus: imo & nonnunquam nil sanitati demere videtur hoc immane profluvium, quod ad uncias duas vel tres, quoties alvus exoneratur, sine noxa in nonnullis accedit. Imo & prostat historia cujusdam qui per quatuor annos libram circiter unam, singulis diebus, secunda valetudine dejiciebat. Constat insuper nonnullas occurrere mulieres, quæ brevi temporis spatio viginti circiter libras sanguinis per hasce vias amiserunt, incolumi sanitate: sed hæc a publico rerum ordine aliena, vel rarissima, censeri debent. *Periculo* enim minime vacat fluxus hæmorrhoidalis, tum copia, tum diuturnitate immodicus; cum sæpissime vires exhauriat, febrem lentam accersat, tabem vel phthisim pulmonarem minetur. Ab eadem causa etiam suboriuntur cachexia & hydrops; non secus ac hepatis, aliorumque viscerum abdominalium infarctus skirrosus, aut altera vitia organica quæ exhibent *cadaverum sectiones*.

Aliarum hæmorrhagiarum instar *curatur fluxus hæmorrhoidalis nimius*; mittitur nempe sanguis e brachio: in usum vocantur refrigerantia & temperantia; ptisanæ scilicet nitrosæ, lac vel serum lactis, emulsiones, cremores hordei, oryzæ, &c. A nonnullis, Veterum opinione forte ductis, summe deprædicatur pimpinella: sed cæteris præsidiis præstare videntur aquæ minerales acidulæ, vel martiales; variæque ferri præparationes; quæ scilicet cuncta permeando obstructiones reserant; adeo ut sanguis ex inferioribus redux solitum alveum facilius petat. Haud nisi re urgentissima adhiberi debent adstringentia validiora, uti sanguis draconis, alumen, essentia Rabel, &c. Sed citra periculum usurpari queunt ptisana e consolida majore; succus urticæ, tinctura rosarum, cathechu, &c.; angue pejus fugienda cathartica stimulantia & acriora; sed opportune præscribuntur rheum, cassia & tamarindi. Conferunt inter paregorica crocus orientalis, camphora; & liquor anodynus mineralis; nec vetantur cæteris consentientibus, urgentibus doloribus, diacodium, tinctura anodyna, aliave narcotica; sed cum cautela præscribi debent, ne, uti solent, foveant hæmorrhagiam. Suum etiam symbolum conferre valent externa; immersio nempe manuum in aquam tepidam, fictus in artubus superioribus celebrati, vincula in brachio injecta, &c.; haud nisi summa cautela extus admovere licet, plantaginem, bursam pastoris, bistortam & malicorium sub decocti forma; bolum armenam, sanguinem draconis, sarcocollam, aliave adstringentia; quæ nusquam, nisi præsenti vitæ discrimine, ab artis proceribus usurpatur. Nonnullis demum optime cessit spongia spiritu vini, vel aceto calido imbuta, & ano admota.

(3) Ex eo quod *fluxus hæmorrhoidalis* periodicus & solitus sit salubris; sequitur periculosæ esse aleæ *suppressionem*: imminet enim infarctus venæ portæ; e quo emergit hepatis, aliorumque viscerum, quibus prospiciunt prædicti vasis propagines, labes varia, quam patefaciunt *sectæ cadavera*, ex quibus deprehenduntur phlogosis, purulentia, infarctus & stases; omen-

mentum præsertim crassum, densum & tuberosum, ubique cum peritonæo connatum, nonnunquam in se revolutum, & quasi cartilagineum; hepar, ventriculus & intestina inflammata; mesenterium infarctum vel purulentia conspurcatum; pleura variis granulis exasperata, non secus ac peritonæum: pulmones pleuræ accreti, tuberculosi, pure scatentes; hydrops demum pectoris & abdominis, non secus ac cerebri & medullæ spinalis. Ex eodem fonte prodeunt innumeri morbi, inter quos crebrius occurrunt vertigines, apoplexia & paralysis, asthma & catarrhus suffocans, affectus hypocondriacus, anxietates, nephritis, mictus cruentus, cachexia, hydrops, arthritis, &c. hinc patet quam sit pertimescendum inhibitum illud consuetum vel annosum profluvium. Quod infortunium accersunt incondita victus ratio, terror, frigus subito contractum, præposterus adstringentium usus, intempestivæ venæ sectiones, &c. e quibus causis evidentibus orta suppressio ægros in majus vitæ discrimen trahit. Minus vero ominosa censetur, si a peculiari humorum vel organorum constitutione pendeat, quæ scilicet haud reluctante natura, accidit.

E præhabitis facile intelligitur cur *curatio fluxus* hæmorrhoidalis perennis circa duntaxat *suppressionis* infortunium versetur: cum ab exsiccata hac sentina, sanguis fæculentus excerni solitus, in vasa refluens omnium viscerum labem minetur; & hinc truculentiora promovere queat symptomata. Ideo nil non movendum ut revocetur, & in integrum restituatur coercitus fluxus: quid valeat sub hoc rerum statu sanguinis missio e saphena nemo non novit. Pluris interea habentur temperantia & aperientia: fumaria nempe, lingua cervina, cichorium, &c. suas laudes merentur amara; non secus ac emmenagoga: conducunt demum si nil obstet cathartica, ex aloe & colocynthide præsertim petita. Remediis internis nil proficientibus, in subsidium vocanda externa; inter quæ summis præconiis jure celebrantur hirudines podici admotæ: nonnullis prosunt cucurbitulæ: proficue celebrantur fictus cum linteis asperis; ad huncce usum etiam inserviunt folia ficus. Postremo opportune injiciuntur enemata e colocynthide, aliisque acrioribus, parata: juvant suppositoria ex iisdem materiebus confecta, sed hæc omnia, ut verum fatear, incassum usurpantur remedia, ni obsequiosa natura in suppetias veniat.

(4) Alterum laticem mucosum, subalbicantem vel flavescentem, haud raro striis sanguineis remixtum eructant vasa hæmorrhoidalia, quem *hæmorrhoides albas* nonnulli vocitant; qui juxta alias *mucus* vel *fudor hæmorrhoidalis* audit. Nonnunquam cum hæmorrhoidibus legitimis, quas forte supplet, alternare videtur hic fluxus; adeo ut quemdam esse consensum inter utrumque profluvium inferre liceat; ni potius fluoris albi muliebris indolem sapiat. Ichorosam naturam redolent, vel puris specie fallunt hæ sordes mucosæ, quæ nunc e vasis internis, nunc ex externis transudant: fluidiores videntur quæ e venis externis prodeunt; internæ vero, ob moram quam trahunt in intestino recto, spissiores observantur. Leve quandoque incommodum parit hic affectus, qui alias pruritum molestissimum, exulcerationes, phlogosim vel ipsammet fistulam ani post se trahit. Hanc excretionem antecedunt affectus torminosi, vel quædam alvi perturbatio, flutulentia, anxietas abdominalis, & quædam spastica recti commotio. Hunc concomitari solent quidam lumborum dolor gravativus, cum urina parciori & saturatiori, torpor animi, crurum debilitas, pedumque refrigeratio; dejectiones frequentes, & tenesmus, vermium excretio, &c. Insuper fiunt in quibusdam fissuræ & rhagades in ano, quas nonnunquam excipiunt ulcus & fistula, vel infarctus recti skirrosus cum excrescentiis carnosis, haud raro extra anum propendentibus: hæc exhibent evisceratæ cadavera. Alias efflorescunt pustulæ miliares, serpiginis instar, summe pruriginosæ, &c. Per vices repetit, & hæmorrhoidales periodos plerumque servat hæc exsudatio; ad quam proni existimantur cachectici & melancholici, qui præcipue legitimum fluxum experti sunt. Contrahitur a vita inerti & otiosa, a lautioribus dapibus, a vino & venere, ab inconsulto aloeticorum usu, &c. Non secus

cus ac hæmorrhoidum fluxus vulgatior, ſalubris nonnunquam fit hic ſudor hæmorrhoidalis, qui diu ſæpius protelatur; nec raro uſque ad ultimum fatum. Hæmorrhoidum legitimarum, & fluoris albi inſtar haud citra periculum, poſthabitis præmittendis, cohibetur; hic enim humor ſanguini remixtus ſummam in viſcera labem inferre, hydropem accerſere, & arthriticos, nephriticoſve inſultus promovere poteſt.

Tuto tamen impugnari poteſt ſudor hæmorrhoidalis, dummodo ad bene perſpectam & trutinatam morbi cauſam *curandi judicium* dirigatur. Proficua fore laxantia & cathartica mitiora, experientia teſtatur; ſed de ſtimulantium & hydragogorum efficacia, a nonnullis celebrata, dubitare licet. Egregiam opem præſtat diuturnus diureticorum & diaphoreticorum uſus; quorum ſcilicet præſidio materia quæcumque morboſa per renes vel cutis ſpiracula e vaſis ſanguineis excutitur: nec minus conferunt depurantia, quæ humorum dyſcraſiam emendare queunt: utrorumque munia præſtare videntur aquæ minerales, tum frigidæ, tum thermales. His præmiſſis ad martialia & tonica, diu & refracta doſi exhibita, devenire licet; nec omittenda, per totum curationis curriculum, diluentia & lubricantia e diætetico fonte petita. Suam etiam opem conferunt enemata emollientia & demulcentia; linimenta ex oleo ovorum, butyro, &c. parata; injectiones vel lotiones e decocto althææ, verbaſci, aliorumve affinium concinnatæ. Sunt poſtremo qui inuſto circa vicinia cauterio hanc exſudationem exhaurire tentant: ſed hanc ſentinam moleſtius ferre ſolent ægri quam ipſummet morbum; hinc paucis arridet hæc medendi methodus.

(5) *Tubercula anum infeſtantia* pro peculiari quam referunt facie, vel curantium lubitu diverſa ſortiuntur nomina: ex hoc fonte prodeunt *verrucæ*, *mariſcæ*, *condilomata*, *ficus*, *&c.* Sed notare expedit quod hæc cujuſvis ſortis tubercula ſæpius mentiantur hæmorrhoides rugoſæ, quibus ſæpiſſime decipluntur incauti vel imperiti. Nullo plerumque dolore ſtipantur hæ ſarcoſes; ſed quandoque phlogoſi corripiuntur; quæ moleſtiſſimæ evadunt; imo & cancri ſpeciem referunt. Non ſolum extus protuberant hæc tubercula calloſa; ſed haud raro intra rectum reconduntur, atque hunc tubum tanto agmine obſident, ut liberum fæcum exitum præpediant, ut docent *cadavera*. Ad has exiguas prominentias proni videntur melancholici & ſcorbutici, quæ alias inter luis venereæ ſymptomata recenſentur. Mariſcæ numeroſiſſimæ podicem cynædorum infeſtant; e nefando ſcilicet & præpoſtero concubitu. Inſuper hæc cujuſvis ſortis tubercula ſæpius concomitantur rhagades, quæ ſimili cauſæ adſcribi ſolent.

Parum proſunt unguenta exſiccantia adverſus prædictas ſarcoſes adhiberi ſolita. Nec magis conducit linimentum ex aceto & cinere ſarmentorum confectum; etſi a pluribus decantatur. Sola ſane *extirpatione* domantur hæc tubercula. Hæc eſt clava herculea, qua averruncari patiuntur: ad quod opus adhibentur ferrum & ligatura, dummodo in apricum veniat morbus: haud deſunt qui hunc cathæreticis aggredi velint, ſed hic curandi ritus longior & moleſtior jure cenſetur. Parum tamen aut nil proficiunt prædicta auxilia, ni debita remediorum internorum adminiſtratione ſanguinis & humorum dyſcraſiæ proſpiciatur. Nec alia patet curandi via erga tubercula intra tubum inteſtinalem recondita, quæ haud citra periculum cathæreticis, viciniora exquiſitiſſimo ſenſu prædita laceſſentibus impugnari queunt, nec ferro ob ſitum abſcindi patiuntur: ita enim ſæpius occultantur, ut explorantes digitios fugiant; nedum in conſpectum veniant, adeo ut meris duntaxat conjecturis hæc ſæpius aſſequi liceat.

(6) A prægreſſis phlogoſi & purulentia *ani* emergere *fiſtulam* nemo neſcit. Haud omnes tamen podicis abſceſſus in fiſtulam faceſſunt, cum aliorum inſtar nonnunquam curentur: præſertim ſi brevi erumpant, dolore & febre ſtipentur, ac veniant in propatulum: ſed ubi tarde & tacite progrediuntur, dolore ſcilicet obſcuro, adeo ut materia purulenta, diutius quam par eſt inibi moram trahens foveas & cuniculos ſibi cudat, haud declinatur fiſtula: imo & uſus invaluit apud Chi-

turgos ut hoc nomine insigniatur absessus hujusce notæ nondum apertus, ob labem quam jam vicinioribus partibus intulit, qui scilicet solitam curationem respuit; eo quod tortuosorum sinuum fundum attingere nusquam liceat: quo fit ut tabum inibi aggestum, ob defectum declivitatis, solitis injectionibus everri minime patiatur, & altius sensim penetret. Notare expedit fistulam ani a genuina vel legitima phlegmone prosapiam ducentem, profundiores cuniculos dextra, lævaque excavare, & majus hinc curantibus facessere negotium. Quæ vero ab hæmorrhoidibus inflammatis oritur intra intestini recti tunicas utplurimum coercetur, & facilius evinci solet.

Fistulæ ani recentis *curatio* simplicioribus plerumque peragitur, vel spontaneo naturæ molimine absolvitur; nec desunt exempla hujusce fausti exitus: sed chronica, profunda, & callosa omnibus remediis obsurdescit, solaque *sectione* domatur, dummodo tamen minime foveatur a carie vertebrarum lumbarium, imo & dorsalium; uti patet ex autopsia anatomica. Cæterum ulcus ani fistulosum luis venereæ particeps specificis nonnunquam cedit; quibus si reluctetur, ejus cura chirurgica facilior evadit. Fistulæ annosæ, non secus ac ulcera, sentinam nonnunquam salubrem præbent, quam citra ingens periculum nusquam exhaurire licet. Plures enim occurrunt senes, qui illius præsidio vegeta fruuntur sanitate, qua deficiente res est periculosæ aleæ; imo & mors præ foribus imminet; uti observavi paucis ab hinc annis in homine quinquaginta annos circiter nato; cujus fistula vetus, ad quam secandam sese accingebant Chirurgi, subito exaruit, & ostium ita ferruminatum fuit, ut vix perciperetur cicatrix: interea ita bene se habebat æger per duos aut tres menses ab illo, uti autumabat, felici eventu superstes, ut de medicaminibus prophylacticis parum curaret: inter quam securitatem vires subito deficiunt, & quasi fulmine perculsus repentina morte abripitur, cujus sectum cadaver colluviem serosam, tam in cerebro, quam in medulla spinali patefecit.

(7) Supereſt ut de *ani procidentia* (*chute de boyau*) breviter dicamus. Prolapsum intestinum quandoque sponte retrocedit; sed secus evenit si ad certam longitudinem propendeat. Hæc enim procidentia a geminato tubo producta ad quinque vel sex pollices sæpius accedit; raro ulterius, ad unum scilicet vel alterum pedem gallicum, & ultra, ut nonnulli tradunt, elongatur. Huic morbo obnoxios esse infantes haud fugit mulierculas: sed hunc accersunt in quavis ætate tenesmus & diarrhœa; non secus ac alvus plus æquo adstricta, clamores, ac inter mingendum, egerendum vel parturiendum molimina. Promovetur insuper ab hæmorrhoidibus, ascaridibus, calculo vesicæ, prægressa lithotomia, &c. Hisce causis innixus ani prolapsus in pristinum situm facile restituitur; sed si partium atoniam, vel paralysim agnoscat, in senio confectis, vel dysenteria chronica laborantibus, nullam ferme curam admittit. Notare expedit intestini partem a situ dimotam humorum decubitu nonnunquam intumescere, & non raro in skirrhum vergere; hinc fit ut in pristinum situm ægre restituatur. Inflammatione etiam & gangræna in quibusdam corripitur propendens intestinum; sub quo statu haud cunctanter amputari debet pars affecta; quod facillime & citra magnum discrimen absolvitur. Expedite tamen in nonnullis reponitur intestinum foras prolapsum; sed illud in nativa sede cohibere, hoc opus, hic labor est: parantur in hunc scopum fotus adstringentes cum catechu, acacia, galla, cortice granatorum, &c. coctis in vino austero, vel aqua aluminosa, quibus imbuuntur lintea & spongiæ, podici admovenda, congruaque fascinatione coercenda. Futilia sunt adstringentia interna, quæ alias alvum comprimendo, vel egerendi conatus ingravescendo, noxam inferre queunt. De *rhagadibus* ani nil addimus, cum haud aliam expostulent medelam ac fissuræ genitalium, de quibus supra.

MOR-

MORBI ARTUUM.

DOlores extremorum, qui claudicationem poſt ſe trahunt, arthriticos nempe, rheumaticos, venereos, ſcorbuticos, &c. de quibus alibi, conſulto prætermittimus: nec tremori, convulſionibus & paralyſi, cerebri morborum ordinem ſubeuntibus inhærebimus. Luxationes, fracturas, &c. ad morbos oſſium ablegamus: ſimilique ratione tumores ſcrophuloſos, ganglia, elephantiaſim, &c. prætereunda cenſemus. De morbo coxali infantes præcipue reſpiciente, ſuo loco. Haud deſunt tamen quamplures affectus hoc capitulo comprehendendi; nimirum *perennis artuum contractio*, eorumdem peculiaris *atrophia*, *tumor œdematoſus*, leucophlegmatiæ minime particeps; *tumores albi*, oſſium connexionibus inſidentes, *paronychia*, *pernio-nes*; hæ crurum puſtulæ quæ *roſeolæ ſaltantes* vocitantur, *clavi* pedum, *dolor iſchiadicus*, *crurum ſtupor ſpaſmodicus*, *infortunia a venæ ſectione*, *extremorum diſtorſio*, ac demum *pedum fœtor*: de quibus ſigillatim, ſuo ordine, breviter diſſerere conſultius fore judicavimus.

(1) Per ſe patet *contractio artuum chronica*, quæ vulgo *contractura* audit; atque non a muſculorum convulſione, ſed ab horumce organorum peculiari exſiccatione, vel emaciatione, ſuam ſortitur originem. Flexores & extenſores muſculi hoc morbo æque corripiuntur; ſed flectentes antagoniſtarum vim ſuperant; adeo ut utrorumque artuum digiti ſemper incurvi & adunci ſe præbeant, nec latet anatomicos hujuſce phænomeni ratio. Hunc affectum cuivis obvium promovere ſolent ſpaſmodici inſultus crebrius recurrentes, paralyſis annoſa, dolores chronici, rheumatici vel arthritici, ambuſtiones & vulnera, venenati halitus e fodinis, ſpecubus, aliiſve locis ſubterraneis erumpentes, diatheſis ſcorbutica, colica ſpaſmodica, &c. Facile evincitur hic morbus incipiens, ſed plane immedicabilis cenſetur adultus vel inveteratus. Itaque præmiſſis generalibus, propinantur diluentia & demulcentia, inter quæ primum locum obtinent lacticinia; dein proſunt diaphoretica blandiora; ſuas laudes etiam merentur depurantia & antiſcorbutica; ſed hiſce omnibus palmam præripiunt, experientia teſte, aquæ minerales, quæ, intimiores vaſorum contractorum receſſus adeundo, liberum ſanguinis circulum reſtituunt, fibriſque corrugatis flexilitatem conciliant.

Præcipuus tamen *curationis* cardo, primarii morbi habita ratione, in opportuno emollientium externorum uſu verſatur. Varia in hunc ſcopum parantur linimenta, ex oleo lumbricorum, chamæmeli vel laurino, ex axungia humana, gallinæ, urſi, &c. ex unguento de althæa, aliiſque innumeris ſimilis efficaciæ. Obvolvitur etiam pars affecta pelle calida vervecis, vituli, alteriuſve pecudis recens mactati, vel immittitur in imum ventrem bovis vitali calore haud defraudati. Inſuper proficue immergitur membrum contractum in decoctum emolliens, ſanguinem cujuſcumque animalis tepidum, juſculum omaſorum, lac excalefactum, &c. ſed nil forte efficacius reperitur quam irrigatio ab alto ex aquis Plumberianis, Granenſibus, Montis Aurei, Borbonienſibus, Anſelmienſibus, Dinienſibus, cæteriſque thermalibus, quæ etiam vapores & balnea efficaciſſima præbent. Nonnulli lutum aquarum Amandinarum, aliarumque mineralium, tum nativarum, tum artificialium deprædicant. Præclare munia obeunt aqua Golardiana, & pomatum ſaturni. Maximi demum eſt momenti inter prædictorum topicorum uſum, ut pars contracta ſenſim porrigatur, vel caute moveatur, ac contra frigus externum probe muniatur.

(2) *Atrophia* vel *aridura artuum* e peculiari nervorum, vel medullæ ſpinalis vitio, poſt obitum duntaxat detegendo, plerumque pendet; quæ alias a cauſa evidente promovetur; a tumore ſcilicet premente nervos extra cerebri & medullæ thecam ſitos, partem affectam irradiantes, a luxatione eumdem effectum exerente, &c. Senſu & motu ſæpius orbatur pars macie confecta; e qua etiam haud raro erumpunt phlyctænæ quæ imminentem gangrænam denuntiant. Si cauſæ internæ innitatur hic affectus, omnem plerumque curantium induſtriam ſuperat; ſed doma-

ri patitur, si evidentem agnoscat causam, quam scilicet impugnare licet. Nec vetantur tamen sub primo casu tentamina, quæ nonnunquam, ancillante fortuna, faustum habent exitum. Itaque præmissis generalibus, si opus sit, in usum trahuntur diluentia & demulcentia, temperantia & aperientia mitiora: explorari etiam solent diaphoretica nonnunquam proficua. Quibus incassum adhibitis ad aquas minerales frigidas vel thermales, pro re nata seligendas devenire expedit, quæ scilicet cætera remedia interna cujuscumque sortis longe antecellunt. Nec inutilem opem præstant emollientia externa, balnea scilicet e jusculo omasorum, e decocto malvæ, althææ, verbasci, alteriusque herbæ emollientis, parata; inunctiones cum oleo lumbricorum vel chamæmeli, cum unguento rosaceo, de althæa, &c. celebratæ: sed cæteris præstare videntur irrigationes ab alto ex aquis thermalibus nativis vel artificialibus. Parum postremo proficiunt cucurbitulæ siccæ, quæ sub hac rerum conditione a nonnullis proponuntur.

(3) *Tumor crurum œdematosus*, qui rarius brachia etiam invadit; haud semper a cachexia & hydrope pendet: nemo enim nescit huic obnoxias esse prægnantes, nonnullos asthmaticos, &c. Promovetur præterea a mensium vel hæmorrhoidum suppressione; non secus ac a quavis hæmorrhagia immodica, ab erysipelate, a vinculis, vel ipsismet periscelidibus plus æquo constrictis, aliave quacumque causa venas comprimente. Diutius quam par est etiam stando, ambulando & equitando contrahitur hoc crurum œdema; quod denique accersunt morbi chronici, sub quibus tamen pro hydropis prænuntio habeti solet. Mane evanescit recens & levis hic affectus, qui alias nullum incommodum parit: sed gravis & diuturnus torporem artubus infligit; horumque motum nonnunquam prepedit. Ubi in immensum crescit hic infarctus, tegumenta haud amplius obsequiosa dilacerantur, variisque rimis hiant, e quibus proficue nonnunquam stillat serum: sub quo eventu brevi detumescit pars; sed tum cave gangrænam: quod infortunium minantur dolores profundiores & acutissimi. Facile evincitur crurum infarctus œdematosus, si a causa externa & fugaci, a virium defectum vel recenti humorum labe prosapiam ducat: ubi vero ab intempestive sopita febre quartana sobolescit, solo febris reditu profligatur. Sed omnibus remediis obsurdescit, si a quodam morbo chronico immedicabili foveatur.

Non secus ac cachexia & hydrops, habita tamen ratione causæ, pertractari solet œdema crurum; hinc crambem repetitam minime apponemus: sed sæpius solis *remediis externis* peragitur, vel absolvitur hæc medela, ni spontaneis naturæ viribus committatur. Inter topica egregiam opem ferunt fotus e decocto eupatorii, tanaceti, florum sambuci & baccarum juniperi; ex aqua calcis & lixivio cinerum sarmentorum: ex aqua aluminosa, vel fabricæ ferrariæ, &c. parti. Nonnullis prodest vapor spiritus vini deflagrantis: aliis confert cataplasma e fimo columbino, sale & aceto conflatum. Suas etiam laudes merentur folia ebuli cum spiritu vini contusa & cataplasmatis instar admota. Pars insuper affecta proficue immergitur in cineres calidos: haud improbantur lateres calefacti plantis pedum impositi: opportune quandoque celebrantur fricta cum linteis calidis; sed cavendum non efflorescentiam erysipelaceam accersant. Haud inutilem postremo opem ludunt erga morbum levem & recentem tibialia e pelle canina confecta, vel fasciatio caute injecta, quæ scilicet cruribus ab omni infarctu liberis mane admota recurrentem intumescentiam præcavere queunt: sed haud omnibus congruunt hæc repellentia: nunquam alias adhibenda extra usum diureticorum & hydragogorum, quæ devium serum ad renes vel sentinam intestinalem amandare queunt: alias imminet penis, & scroti tumor œdematosus, vel colluvies serosa in pectoris & abdominis cavo, quod pluries accidisse norunt practici. Nonnunquam, ultimo, fauste succedunt in casu urgentiori scarificationes, quæ cæteroquin gangrænam inferre queunt.

(4) In obscuris latet *Tumoris albi* artus, ac præsertim genua & cubitos obsidentis genuina indoles. Virus scrophulosum

ſum ſæpius redolet hæc protuberantia, etſi haud raro a contuſione, aliave cauſa externa, paritur. Diverſa eſt ejus moles, quæ ſæpius ita in immenſum creſcit ut atrophiam partis inferioris accerſat. Sub exordio indolens, ſuccesſu temporis moleſtus evadit tumor albus: imo & a ſævientibus ſæpiſſime doloribus movetur febris lenta, quambrevi excipit maraſmus. Hæc tamen tumoris ſpecies mollis, & cuti concolor, nullo plerumque æſtu, nec dolore ſtipatur; adeo ut oſſium connexionem in pleriſque obvolvens, œdematis faciem præ ſe ferat, vel ejus naturam redoleat; unde fit ut nonnulli pro quadam hydropis ſpecie illam habuerint: ſed refragatur *ſectio anatomica*, quæ exhibet materiam quamdam gelatinoſam a ſynovia prognatam, ac fibrarum contextui impactam vel congeſtam, nunc in capſulas ligamentoſas, nunc extra hæc involucra: ſarcoſes fungoſas diverſæ ſortis, vel glanduloſas concretiones, materiam quamdam adipoſam, vaſa lymphatica conſpicua cum hydatidibus, &c. E quibus perſpicuum manet tumorem album magis ad skirrhi, quam ad œdematis naturam accedere; vel potius neutrius eſſe participem.

E præhabitis jure colligitur *ſolutu difficillimam* eſſe *hanc tumoris ſpeciem*, præſertim ſi quicumque latex, uti ſæpiſſime accidit, in capſularibus connexionum ligamentis ſtagnet. Præterea ad purulentiam ſæpiſſime vergunt tumores albi, atque a diſrupto abſceſſu ſuboritur fœdiſſimum ulcus fiſtuloſum, quod ſcilicet ligamentorum putreſcentiam, vel oſſium cariem poſt ſe trahit, & laticem quemdam limpidum & albuginoſum, nil ab artuum ſynovia diſcrepantem, una cum ichore fundit. Quare minime mirum ſi hac exhauſta areſcant ligamenta, rigiditatem contrahant artus, & omni motu orbetur pars. Hic morbus contumaciſſimus, vel Medicorum & Chirurgorum artes eludere ſolitus, nonnunquam tamen remediis, tum externis, tum internis obtemperat, dummodo illibata ſint oſſa & ligamenta, & in ſimplici humorum decubitu verſetur. Ubi vero altas egit radices, oleum & operam perdunt ad hanc curationem ſe ſe accingentes.

Hinc intelligitur cur *internæ curæ* inhærentibus grave incumbat munus, cum ſæpius etiam exhauſta remediorum farragine, haud hilum proficiant; adeo ut ægri moræ impatientes, vel diuturniori curatione pertæſi omnibus remediis valedicere cogantur. Uſitatiora, e cathartico-rum, diureticorum, aperientium & incidentium claſſibus depromuntur; quibus addere licet depurantia & ſudorifica: ab hiſce auxiliis, quantæcumque ſint horum vires, nil promovetur, ni in ſubſidium veniant *topica*, quæ ſane hic efficaciora cenſeri debent: hæc audiunt roborantia & reſolventia; fotus nempe aromatici ſpiritu vini tartarizato, aliove liquore ardente aucti, vel alumine & vitriolo impræghati. Fauſte etiam in eumdem uſum adhibentur acetum, bolus armena, myrrha, maſtiche, &c. Nonnunquam prodeſt ſub primis morbi incunabulis compreſſio a congrua faſciatione peracta. Conducunt eodem tempore fricti cum linteis calidis celebratis, ſuffitus a karabe vel olibano; irrigationes ab alto cum aqua ſimpliciſſima, vel quacumque minerali; nonnullis demum profuit præceps aquæ lapſus moletrinarum, quem etiam quoſdam podagricos fauſto beaſſe eventu per tranſennam notare expedit. Haud deſunt ultimo qui inunctiones mercuriales in parte affecta celebratas deprædicant, quas ſane quidem ſub quibuſdam circumſtantiis proficuas eſſe; ſed haud omnibus congruere, experientia conſtat.

Ubi vero incaſſum hæc omnia cujuſvis ſortis adhibentur præſidia, ad aliam *methodum* mere nempe *Chirurgicam* ſe conferre expedit; quæ verſatur circa ſectionem, vel cauſticorum adminiſtrationem, ut poſtea notiſſimis adminiculis ad ſuppurationem cogatur patens tumor: ſed peritum artificem expoſtulat uterque medendi ritus, ne ſcilicet lædantur tendines & ligamenta; dein inflictum vulnus tralatitia arte pertractatur; topicis nempe digeſtivis, detergentibus & cathæreticis: inter unguenta, magis ſub hiſce circumſtantiis comprobata, primum locum obtinent baſilicum, ægyptiacum; &c. Laticem quemdam albuginoſum, vel ſynoviæ artuum æmulum ſuppeditare prædictum ulcus jam

ſu-

ſupra notavimus: hinc conſultum videtur ut diutius protrahatur hæc curatio, ne intempeſtiva ulceris ferruminatione, nondum exhauſtus morbi fomes inibi incarceretur, & æger recidivæ periculum incurrat: quo infortunio plures plecti neminem ſane praxi edoctum latet. Ad tumorem album proxime accedit *tumor flatuletus artuum*, genua præſertim obſidens, de quo Riverius & Zacutus Lusitanus. Mollis & fluctuans, ac cuti concolor obſervatur hæc prominentia, nonnunquam pulſans & claudicationem ſæpius poſt ſe trahens; adeo ut de quodam humore huc collecto tum cogitetur; nec niſi poſt ſectionem qua flatus erumpit, in apricum veniat hujuſce morbi character; quo apprime noto intelligitur curandi proceſſus.

(5) *Paronychia*, (vernacule *panaris*, aut *mal d'aventure*) hæc eſt phlogoſis digitorum manus, rariſſime pedis, extremum apicem obſidens, quæ calore deurenti, & atrociori dolore, plerumque ſtipatur. Nunc mitis & fugax, ſinguloſque digitos haud raro pervadens; nunc deterrimus, & parti primo affectæ pertinaciter hærens: hinc ratione ſedis, minus magiſve profundæ, diverſos, ut inquiunt, malignitatis gradus præbet, peculiaremque induit characterem. Facillime a paronychia unguem circumambiente diſtinguuntur tumores phlogodei & ſcrophuloſi digitorum ob aliam ſcilicet quam obtinent ſedem. Per totum brachium ſæpius propagantur paronychiæ dolores, quod ab eadem cauſa haud raro etiam tumet, vel tabum ad volam manuum per vaginas tendineas pervadens, ſummam inibi perniciem edit. Levis hic morbus, vel tegumentis coercitus facillime ſanatur; ſed ſecus ſe res habet ſi profundas radices egerit; adoritur nempe tendines, ligamenta, perioſteum, vel ipſamet oſſa: ſub quo rerum ſtatu de dolore urente & lancinante ſæviſſimo conqueruntur ægri: nec ex alio fonte prodeunt febris vehemens, vigiliæ pertinaciſſimæ, lipothymiæ, delirium, convulſiones, &c. Utriuſque notæ paronychia ad ſuppuratum vergit; ſed gangrænam & oſſium caries minatur, ſi ſit mali moris: hæc impendent infortunia, ſi dolorum ſævitiei haud conſonet partis intumeſcentia. Sæpiſſime promovetur utriuſque partis paronychia a punctura, contuſione, immerſione manus in aquam frigidam, &c. quæ alias a plus æquo æſtuante, vel exuberante ſanguine nonnunquam progerminatur.

Paronychiæ levis *curatio* ſimplicioribus maturantibus peragitur, cataplaſmate ſcilicet e mica panis, vel carica pingui, lacte, ſi lubeat, muliebri madida. Ubi in ſuppuratum abiit, incunctanter incidi debet, ut puri ſternatur via: quo evacuato, unguento fuſco, vel baſilico, brevi abſolvitur medela. Sed grave curantibus faceſſit negotium *paronychia mali moris*, qua incipiente pluries tundenda eſt vena, inter uſum diluentium & demulcentium: nec vetantur ſævientibus doloribus narcotica, caute tamen exhibenda. Interea danda eſt opera, ut congruis topicis promoveatur purulentia: ad hoc opus uſurpantur maturantia ſupra laudata; cataplaſma ſcilicet e mica panis, unguentum fuſcum, diachylon cum gummis, & id genus alia vulgatiora. Pure confecto, quantocyus aperiri debet abſceſſus, ne pus ſua mora ſubjacentes partes lædat: nec inter ſectionem partibus mollibus parcendum, ſi labes oſſa attigerit: imo & nonnunquam expedit ut una aut altera phalanx vel digitus amputetur, ne totum brachium labefactetur & æger in vitæ diſcrimen trahatur. Dein pertractatur vulnus cum balſamo Arcæi, unguento de ſtyrace, tinctura myrrhæ & aloes, aliiſque ſelectioribus antiputridis. In uſum etiam vocantur, pro rerum ſtatu, exſiccantia & cathæretica; oleum nempe guaiaci, alumen uſtum, euphorbium, aliaque in ulcerum ſordidorum cura adhiberi ſolita.

Paronychiis obnoxii, propria experientia edocti, hunc morbum in ipſis incunabulis præfocare ſolent, digitum per vices immittendo in aquam ferventem; hæc enim breviſſima & pluries repetita immerſio ineuntem morbum ſiſtere, ejuſque progreſſum præpedire ſolet. Aliud eſt *prophylacticum*, haud minori, me judice, efficacia præditum, quod meticuloſis magis arridet; nempe lixivium calidum e cineribus ſarmentorum paratum, in quo

diu-

diutius, vel per plures horas detinetur digitus. In eumdem etiam usum trahuntur spiritus vini, decoctum chamædryos e lacte, &c. quæ omnia vi resolvente pollent, dummodo sub prima morbi invasione admoveantur, quæ alias, inter scilicet puris confectionem, noxia evaderent. Haud absimili ratione præcaveri vel impugnari potest paronychia pedum; morbus cæteroquin rarissimus; sed periculosioris est aleæ, cum raro sospitentur digiti affecti phalanges.

(6) *Perniones*, (*mules*, aut *engelures*) infantibus & juvenibus, præsertim sequioris sexus, familiares, non solum pedes & manus, sed etiam nasum, aures, &c. obsident. Colore subcæruleo, vel pruritu molestissimo a cæteris distinguitur hic tumor phlegmonodeus, latus & sessilis, qui in suppuratum nusquam abit. Sed variis fissuris nonnunquam hiat in totidem ulcera facessentibus, quæ pravum sæpius characterem induunt; horum enim lividæ & tumentes oræ, sanies fœtida qua conspurcantur, phlyctænæ ex horum ambitu erumpentes, haud levem gangrænæ, ossiumque cariei metum incutiunt. Nusquam fere hyemali tempestate domari patiuntur perniones, quæ grato veris reditu sponte evanescunt, initio subsequentis hyemis reversuræ. Harum reditum nonnulli præcavere solent ante hyemis adventum, pluries immergendo partem affici solitam in sanguinem bovillum calidum; alii in eumdem scopum adhibent lotiones, vel irrigationes ex aquis thermalibus sulphureis: nec desunt qui morbi jam contracti incrementum eluctantur; qui scilicet imminentes a suscepto intensiori frigore perniones prævertere solent fricta partis cum nive celebrato; vel repetitis lotionibus cum aqua frigidissima; vel in hanc immersionibus. Minime despiciendum est illud præsidium, quod alias, uti supra innuimus, gangrænæ etiam ab eadem causa genitæ obviam it.

Sed ubi adolevit hic morbus, præcluduntur, inter frigus hyemale, omnes fere medendi viæ; hinc curæ mere palliativæ tum inhærendum. Egregiam in hunc finem opem præstant topica demulcentia, oleum nempe olivarum, vel amygdalarum dulcium, medullæ & axungiæ officinales; sperma ceti, cerata vulgatiora & simpliciora, &c. Haud exiguam insuper laudem merentur resolventia diversæ sortis; suffitus nimirum e seminibus hyosciami paratus, vapor aceti; lotiones ex urina tepida, vino calido, aqua vitæ, vel spiritu vini; quibus addere licet camphoram, theriacam, &c. irrigationes ex spiritu salis, vel solutione aluminis, pernionibus duntaxat integris dicatæ. Proficue cæterum celebrantur inunctiones cum balsamo copahu, petroleo, oleo terebinthinæ, &c. Nonnullis demum confert emplastrum saponaceum; aliudve simile efficaciæ. De ulcere, gangræna & carie nil addimus, cum suam vulgatissimam curam exposcant; nec de varia humorum labe quæ hunc morbum fovent & exasperant.

(7) Quædam e cruribus erumpunt *pustulæ phlogodeæ*, fabæ magnitudinem fere æquantes, a tuberculis venereis & epinyctidibus vix ratione formæ absimiles; de quibus Aurelius Severinus primus, ni fallor, mentionem subjecit sub titulo *roseolarum saltantium*; nomine ducto ab areola intense rubra, & a molestissimo pruritu qui ægros ad inconditas crurum motiones cogit, adeo ut saltare videantur. Juvenes utriusque sexus invadere solent roseolæ saltantes, quæ plerumque resolutione, ope simplicissimorum topicorum ad hunc usum comparatorum, vel spontaneis naturæ viribus, judicantur, ni intempestiva curatione in ulcuscula pertinacissima facessant: adeo ut vix curam medicam exposcant prædicta tubercula, ni de præcavendo horum frequentiori reditu cogitetur, ad quod opus, congrua composita victus ratione, & præmissis generalibus, in opportunum usum vocantur refrigerantia, temperantia, depurantia, aliaque notissima præsidia morbis cutaneis dicata.

(8) Nemo non novit *clavos pedum* (*les cors*); nec latet tubercula hæc callosa, periosteo plerumque incumbentia, a diuturna compressione suboriri, eorumque dolores ab eadem causa foveri; quibus occurritur angustiorum calceorum fatuam venustatem deponendo: vel clavus cera molli, aut quovis emplastro muniatur;

tur; retinent enim prædictæ materies impressum clavi vestigium, & ideo eum ab omni attritu tuentur. Præterea caute secatur quidquid prominet, vel unguibus evellitur. Huic extractioni favent emollientia prius admota; cataplasmata scilicet & emplastra hisce viribus pollentia, non secus ac frustum carnis bubulæ, folia sedi majoris & telephii; vel immersio in aquam tepidam, quæ cæteris præstare videtur. Quibus præmissis facillime averruncatur & aufertur nucleus callosus. Sunt qui clavorum resolutionem tentant ope pediluvii cum lixivio cinerum sarmentorum parati: quidam allium, emplastrum e gummi ammoniaco, de Vigo, &c. ad hoc opus adhibent. Inter præstantiora resolventia laudatur cortex nucis acajou, qui acrior & quasi causticus viciniores partes sæpius lacessit, phlogosimque & purulentiam promovet; quo fit ut hoc topicum aversentur haud inferioris notæ practici: quod tamen summa cum cautela, & præmissis emollientibus, experiri licet, cum sæpius fauste successisse pro comperto habeamus.

(9) *Ischias*, nostratibus (*la sciatique*) quam antecedere solent partis stupor & formicatio, a materia rheumatica vel arthritica, prosapiam ducere solet. Neminem enim fugit arctam esse inter utrosque morbos affinitatem. Lumbos in plerisque primo adoriuntur dolores ischiadici, non secus ac in vera lumbagine, a qua parum aut nihil discrepat, e quibus ad latus cruris externum se spargunt, & huic defiguntur, ad tibiam imo & pedem nonnunquam propagandi: hinc colligitur fasciam latam, vel hunc latissimum processum aponeuroticum hasce partes peragrantem genuinam esse morbi sedem. Hic morbus, etsi pertinacissimus, & nonnunquam acerbissimus, febris utplurimum expers occurrit, ac periculo vacat. Ab annoso tamen, vel senescente, debilior fit pars affecta, hinc claudicationem post se trahit: nec raro crus marcescit & contrahitur. In nonnullis erumpit tumor in hac vel illa cruris parte, & pus, confitetur, quo scalpelli ope opportune evacuato, morbus præter expectationem sensim evanescit: dummodo tamen putredine minime inquinetur femoris conexio. Ischiadem promovere solent fluxus hæmorrhoidalis suppressio: huic obnoxii sunt melancholici, ærumnosi, amoris æstu perciti, ac severioribus meditationibus intenti; non secus ac scorbutici, arthritici, calculosi, &c. A causa demum externa & fugaci nonnunquam contrahitur; a frigore nempe, dum pars æstuabat, suscepto, ab immersione in aquam frigidam, a nisu violento, contusione, &c.

Curandi methodus, rheumatismo & arthritidi dicata, etiam adhiberi solet, servatis servandis, adversus ischiadem. Ideo nonnullis confert saphenæ sectio; eumdem effectum præstare valent hirudines podici admotæ: sed nil magis proficuum censeri debet quam largus diluentium, demulcentium & temperantium potus. Quibus præmissis, nonnunquam opitulantur diaphoretica; etsi inter horum actionem sæpius recrudescunt dolores. Interea alvus servanda est libera, tum laxantium, tum enematum emollientium beneficio. Caute præscribi debent hypnotica quæ inducias impetrando morbi pertinaciam augent. Opportune præscribuntur, procedente morbo, pilulæ saponaceæ vulgatiores, vel *Starkei*; flores sulphuris cum lacte, & spiritus terebinthinæ cum melle, quæ omnia sub hocce casu inter præstantiora resolventia interna numerantur. Insuper pars affecta probe contra frigus muniatur, nec quieti tradatur, quemcumque dolorem inter illam movendam experiantur ægri. Suum etiam symbolum conferunt remedia externa; frictus nempe cum panno laneo calido; linimenta emollientia, resolventia & anodyna omnibus notissima; cataplasma e radice bryoniæ & oleo lini paratum, suffitus resolventes, balneum vaporis, irrigationes ab alto cum aquis thermalibus, &c. Plures postremo fausto bearunt eventu vesicatoria, & series septem vel octo cucurbitularum; aut setaceum per cutem inferioris femoris trajectum: nec despiciendum ipsummet cauterium actuale, ferro candente, vel moxæ conflagratione inustum, a Veteribus haud immerito deprædicatum, ab ipsomet Boerhaavio plurimum decantatum, non secus ac ab omnibus fere recentioribus plus æquo meticulo-

losis; quod sane cæteris quibuscumque remediis palmam forte præripit.

(10) Vix inter morbos numeratur hic molestus & *spasticus*, sed fugax, *crurum stupor*, qui vernacule dicitur (*la crampe*) cujus genuina indoles in obscuris latet. Tam vehemens sub hoc statu nonnunquam exsurgit dolor, ut huic diutius ferendo impares essent ægri. Nunc spasmi, nunc stuporis participem esse hanc molestam sensationem quæ decumbentes, & in pravo situ sedentes afficit, conjicere licet: mere spasmodicam esse noctu in lecto invadentem asserere minime dubitamus; sub altero casu a sola nervorum compressione ob pravum situm suboriri evidens est; hinc torporis naturam redolet, etsi vehementi dolore stipatur. Primæ speciei medentur fricti & deambulatio; alteri occurritur sola situs mutatione. Sed distinguendus est hic crurum torpor spasticus, a *dolore* illo *acutissimo*, & fugaci, suras præsertim invadente, quem, inter peculiarem artuum extensionem, patiuntur lecto decumbentes, quæ forte ad *distorsionem* proxime accedit, cum a levi musculorum tendinumve e sua sede depulsione pendere videatur, cui obviam itur admotam manum juxta musculorum longitudinem blande movendo, quæ operatio ab ægris peragenda, anatomia instructis celerius absolvitur.

(11) *Infortunia a venæ sectione*, ad quæ devenimus, circa *arteriæ*, *aponeuroseos*, *tendinis* & *nervi* sauciationem versantur, quæ graviora, uti neminem latet, post se trahit symptomata. Alii præterea occurrunt affectus qui etiam a secta vena suboriuntur; *ecchymosis* nempe, *thrombus* & *tumores lymphatici*, a quibus exordium capiemus. Sanguis contextum cutis cellulosum subiens *ecchymosim* præbet; qui latex, si tumorem concitet, *thrombum* gignit; ab eadem ferme causa promoventur *tumores lymphatici*. Haud periculo vacat quæcumque stasis sanguinis intra contextum partium, cum ad phlogosim haud raro vergat, quam excipit purulentia, ac nonnunquam gangræna. Nil vero pertimescendum a tumore lymphatico, qui plerumque sponte evanescit. Resolventibus spirituosis plerumque cedunt prædicti alterutrius sortis tumores, hinc fauste admoveri solent splenia aqua vitæ, vulneraria, Hungariæ, &c. imbuta: suam etiam opem præstat sal contusum & sacculo madido inclusum, ut sileamus de innumeris aliis topicis, quæ pro curantium lubitu seligi queunt; quibus tamen supersedere expedit, ubi quædam se sistunt purulentiæ indicia; sub quibus conditionibus proficue adhibentur emplastrum diachylon, unguentum fuscum, &c. Si demum pars livorem contrahat & quemdam gangrænæ metum incutiat, ad scarificationes nulla mora devenire expedit. Reliquum vero curæ proba digestivorum & antisepticorum vulgatiorum, sub forma fotus vel cataplasmatis, administratione absolvendum.

De *secta arteria inter phlebotomiam* haud dubitandum, si sanguis cum impetu & subsultim prosiliat; sed ægre innotescit, nullo erumpente cruore, unius vel alterius arteriæ involucri vulnus, e quo prodit aliquanto post *aneurisma*, de quo alibi; quod prævertere solent Chirurgi parti læsæ admovendo globulum papyri masticati, debita fasciatione cohibitum, vel quamvis aliam compressionem adhibendo. Ubi vero secta est arteria, haud cohibendus est sanguis libere fluens; imo cæteris consentientibus mittendus est ad animi deliquium; postea methodo supra tradita comprimenda est arteria. Si vero ægre fluens cruor partium ambientium contextum subeat, illico sisti debet simili adhibita pressione: quibus absolutis, vena alterius brachii statim tundenda. Facile uno verbo deflectitur imminens aneurismatis periculum, si Chirurgus mente constet, cum neminem ferme lateat quid opus sit facto in hoc præcipiti medelæ tempore.

Haud minus ominosa censetur *punctura aponeuroseos* vel *tendinis*, quæ se prodit a quodam renixu, quem inter venæ sectionem experiuntur Chirurgi, & dolore acutissimo, qui plerumque hanc infaustam vulnerationem presso pede sequitur. Nonnulli tamen haud nisi paucis elapsis horis de hoc dolore conqueruntur, qui per totum brachium usque ad axillas vulgo propagatur. Interea exsurgit e parte læsa intu-

intumescentia phlogodea molestissima, rigore & febre stipata, ac nonnunquam convulsiones, aliaque sæviora symptomata promovens. Ad purulentiam vergit hic phlogodeus humorum decubitus, absceſſus, & ulcus inde prodeuntia nil præter pus sanioſum vel ichoroſum præbent: fœdissimamque putredinen brevi contrahunt: nec raro imminet gangræna quæ medentibus grave faceſſit negotium, ægrumque in vitæ discrimen trahit.

Numeroſis venæ sectionibus haud incunctanter celebratis auſpicari debet *curatio*, inter quas larga manu propinanda veniunt diluentia, demulcentia & anodyna, toties decantata: sed præcipuus medelæ cardo in congrua topicorum administratione versatur. Primo scilicet, & nulla mora, priuſquam nimirum tumeat pars læsa, admoveantur topica reſolventia, inter quæ uſitatiora audiunt oxycratum, albumen ovi, bolus armena, &c. Parte vero jam protuberante, alia eſt ineunda medendi via, nimirum adhibentur fotus & cataplasmata emollientia, reſolventia & anodyna: ubi vero annotantur purulentiæ indicia, in uſum trahi debent cataplasmata e lacte & mica panis confecta, e radicibus liliorum parata, &c. Sed quantocyus aperiri debet abſceſſus, ne diutius quam par eſt ſtagnans tabum viciniora lædat. Inſuper inter exquisitiora topica *adverſus tendinis* vel *aponeuroſeos ſauciationem* phlebotomo factam recenſentur balſamum peruvianum, terebinthina, ſpiritus vini, balſamum Fioraventi, aqua Reginæ Hungariæ, aliaque conſimilia, quorum nonnullæ guttæ in primum & alterum vulnus inſtillantur. Varia demum digeſtiva & exſiccantia; unguentum nempe fuſcum, diapompholygos, de ceruſa, &c. inter hanc medelam opportune pro re nata adhiberi queunt.

Supereſt ut de *nervi punctura*, nil plerumque mali portendente, breviter agamus. Hoc periculum incurrit ſurculus nerveus cutaneus, quem comitem habet vena brachii magis conſpicua, dextra lævaque, ſupra vel infra, ſitum; adeo ut de illo aufugiendo nulla tradi poſſit norma, & fortuito phlebotomi cuſpidi ſe objiciat. Nil metuendum, ſi tranſverſim ſecetur hæc exilis & cutanea nervorum brachialium propago, leviſſimumque, ſi quemdam torporem excipias, emergit incommodum: ſed aliter ſe res habet a vulnerato hocce funiculo: dolores enim hinc exſurgunt, qui ad carpum vel extremum digitum auricularem propagantur, & nonnunquam ita ſæviunt, ut totum brachium intumeſcat, febris incandeſcat, aliaque exordiantur graviora ſymptomata, quæ integra nervi ſectione brevi compeſcantur: quam breviſſimam medendi methodum norunt ſolertiores Chirurgi. Alias partem læſam oleo amygdalarum dulcium, vel lumbricorum, inter frictum, inungere ſolent. Alii aquam vitæ, balſamum Commendatoris, Fioraventi, alterumve topicum ſpirituoſum admovent: ſed, ut verum fatear, pleroſque fugit genuina morbi cauſa.

(12) Suboritur *pedis diſtorſio*, (vernacule *entorſe*,) a violenta tendinum vel ligamentorum diſtractione vel elongatione, quæ tanto quandoque fit impetu, ut quamdam dilacerationem patiantur involucra membranacea, & a ſitu dimoveantur tum tendines, tum ipſamet oſſa, quæ poſtrema ſpontaneo ligamentorum niſu in priſtinam ſedem reſtitui ſolent; alias emergit mera luxatio, de qua infra. Sed huc coincidit *oſſis ſeſamoidei* pollicis pedis *luxatio*, ab eadem cauſa contracta, quæ atrociora nonnunquam promovet ſymptomata, raro abſque pollicis amputatione ſedanda. Immanem dolorem comitem habet pedis diſtorſio, quem brevi ſequitur intumeſcentia phlogodea tarſum circumambiens, quæ impedit quominus tactu deprehendatur genuina morbi cauſa. Ad purulentiam nonnunquam venit hic humorum decubitus, ni opportune ipſi occurratur: ex eodem fonte prodit ulcus fiſtuloſum, ob manantem ſynoviam pertinaciſſimum, ligamentorumque putredinem, oſſium cariem, vel ankyloſim, febrem lentam & maraſmum poſt ſe trahens. Vulgatiſſimam *ſedem* habet diſtorſio in connexione pedis; ſed haud immunes cenſeri debent carpus & cubitus. Non ſolum a lapſu ab alto vel ictu, ſed etiam a pravo quodam ſitu inter ambulandum

dum vel ſaltandum promovetur vulgatiſſima diſtorſio.

Nulla mora, vel priuſquam ingruat intumeſcentia, immergi debet *pars affecta in aquam frigidam*: nix vero, glacies, albumen ovi, oxycratum, ſuccus limonum, alumen, aliaque *repercutientia* parem opem puæſtare queunt; ſed ipſis jure præfertur euporiſtum, ubique obvium. Hæc tamen ſingula tempeſtive admoveri debent, ne noxia evadant, & morbum contumaciorem reddant: elapſo quidem opportuno tempore, vel vigente inflammatione, in uſum vocanda veniunt roborantia & reſolventia, roſæ nempe rubræ in vino generoſo coctæ; vel vinum rubrum ſimpliciſſimum; aqua ſale culinari ſaturata; decoctum aqueum florum ſambuci, foliorum abſinthii, vel baccarum juniperi; aqua vitæ cum balſamo peruviano immixta, ſpiritus vini camphoratus, &c. quandoque etiam pro re nata adhibere licet emollientia, digeſtiva & anodyna, &c. Sed ſæpius accidit ut pertinacior intumeſcentia hiſce remediis haud morem gerat; tum ad irrigationem ab alto cum aquis Plumberianis, Vicienſibus, Vervonenſibus, Baregienſibus, aliiſque thermalibus devenire expedit. Sunt qui ſub hac rerum conditione partem affectam in ventrem bovis recens mactati, haud infelici ſucceſſu, immittunt; quod pluries iterari debet. De venæ ſectione, laxantibus temperantibus, aliiſque remediis generalibus, quæ pro variis circumſtantiis, ſub hoc caſu adhiberi queunt, nil addimus.

(13) *Sudor pedum*, præter fœtorem, omnibus ſane inviſum, nullum incommodum parit; quo fit ut ſola munditie huic ſit proſpiciendum: nec citra periculum imminuatur hæc aſſueta corporis conditio. Hinc væ illis qui ſe curandos tradunt quibuſdam ineptis & Balatronibus, qui *adſtringentibus topicis* hanc ſaluberrimam excretionem ſufflaminare tentant, immerſione ſcilicet pedum in decoctum adſtringens vel aluminoſum, aut partem inſpergendo pulvere quocumque abſorbente vel ſtyptico: e quorum *præpoſtera adminiſtratione* innumeri prodire queunt graviores morbi, vertigines ſcilicet labem cerebri minantes, ſuffocatio, tuſſis, cardialgia, viſcerum infarctus, dolores tum interni, tum externi, &c. quibus nonnullos ægros in vitæ diſcrimine verſari, neminem ferme clinicum fugit. Quod præſens periculum avertitur, ſi eo collimetur ut conſueta excretio incunctanter revocetur, & in integrum reſtituatur. Hanc opem ferunt pediluvia calida, vapor aquæ ferventis, ſuffitus, &c. Quibus nil proficientibus, ad ſinapiſmos & veſicatoria confugere expedit, ut de venæ ſectionibus, catharticis, aliiſque evacuantibus, pro re nata uſurpari ſolitis, ſileamus.

MORBI OSSIUM.

(1) DE *luxationibus* & *fracturis*, atque *oſſium diſtorſionibus*, breviter ſane & quaſi per tranſennam agemus, ne falcem noſtram in alienam meſſem immittere videamur. Quomodo a ſitu dimoveantur vel frangantur oſſa nemini haud obvium; nec latet Anatomicos quid ſub utroque caſu opus ſit factu. Rariſſime occurrunt capitis vertebrarum, & coccygis *luxationes*: ſed frequentius a genuina ſede recedunt maxilla inferior, claviculæ, humerus, radius & cubitus, carpus & tarſus, &c. Ab ictu, caſu ab alto, niſu violento vel convulſionum impetu, abduci vel frangi queunt oſſa; ſed aliis cauſis ſubmittuntur luxationes, relaxationi ſcilicet ligamentorum, majori ſynoviæ proventui in foveam articularem, oſſium intumeſcentiæ, &c. Facile reſtituuntur oſſa a quavis cauſa externa dimota: ſed ægre reponuntur, difficiliuſque continentur, ſi incuſetur quoddam vitium organicum, præſertim ſub cachexia ſcorbutica & paralyſi. *Coxa e ſuo acetabulo depulſa* nulla fere arte ad ſedem dirigi, inibique retineri poteſt: ſed rarius quam vulgo fertur occurrit hæc luxatio: frequentiores vero & curatu etiam difficillimæ cenſeri debent cervicis coxæ fractura, & epiphyſeos ab ejuſdem oſſis capite divulſio, quæ ſemper ab imperitis Chirurgis pro luxatione habentur, ut pluries pro comperto habui inter *ſecanda cadavera*. Grave faceſſit negotium tarſus

e ſede depulſus : luxatio denique vertebrarum pro lethali habetur. Singulis patent oſſium diſtorſiones, tibias præſertim reſpicientes, quæ diverſimode incurvantur & inflectuntur ; vel a naturali ſitu recedunt ; quod vitium præſidiis mere mechanicis ſubmittitur : notum eſt hoc deturpatos *compernes* vocitari ; alias valgos, varos, &c.

Eo collimandum non ſolum ut oſſa luxata & fracta ad genuinam vel priſtinam ſedem dirigantur, ſed etiam ut inibi detineantur : ut ſcilicet diſtracta ligamenta nativam ſub luxatione firmitatem adipiſcantur, vel commiſſi oſſium fines in fractura, accedente callo, coeant : hoc eſt præcipuum & difficilius *curationis momentum*. Inſuper proſpiciendum contuſioni, vulneri, phlogoſi, doloribus & gangrænæ, non ſecus ac febri, convulſionibus, &c. quæ luxationes & fracturas concomitari ſolent. Ad priſtinam ſedem depulſa oſſa congrua faſcitione coerceri debent : a laxiori enim deligatione alterius lapſus impendet periculum : ſi arctius quam par eſt conſtringatur pars læſa, imminet infarctus œdematoſus vel phlogodeus ; imo & gangræna alterutrum excipere poteſt. Nonnullam opem conferunt ſub utroque caſu topica adſtringentia & roborantia : ſed oſſium coaleſcentia, vel agglutinatio, ſolis naturæ viribus perficitur ; & ideo hoc unum duntaxat Chirurgis incumbit munus, ut ſcilicet laqueis caute injectis, alteram partium dimotionem præpediant, donec firmiora ligamenta vel agglutinata oſſa, ab omni recidivæ metu vindicent : ſcire enim expedit quod brevi reſtituuntur minorum oſſium ligamenta : ſed tardius priſtinum ſtatum recuperant ligamenta oſſium craſſiorum : ac pari ferme ratione intra quindecim circiter dies coaleſcunt minora oſſa ; dum craſſiorum ferruminatio haud ante quadrageſimum diem, imo & tardius abſolvitur.

(2) *Ankyloſis* audit hic oſſium invicem occurrentium coalitus, quo motu plane orbantur. Ubi vero quemdam motum vel obſcurum ſervant artus, ſola ligamentorum exareſcentia vel rigiditas inculari debet, perperamque ad ankyloſim refertur hic ſtatus : quapropter expedit ut rite diſtinguatur uterque affectus, quem promovere ſolent contuſiones, luxationes, fracturæ & diſtorſiones. Hunc etiam pariunt oſſium intumeſcentia, vel caries, puris ſtagnatio, ligamentorum labes, ſynoviæ defectus, vel morboſa conditio, &c. Ad ankyloſim proni cenſentur ſcorbutici, quorum præſertim artus quemdam inter motionem ſtrepitum edunt ; non ſecus ac ſcrophuloſi, ſyphilitici & arthritici. Si a ligamentorum vel ſynoviæ labe, alterove connexionum vitio ortum trahat affectus articularis, ægre expugnari patitur ; curationis tamen ſpes eluceſcit : ubi vero abſoluta ferruminatione coaleſcunt oſſa, nulla patet medendi via : ſed in ancipiti ſæpius verſatur genuina hujuſce morbi indoles.

Quamdam ligamentis rigidioribus flexilitatem conciliare valent *emollientia*, fotus nempe & cataplaſmata hiſce viribus pollentia & vulgatiora, linimenta e medullis & axungiis parata, balnea cujuſvis ſortis, irrigationes ab alto cum aquis thermalibus, vel aqua ſale marino aut ammoniaco imprægnata, &c. quæ ſane egregiam opem præſtant ſub ſpuria ankyloſi : ſed incaſſum hæc omnia adhibentur topica adverſus jam adultam oſſium ferruminationem. De incipiente vero haud plane deſperandum ; ſub qua inunctionum mercurialium, emplaſtrorum de Vigo, de ſapone, diabotani, &c. vires explorare nil vetat. Si vero irrita fuerint hæc tentamina, nil ſupereſt præter amputationem ; ſed paucis arridet hæc medendi ratio, cum remedium ipſomet morbo deterius videatur. Ankyloſim poſtremo tum legitimam, tum ſpuriam, imminentem prævertere valet cauta & diuturna partis motio, qua non ſolum impeditur oſſium coalitus, ſed etiam lævigantur aſperi horum fines, & ligamentorum areſcentiæ proſpicitur.

(3) *Exoſtoſis* vocitatur quævis oſſium protuberantia morboſa, diverſo denſitatis gradu ; exoſtoſes enim familiariores duritiem oſſium ſanorum contrahunt ; aliæ vero molles & tactu cedentes obſervantur : *gummata* audiunt hæ poſtremæ a gangliis prima fronte vix diſcrepantes, quæ e cranio & craſſioribus oſſibus erumpen-

pentes, pro luis venereæ ſymptomate habentur. Alia eſt ſpecies medium, ratione duritiei, inter utrumque locum obtinens, quæ virus venerei etiam ſoboles *nodus* vocitatur. Sed inter exoſtoſes minime recenſeri debent tophi arthritici, calli prominentiæ poſt oſſium fractorum ferruminationem, nec oſſificationes tendinum ſub ſenio familiares. Quamdam oſſium majorum partem occupant exoſtoſes: ſed in minoribus integrum os afficitur & intumeſcit, uti crebro in manibus & pedibus annotatur. Præterea hæc tumoris ſpecies nunc eſt indolens, nunc doloribus, vel etiam febre lenta ſtipatur: quod diſcrimen a peculiari partis fabrica, vel a cauſæ internæ indole erui debet. Exoſtoſes enim aliæ ſunt benignæ, & nulla poſt ſe trahunt ſymptomata; aliæ vero malignæ audiunt; & a diatheſi cancroſa, ſcrophuloſa, ſcorbutica & ſyphilitica oriuntur; inter quas recenſeri debet ſpina ventoſa, de qua infra: nonnunquam ſunt variolarum reliquiæ; ut de exoſtoſi rhachitica ſileamus. Obſcura plerumque ſunt exoſtoſum rudimenta, & tarde fiunt harum progreſſus: haud deſunt tamen quæ intra exiguum temporis ſpatium in conſpectum veniunt, & brevi ſtupendum incrementum ſumunt: ſed recondita ſæpius & intricatiſſima eſt harum natura, quæ ſæpiſſime haud niſi ſectione cadaverum in propatulo ſe ſiſtit. Nonnullarum contextus, uti jam innuimus a nativa oſſium fabrica vix diſcrepat. Quædam cruſta, nuclei inſtar, denſiſſima & duriſſima obductæ ſe præbent: aliæ carioſæ recondunt ſubſtantiam mollem & carnoſam, materiam quamdam albugineam vel gelatinoſam, laticem purulentum ſincerum, ſed ſæpius ſanioſum & fœdiſſimum, &c.

Per totum vitæ curriculum geſtantur nonnullæ exoſtoſes: aliæ reſolutione *judicantur*, aut purulentia & carie conficiuntur. Si opportunis remediis cedat hæc protuberantia, nil *metuendum*; ſed ubi ſponte evaneſcit, res periculoſæ eſt aleæ. Tumoris involucra rubedinem phlogodeam contrahentia, doloreſque ſæviſſimi & profundi, purulentiæ notas præbent: ſub qua rerum conditione mollior cum nonnulla fluctuatione evadit exoſtoſis, & carie exeditur. Ab omni curatione abſtinere præſtat, ſi exoſtoſis congenita, vel a cauſa externa prognata, nullum pariat incommodum, nec partem conſpicuam fœdet. *Remediis* vero *ſpecificis* ſubmittitur a cauſa interna ſoboleſcens; quibus ſi indolens obſurdeſcat, naturæ etiam committi debet; alia tentanda eſt reſolutio *topicis* ad hunc uſum comparatis, emplaſtro nempe diabotano, de cicuta, de Vigo, &c. Egregiam ſub hoc ſcopo opem fert irrigatio ab alto cum aquis thermalibus, eodem tempore etiam propinandis. Hiſce auxiliis incaſſum adhibitis, ad artem Chirurgicam confugere licet, quæ in tumoris ſectione, vel cathæreticorum adminiſtratione verſatur: ſed periculo nuſquam vacare alterutram methodum experientia conſtat.

(4) *Caries*, vel ulcus oſſium, ſub duplici conſpectu ſe præbet: nunc ſcilicet *ſicca*, nunc *humida* occurrit; prima, quæ præſertim reſpicit oſſa detecta, vel perioſteo denudata, hinc aeris vel puris contactui ſubjecta, oſſis colore ſubflaveſcente, fuſco vel nigro innoteſcit, & tum pro quadam gangrænæ ſpecie haberi poteſt; cum, non ſecus ac carnes ſideratæ, ſpontaneo naturæ motu a ſanis diſſociantur; pari ratione, oſſium lamellæ, etſi nativum contextum præ ſe ferant, ab illæſo & ſubjacente corpore utplurimum disjunguntur. *Exfoliationis* nomine venit hæc ſeparatio, quæ brevi abſolvitur in pueris & juvenibus, tardiuſque procedit in ætate provecta: imo & quandoque evenit ut oſſa denudata hanc minime ſubeant. Nullis cancellis continetur exfoliatio, qua non ſolum lamellæ oſſeæ adimuntur, ſed etiam præcipua majorum oſſium pars e ſua ſede depellitur; quod ſæpiſſime obſervatur in tibia, cujus potior pars a binis extremis ſecedit. Hinc obvium fit exfoliationem, cariem duntaxat ſiccam reſpicere. Caries enim humida ab illa multum abludit; non ſolum enim genuini ulceris inſtar contextum oſſis edit, ſed etiam carnes fungoſas procreat, ſaniemque fœtidiſſimam præbet.

A *cauſa interna* nonnunquam ſoboleſcit *caries humida*, a labe ſcilicet venerea, ſcrophuloſa, &c. Hanc promovent medul-

læ

læ purulentia, exoſtoſis, &c. exemplo ſit *ſpina ventoſa*, de qua infra. Inter *cauſas externas* utriuſque ſpeciei numerantur contuſiones, fracturæ, aneuriſmata, variique alii tumores; ſed frequentius ſuboritur ab ulcere mali moris. Os hac labe contaminari conjicere licet, ſi ſanie oleoſa, ſubnigricante & ſordida madeant ulcera; ſi ex oſſe erumpant carnes fungoſæ, pallidæ & indolentes. Hanc produnt aſperitates ſtylo, vel explorante digito, detegendæ. Ubi vero econtra ſuccreſcentes carnes, denſæ, granuloſæ & ſenſu præditæ obſervantur, de læſo oſſe nulla movetur ſuſpicio: hoc præcipue minantur infortunium ulcera oris, narium, commiſſuræ palpebrarum & artuum. Opportunis remediis facile cedit caries recens; ſed vix curationem admittit annoſa: haud periculi expers cenſetur a cauſa externa ſoboleſcens; ſed internam agnoſcens, majorem jure terrorem incutit.

Sub *carie ſicca*, ſpontanea naturæ vi plerumque peragitur exfoliatio: alias in ſubſidium venit *ars Chirurgica*, qua ſcilicet, inſtrumentis ad hoc opus comparatis, quidquid carie tactum everritur: nec minus congruit hæc *medendi ratio cariei humidæ*; atque ſub eo præcipue collimandum, ut ab ſtagnante ſanie haud ulterius confodiantur oſſa; quod frequentiori ulceris abſterſione facile præcavetur. Varia inſuper admoventur medicamina, tam ad promovendam exfoliationem, quam ad cariem coercendam: leviori congruunt ſpiritus vini, aqua Reginæ Hungariæ, aliuſve liquor ſpirituoſus. Sed ſi profundior ſit caries, rite confoſſo, uti jam inculcavimus, vel deraſo oſſe, opportune adhibentur pulvis ariſtolochiæ, vel ireos florentinæ, myrrha & aloes, euphorbium, oleum cinnamomi, caryophyllorum & guaiaci, quæ ſcilicet non ſolum ulteriorem cariei progreſſum impediunt, ſed etiam exfoliationi favent. Alia ſunt *præſidia*, præſertim adverſus cariem humidam efficaciora, quæ pravæ carnium generationi officere, & quidquid labefactatum occurrit abſumere queunt. Id genus ſunt oleum camphoræ, ſpiritus nitri, aqua phagædenica, &c. quibus demum nil juvantibus, ad cauterium actuale, oſſe prius rite deraſo, confugere expedit. Sed minime reticendum, haud citra periculum admoveri ferrum candens cranio, ſterno, coſtis, aliiſque oſſibus ſpongioſis; nec minus reformidandum, ſi proxima occurrant ligamenta, tendines, nervi, &c. quorum ambuſtio periculoſiſſima evadit.

Neminem latet carnes optimæ notæ ex oſſis ſuperficie prodire, & pravæ ſortis eſſe ex ore ulceris erumpentes: quare ex accurato ulceris conſpectu dilucide patet quid ſit ſperandum, vel *metuendum* a quavis inchoata methodo: ſed nulla arte domari patitur caries quæ ulcus cancroſum concomitatur; ſub quo rerum ſtatu, omni curationis ſpe ablata, ad partis *amputationem*, quaſi ad ſacram anchoram confugere expedit. Nec deſunt aliæ caries a ſanguinis & humorum labe prognatæ, quæ illud extremum remedium etiam efflagitant; ni fovens cauſa ſpecificis præſidiis eradicetur: crebro enim ſe objiciunt ulcera carie ſtipata, quæ a viru venereo, ſcorbutico, ſcrophuloſo, &c. ſuboriuntur, & ideo ſua duntaxat methodo ſubigi queunt, incidentium ſcilicet, mercurialium, antimonialium, ſudorificorum, antiſcorbuticorum uſum reſpiciente. Alias inertia eſſe cætera præſidia; nec profuturam ipſammet partis amputationem nemini haud obvium.

(5) Ad *Spinam ventoſam* devenimus, quæ pro genuino oſſis cancro, a lue venerea utplurimum oriundo, nonnulli habent. *Innoteſcit* hic dirus morbus protuberantia quadam, prope oſſium connexionem ſita; dolore acutiſſimo, tactu exacerbando ſtipata; etſi cutis ſub primis temporibus a nativo colore minime recedat. Hoc morbo procedente in conſenſum trahuntur & tument circumambientes partes; atque hæcce prominentia flatulenta appareret. Sub hac rerum conditione, dolor in anguſtiſſimo ſpatio, vel in quodam puncto coercetur, quaſi perioſteum ab ſpina pungeretur; unde nomen latino-barbarum ſortitur hic affectus. Cauſæ, uti jam innuimus, internæ ſubmiſſa ſpina ventoſa tantam ſævitiem exercet, ut hinc truculentiora ſæpius promoveantur ſymptomata, ni tempeſtive & incunctanter ipſi occurra-

ratur; quæ alias inter morbos *pertinaciores* recenſetur; imo & nonnunquam plane immedicabilis evadit. Oſſa pedum vel manuum ſpongioſa plerumque obſidet: rarius vero connexiones cubiti, genu, & maxillæ inferioris afficit. Nulli ætati parcit hic affectus; ſed pueros, juvenes, & præſertim rhachiticos, frequentius invadit: huic demum obnoxii jure cenſentur ſcrophuloſi, ſcorbutici, ſyphilitici, &c.

Ex arte chirurgica depromitur præcipua *ſpinæ ventoſæ curatio*: aperitur nempe tumor, ſectionem ad ipſummet os dirigendo; adeo ut in apricum veniat caries, ſolitis præſidiis impugnanda: dein vulnus vulgatiori medendi methodo ſubmittitur. Interea haud omittuntur *remedia interna*: proſunt nempe cathartica ſæpius repetita; proficue adhibentur mercurialia; egregiam opem præſtant antimonium, guaiacum, ſaſſafras, aliaque ſudorifica, incidentia & depurantia ſupra laudata. Corticis peruviani uſum, tum internum, ſummis laudibus extollit clar. DE HAEN, de praxi Medica bene meritus; de cujus remedii viribus nonnulli tamen dubitant. Fauſte nonnunquam adhibentur inunctiones, vel ſuffitus mercuriales; ac nonnullis arridet emplaſtrum de Vigo. Sed inter hæc præſidia interna vel externa inutilem ſæpius operam navant medentes; adeo ut unica in partis amputatione ſuperſit ſpes: quæ tamen operatio nuſquam fauſte ſuccedit, ſi ſanguis & humores a ſua natura deſciſcant; vel horum dyſcraſiæ haud prius proſpectum fuerit. De *oſſium mollitie*, morbo rariſſimo & intricatiſſimo, Arabibus noto, & forte ſcorbuti, vel luis venereæ ſobole, etſi utriuſque morbi ſpecificis minime cedit, nil addimus; cum alias in ejus curatione omnes hactenus cæcutierint. *Oſſium* poſtremo *ſtrepitum*, adverſus quem laudatur uſus medullæ oſſium pro alimento, inter ſymptomata ſcorbutica jure recenſendum, conſulto etiam prætermittimus.

SECTIO IV.

DE MORBIS CUTIS.

SUDORIS VITIA.

INtricatiſſima proſtat apud Auctores morborum cutaneorum hiſtoria; eo quod quiſque pro lubitu finxit nomina; & varii affectus ab invicem diſcrepantes ſub eodem titulo comprehenduntur; dum unus & idem morbus, ſub abſimili facie ſe præbens, variam ſortitur *nomenclaturam*: adeo ut exhinc emergat doctrina, quæ animum ſcientiæ avidum minime explet. Itaque miſſis quiſquiliis quibus ſcatent libri, ſelectiora duntaxat ex eodem fonte depromemus, facem præferente propria praxi. Ad morborum ſane cutaneorum claſſem pertinent icterus, paralyſis, vulnera, ambuſtiones, gangræna, aliæque nonnullæ ægritudines, quarum pro inſtituti ratione alibi meminimus. Quapropter ab omni repetita crambe alieni, illos duntaxat affectus cutaneos qui in traditis ordinibus nullum locum obtinent, ſub hac ſectione colligimus. Id genus ſunt *ſudoris vitia*, *morbus pedicularis*, *maculæ* & *exanthemata*, *herpes*, *ſcabies*, *impetigo* & *lepra*; de quibus ſigillatim, a ſudoris vitiis initio ducto, diſſerendum incumbit.

Sudor ab aeris æſtu vel corporis exercitatione erumpens, & a naturali norma minime deflectens, in morborum cenſum nequaquam venit. Sed haud levem incutit metum illius excretionis *ſubita ſuffla-mination*; cum hinc prodeant variæ defluxionum catarrhalium ſpecies, capiti & pectori incumbentes; cephalalgiæ nempe, vertigines & affectus comatoſi, coryza, odontalgia & angina, raucedines, tuſſes & ſuffocationes. Ab eadem cauſa ſuboriuntur febris, ſyncope, cardialgia; tormina inteſtinalia, laſſitudines ſpontaneæ, dolores rheumatici, inſultus arthritici, &c. Nec leviora impendent mala ab intercepto ſudore febrili: præter enim pri-

ma-

marii morbi pertinaciam, ingruunt phlogoſes internæ, cardialgiæ, lipothymiæ, convulſiones, &c. quæ in poſterum haud raro poſt ſe trahunt febrem lentam & hydropem. Ubi igitur in utroque caſu *intempeſtive cohibitus* fuit *ſudor*, nil non movendum ut *revocetur*; vel *alia promovenda* eſt *evacuatio*, quæ ſudoris vices explere valeat. Prima adimpletur indicatio opportuna cardiacorum, vel *ſudorificorum* adminiſtratione: hunc peroptatum effectum ſæpius præſtant hauſtus the & caffe, juſculum apprime calidum, &c. ſed cutis ſpiracula felicius referant calor lecti, *balnea calida* & ſudatoria, *corporis exercitatio*, &c. In alterum vero ſcopum adhibentur *venæ ſectiones*, *cathartica*, *diuretica*, aliaque cujuſvis ſortis evacuantia, quæ devium laticem e variis emunctoriis prolicere queunt.

Nil *metuendum* a ſudoribus fugacibus, vel qui intra naturæ limites continentur: haud aliam ſortiuntur indolem, qui inter difficilem digeſtionem noctu invadunt. At *ancipitis* ſunt *aleæ ſudores chronici*, præſertim ſub febre lenta: vires enim ſenſim exhauriunt, & latentis cujuſdam labis ſuſpicionem movent. Sudor inter febrem acutam, pro critico & ſalutari ſæpius habetur; nonnunquam tamen ſymptomaticus cenſeri debet; hic caute ſub hoc caſu vaticinandum. Neminem praxi edoctum latet febres intermittentes ſudore judicari, ſi ægri lecto ſe contineant; ſed ubi citius quam par eſt ſurrexerunt, vix madet cutis, vel plane occluduntur cutis ſpiracula; ſub qua conditione minime mirari ſubit, ſi morbus pertinacior evadat. Cæterum eo magis *pertimeſcendi* ſunt *ſudores*, quo magis a nativo ſtatu recedunt; ni tamen pateat evidens hujuſce phænomeni cauſa: varia enim proſtant exempla ſudorum luteorum & ſubviridium, cæruleorum & nigricantium, lacteorum & ſanguineorum, oleoſorum, gelatinoſorum, terreorum, &c. qui a peculiari & innoxia corporis conditione, vel a quodam latente morbo ſuam ducunt proſapiam. Idem eſto judicium de *ſudore frigido*, nunc a cauſa fugaci concitato, nunc inter exitialia ſymptomata, omnes fere ægritudines reſpicientia, numerando. De ſudore demum Anglico, ad febrium malignarum claſſem attinente, nil addimus.

Sudoris vitia a primario quodam morbo prognata ſupra traditis medendi ritibus ſubmittuntur; ſed *ſudor chronicus* peculiarem ſibi vindicat *curationem*, quæ verſatur circa demulcentia & temperantia; inter quæ uſitatiora audiunt lacticinia, cremores hordei & oryzæ, emulſiones vulgatiores, aqua ſucco limonum imprægnata, nitrum, arcanum duplicatum, pulvis temperans, &c. quæ omnia ſanguinis impetum retundere, ejuſque fervorem reprimere ſolent. Inſuper proficue adhibentur laxantia, quæ ſerum e parietibus tubi inteſtinalis eliciendo, ejus liberiorem ad cutem proventum præcavent. Eamdem, renes emungendo, opem præſtant diuretica; nec inefficacia ſunt alterius ſortis evacuantia. Ubi vero *ſudores periodice recurrentes* deliteſcentis febris intermittentis ſuſpicionem jure movent, opportune ſervatis ſervandis, in uſum vocantur cortex peruvianus, aliaque febrifuga. Præterea ægri haud diutius quam par eſt lecto affigantur, & levioribus ſtragulis cooperiantur, æſtuantem aerem fugiant, quieti ſe componant, ſeverioribus diætæ præceptis obtemperent, &c. Hæc de uberiori ſudoris proventu, vel pertinacitate dicta ſufficiant; his nonnulla de ſudore graveolente adjicere expedit.

Vulgatiſſimus eſt axillarum & pedum *fœtor*, *a ſudore*, ut neminem latet, proſapiam ducens: nec rara ſunt totius corporis ambitus tetra effluvia, quæ halitui ſimili ratione inquinato plerumque ſociantur. Sudorum graveolentia cui præſertim obnoxii ſunt rufi, nullius periculi eſt particeps, & curæ medicæ nuſquam ſubmitti debet. Porro, quidam ſub variolis, variiſque febribus, erumpunt ſudores fœtidi, clinicis notiſſimi, qui fauſtum pollicentur exitum. Sed ſecus ſe res habet erga teterrimum vel cadaveroſum odorem, quem ſpirant nonnulli ægri ad incitas redacti; ſub quo rerum ſtatu ad tibicines mittere licet. Saniori Medicinæ præcepta convellunt qui ad prædicti fœtoris chronici internam *medicationem* ſeſe accingunt; cum hæc graveolentia a nullo morbo procedens, ſola munditie impugnari debeat, lotionibus

bus nempe diurnis, balneis, crebra linteorum mutatione, &c. Cavendum præterea ne vino liberalius sumpto, calidiorum ciborum esu, &c. ingravescat hæc corporis conditio. Pessimo etiam incedunt consilio, uti supra notavimus, qui sudorem fœtidum coercere tentant lintea inspergendo pulvere aluminis, limatura ferri, aliove adstringente; cum haud citra præsens vitæ discrimen sufflaminari queat hæc salubris excretio; quod sane neminem vel rudem & inexpertum latet.

PHTHIRIASIS.

DE pediculis a pædore & squalore progenitis, indusia lanea gestantibus, egentibus & ærumnosis familiarissimis, hic non agitur; sed de morbo quodam peculiari rarissimo, qui nulli ordini parcens, ipsosmet Optimates etiam invadit. Fertur enim potentissimum, invictissimumque Philippum secundum, Hispaniarum, vel utriusque orbis regem, huicce spurcissimæ progeniei victas manus præbuisse. *Pediculi* sub hoc ægritudinis genere non solum stipato agmine cutem externam obsident, sed etiam sub *tegumentis*, & ipsomet pericranio, *latitant*; imo & utramque cranii tabulam, non secus ac meninges, perforantes ad cerebrum appellunt: quod stupendum phænomenum exhibuerunt *secta cadavera*. De pediculis aut vermiculis e diversis corporis locis exiturientibus, oculis nempe, naribus; cum sputo, urina & fæcibus; quibus misere torquentur & emaciantur ægri, etiam mentio subjicitur apud Auctores; sed de illis alibi. Feralem habet exitum hic morbus fœdissimus, de quo in præsentiarum, cum in obscuris hactenus latuerit genuinus curandi ritus. Nil tamen impedit quominus explorentur vires pulverum aloes, seminum staphisagriæ & cevadillæ, qui scilicet vulgatissimos pediculos ab spurcitie prognatos brevi fugant: sed inertia censeri debent hæc *præsidia* adversus pediculos intra corpus latitantes: sub qua rerum conditione, si quoddam sit remedium, id sane quærendum in mercurialibus, quæ cuncta permeando hostes illos infensissimos aggredi & evincere queunt: etenim haud legibus medicis cautum est inter hasce angustias, ne vela, servatis servandis, fortunæ committantur.

Alterius sunt naturæ *pediculi inguinales*, nostris ganeonibus sub nomine *morpions* apprime noti. Vulgo inter coitum traducuntur, qui alias a quovis contactu alterove modo contrahi queunt. Molestissimum pariunt pruritum hæc obscœna insecta, quæ ita cuti hærent & infiguntur, ut hinc avelli vix patiantur. In immensum propagantur pediculi inguinales, qui non solum utriusque sexus genitalia obsident, sed etiam in superciliis, axillis, cute capillitia, &c. nidulant: nullum tamen portendunt periculum, & facillime enecantur: hoc opus præstant sapo niger & cinis nicotianæ: sed cæteris topicis palmam sane præripit unguentum Neapolitanum, quo semel bisve admoto omnia quotquot sint, enecantur; imo & plane extinguitur illius fœdæ progeniei seminarium.

De quibusdam pediculis aut vermiculis, ut nil intactum relinquamus, mentio subjicitur apud Auctores, qui *cironum* titulo innotescunt. Sub epidermide latitant hæc animalcula, quæ tanta tenuitate gaudent, ut visum fere effugiant. Pueros & juvenes duntaxat respicit hic morbus, alias rarissimus, qui plerumque volam manuum plantamque pedum afficit; e quibus erumpunt pustulæ vesiculares & prurigino sæ, recondentes vermiculum qui acidula auferri potest. Sed danda est insuper opera ut delitescentes enecentur, vel nova præcaveatur progerminatio; quam opem ferunt topica amara, absinthium nempe, sub fotus vel cataplasmatis forma; tinctura myrrhæ & aloes, aliaque id genus: opportune etiam admoventur oleosa & sulphurea; at efficaciora censeri debent hydrargyrosa, unguentum nempe Neapolitanum, emplastrum de Vigo, &c. quæ altius penetrando, morbum radicitus extirpare valent.

CUTIS MACULÆ ET EFFLORESCENTIÆ.

(1) DE maculis purpureis febrilibus & scorbuticis supra actum fuit: itaque cæteras minoris momenti,

ſed per ſe exiſtentes, hoc capitulo comprehendemus. 1. Facies & cervix gravidarum maculis fuſcis & lividis nonnunquam defœdantur, quæ *ephelides* vocitantur, & poſt partum plerumque evaneſcunt; alias per totum vitæ curriculum geſtantur. 2. Notiſſimæ ſunt *lentigines* (*taches de rouſſeur*), faciei, cervici & manibus duntaxat inſidentes; quam ephelidis ſpeciem contumaciſſimam eſſe nemo neſcit. Variis coſmeticis impugnari ſolent utriuſque ſortis maculæ, lacte ſcilicet virginali, oleo tartari per deliquium, oleo myrrhæ, &c. ſed futilia plerumque ſunt hæc remedia. 3. *Maculæ hepaticæ* (*taches hepatiques*) a colore rubro-fuſco hepatis nomine ducto, cervicem, pectus & dorſum vulgo invadunt, nonnihil aſperæ & pruriginoſæ ad herpetem accedere videntur, & iiſdem ferme telis impugnari ſolent, ſed plerumque incaſſum, ni in ſubſidium veniant refrigerantia, depurantia, aliaque medicamina interna, de quibus infra. 4. His addere licet *nævos maternos* (*marques de naiſſance*,) qui macularum vel tuberculorum multiformium faciem præ ſe ferunt: ab utero ſortiri hæc ſtigmata vulgo perhibetur; qua enim, inquiunt, corporis parte ſe attrectarunt mulieres gravidæ, dum expetitæ cujuſdam rei imagine tentantur, in eadem embryonis parte ejuſmodi rei character ſuboritur & exprimitur; ad quas impreſſas notas delendas imparia eſſe quæcumque remedia nemo neſcit. 5. Huc etiam coincidit *ephelidis ſpecies ab inſolatione*, vel hic cutis color fuſcus (*le hale*,) a ſole contractus; qui recens inter vitam umbratilem facile evaneſcit; alias proficue uſurpantur ſuccus limonum, ſpiritus vini camphoratus, varii ſapones coſmetici, &c. ſed pertinaciter hæret hic color jam annoſus. De maculis ſcorbuticis, de quibus ſupra, nil addimus.

(2) Vix intelligitur quid ſibi velint Scriptores per *exanthemata*; utpote hoc nomine inſigniuntur, non ſolum maculæ cujuſcumque ſortis, ſed etiam variæ eruptiones prominentes & puſtuloſæ; phlyctænæ nimirum, purpura alba vel veſicularis, papulæ a ſudore, aliæque cutis efflorescentiæ, de quibus mox agemus. Uſus tamen invaluit apud ſolertiores ut exanthematum nomine veniant ſtigmata ſcorbutica, maculæ purpureæ febriles, aliæque eruptiones ſimplicibus maculis tantillum prominentiores, ſed affectibus puſtuloſis maculis magis depreſſæ, quæ præſertim per ſe minime exiſtunt, ſed a primario morbo ſuam ducunt proſapiam; quo fit ut nullam peculiarem medelam ſibi vindicent; ſed huicce nomenclaturæ, pro cujuſcumque arbitrio immutandæ, haud diutius inhærebimus, ut ad ſaniora vel minus futilia properemus.

(3) *Ecchymoſis*, vel ſugillatio, noſtratibus (*contuſion*, *meurtriſſure*,) audit hæc cutis macula, paululum prominens, ab ſtaſi ſanguinis intra tegumentorum contextum prognata, poſt caſum ab alto, ictum, aliamve contuſionem, punctura, diſtractionem, compreſſionem, vincula, &c. nec deſunt ecchymoſes a cauſa interna ſoboleſcentes, a quadam ſcilicet ſanguinis & humorum labe, vel a peculiari partium ſubjacentium infarctu. *Ecchymoſi a contuſione* familiariſſimæ præſertim inhærebimus: ſub qua primo rubet pars contuſa, dein colorem ſubcæruleum vel lividum contrahit: dolore & febre ſæpius ſtipatur ecchymoſis a contuſione; imo & nonnunquam ad ſuppuratum vergit, nec gangrænæ expers eſt. Notandum tamen haud ſemper cutem poſt contuſionem a nativo dolore recedere, cum ſuum effectum exerat in ſubjacentes partes: ſub qua conditione periculoſior evadit *contuſio*, ob imminentem ſcilicet puris confectionem, quæ ſæpius per menſem integrum deliteſcit. Nil præter aquam vitæ, aliudve quodcumque reſolvens, contuſioni leviori admovetur: hanc opem ſæpius præſtant aqua frigida, vel ſimpliciſſima; aut ſale culinari ſaturata, ex qua charta madens parti apponitur: vinum calidum, &c. ſed aliter ſe res habet ſub gravi, quæ febrem & phlogoſim poſt ſe trahit; quibus obvium itur nonnullis venæ ſectionibus. Interea intus adhibentur vulneraria & reſolventia; inter quæ uſitatiora audiunt ſuccus cerefolii vel urticæ, ſperma ceti, terebinthina, lapilli cancrorum fluviatilium, antimonium diaphoreticum, &c. Incunctanter etiam admoventur aqua

vitæ

vitæ ſincera, vel globulo martiali impræ-gnata, ſpiritus vini camphoratus cum ſa-le ammoniaco, aqua Reginæ Hungariæ, balſamum peruvianum in terebinthina ſo-lutum, ſtyrax, balſamum Commendato-ris, &c. Suas laudes merentur emplaſtrum de ſpermate ceti, cataplaſmata e radici-bus polygonati, conſolidæ majoris, chelidonii, bardanæ, tamni, &c. confecta: ſin vero pus colligatur, tralatitiæ metho-do ſubmittitur abſceſſus. Inter contuſio-num reliquias frequentius occurrunt ma-culæ atro-lividæ ſæpius contumaciſſimæ, ad quas delendas egregie conducit cata-plaſma e radice tamni confectum. Aliæ inſuper ecchymoſes, ab altera ſcilicet cau-ſa contractæ, ſimili ferme methodo per-tractari ſolent.

(4) Non infimum inter cutis efflore-ſcentias obtinent locum variæ *purpuræ*, ut inquiunt, *ſpecies;* alba nempe, rubra & urticata. *Alba* puſtulis miliaribus & veſi-cularibus innoteſcit; *rubra* papulis vel maculis purpureis ſe prodit: utraque mor-bus per ſe nonnunquam audit, nullaque febre ſtipatur: alias inter febrium mali-gnarum ſymptomata numeratur, quæ hinc a quibuſdam dicuntur miliares. Sed alte-rius ſortis eſt *purpura urticata*, apud non-nullos (*porcelaine*) vocitata, quam pro-dunt latiores, inſtar vibicum, & fugaces cutis prominentiæ, ardore & pruritu ſti-patæ, non ſecus ac evenit poſt urticatio-nem, vel plures culicum tinnulorum mor-ſus: per univerſam cutem ſubito exoriun-tur hæc depreſſa tubercula, quæ ſæpius promovet calor lecti; adeo ut brevi, ægris aſſurgentibus, evaneſcant, iterum pro-ditura: veluti primæ binæ ſpecies inter fe-brium malignarum ſymptomata recenſetur purpura urticata: alias febre haud omi-noſa ſtipatur, de qua mentionem ſubjecit Sydenhamus, ſub nomine febris eryſipe-laceæ; quod pace tanti viri incongruum judicamus: ſed in pleriſque febre plane caret hæc purpuræ ſpecies, poſt eſum aſtacorum, mytulorum, echinorum, can-crorum, aliorumque affinium, nonnun-quam erumpens; quæ tum periculi ex-pers, haud ultra triduum vel quatriduum vulgo protelatur; ni incaute hanc intem-peſtivis remediis aggrediantur.

(5) *Anonymæ* ſunt cæteræ *cutis erup-tiones* minoris momenti; ſi excipias *ſu-damina*, quæ ſudorem excipere, tum ab æſtu corporis ſani erumpentem, tum a febre concitatum; *puſtulas venereas* fa-ciem deturpantes, papulas ardentes ei-dem parti inſidentes: ſub *guttæ roſaceæ* nomine notas, &c. Nonnullæ vero febris expertes ſub latiſſimo & vernaculo nomi-ne *echauboulures*, quæ ſæpius a calore aeris & inſolatione ſuboriuntur, ſed etiam varias alias cauſas agnoſcunt. Si ab æſtu-ante ſanguine concitetur compar eruptio, faciem, pectus & brachia præſertim ob-ſidens, vix a ſudaminibus diſcrepans, apud Noſtrates (*ebullition*) audit: *fe-brem*, quam neſcio qua ratione ductus *morbilloſam* vocitavit Sydenhamus, ple-rumque comitem habet hic leviſſimus af-fectus cutaneus; qua ceſſante, evaneſcit. Juvenes & præſertim pueros invadere ſo-lent hæ *puſtuloſæ efflorescentiæ*, haud ul-tra biduum plerumque vigentes: cutem vix ſupereminent, quam ſquamoſam ſæ-pius relinquunt. Notare expedit quod *eſ-feræ* nomine intelligatur apud Arabes quævis puſtuloſa & anonyma eruptio. Periculo plane vacant prædictæ efflore-ſcentiæ, & eamdem ferme curam expo-ſtulant, quæ præmiſſis generalibus circa temperantia, depurantia & diaphoretica verſatur. Sed naturæ plerumque commit-titur horum leviſſimorum affectuum me-dela, ni tamen crebrius recurrentes, de latente quadam ſanguinis labe ſuſpicio-nem moveant: quid tum factu opus ſit, nemo non intelligit. De efflorescentiis a morſu veſparum, apum & culicum, ab urticatione, &c. nil addimus: nec de hac ſpecie, noſtratibus (*peau de poule*) quæ a ſuſcepto frigore ſubito con-trahitur, & brevi evaneſcit; ſub qua cu-tis, anſerinæ inſtar, exiguis granis fuga-cibus exaſperatur.

HERPES ET PRURITUS.

HErpes, Noſtratibus (*dartre*,) vo-citatur hæc puſtularum exiguarum & prurientium congeries, vel area diver-ſæ latitudinis nonnihil promineus, quæ faciei, manibus, cæteriſque corporis par-

tibus insidet. Hic est morbus qui licet primo intuitu videatur levissimus, curantium mentem torquet, tam in intellectu pathologico, quam in suscipienda curatione. Variæ occurunt *herpetis species*; quæ dilucidioris methodi gratia ad *quatuor* redigi queunt; ad *fugacem* scilicet, *farinosam*, *miliarem* & *serpiginosam*. *Herpes fugax* (*dartre volante*) omnium levissimus, cujus pustulæ raro coeuntes brevi in suppuratum abeunt & arescunt, faciem plerumque impetit; sponte judicatur, vel remediis simplicioribus fugatur. Secunda *herpetis species* vel *farinacea* (*dartre farineuse*) in hanc vel illam partem ingruens, ex innumeris papulis exiguissimis, vixque conspicuis exsurgit; e quibus coeuntibus emergunt maculæ rubrofuscæ, pulvere quodam subalbicante & squamoso interspersæ: parum alias discrepare videntur a sequenti specie, cujus crustulæ tanta sæpius siccitate gaudent, ut ad squamas furfuraceas proxime accedant.

Tertia species, vel *miliaris*, innumeras pustulas exiguas præbet, e quibus quasi congestis emergunt latiores areæ, in pectus, lumbos, inguina, scrotum, coxas, &c. se spargentes. Per contagium facillime propagatur, linteis scilicet, novaculis, poculis, &c. herpes miliaris, qui summam concitat pruriginem, atque scalptu laticem serosum, non secus ac scabies, fundit; qui humor in crustas herpetem deturpantes facessit. Pertinacissima hæc est herpetis species, quæ nonnunquam, uti videtur, sublata, incogitantes iterum invadit. Quarta species audit *serpigo*, a serpendo sic dicta; vel *herpes ferus & exedens*, Nostratibus (*dartre vive rongeante*:) cudit ulcuscula quæ sanie acerrima madent, qui latex in crustas humidas, sub materiæ furfuraceæ forma deciduas facessit. Variam sedem occupat, sed sæpius zonæ instar corpus cingit, & ideo hoc nomen sortitur. Immani pruritu stipatur serpigo, acremque doloris morsum concitat: ægre demum domari patitur, ejusque sanatio cicatricem, vel quamdam partis intumescentiam nulla arte solvendam post se trahit. Neminem fugit herpetes pertinaciores, vel mali moris, a labe sanguinis venerea, scorbutica vel scrophulosa foveri: sed plerosque latet consensus inter hepar & cutem, adeo ut raro eveniat sub gravioribus affectibus cutaneis, ut illæsum occurrat prædictum viscus; imo & lien sæpius labefactatus deprehenditur: hoc docet *autopsia anatomica*. Sponte, uti jam innuimus, vel simplicioribus remediis evanescit herpes fugax: ægre domatur farinaceus: sed pertinaciissimæ censeri debent cæteræ species. Herpes demum in infantibus, accedente adulta ætate, fugatur.

Ad hunc scopum dirigenda herpetis chronici cujuscumque indolis *curatio*, ut sanguinis dyscrasiæ prospiciatur: ideo præmissis generalibus, & recta composita victus ratione, opportune præscribuntur refrigerantia & demulcentia, lac nempe, ejusve serum, emulsiones, cremores hordei & oryzæ, &c. Hæc excipiunt depurantia, amara & sudorifica; fumaria scilicet, pimpinella, lapathum, nasturtium & carlina, jusculæ e caneris fluviatilibus, e viperis parata, antimonialia, &c. Nec posthabenda sunt aperientia & incidentia, si nil obstet; hisce viribus pollent aselli, martialia, & ipsamet mercurialia; quæ cuncta permeando organa, excretoria referant, & morbosos latices foras amandant. Sed hæc munia felicius absolvunt aquæ minerales, tum martiales & acidulæ, tum thermales, quæ quasvis humorum moleculas ad excretionem paratiores movent, & sæpius curationem claudunt. Nec omitti debent, dum hæc geruntur, cathartica sæpius repetita, quæ devios succos ad sentinam intestinalem proliciunt.

Insuper egregiam, cæteris consentientibus, opem præstant balnea: nec posthaberi debent cætera topica, etsi minoris efficaciæ: pruritus enim compescitur cremore lactis, butyro, oleo ovorum, butyro de cacao, cerato simpliciori, sale saturni in aqua plantaginis soluto, &c. Resolventium & detergentium vires obtinent aquæ Plumberianæ, Bellilucanæ, Vicienses, Baregienses, Granenses, Vervonenses, &c. Nec suis laudibus defraudanda aqua salsa, vel ipsamet marina. Præclarum effectum edunt pomata, cum præcipitato albo vel sulphure, & pulpa lapathi

thi parata. Nonnunquam conducunt exsiccantia ; atramentum nempe , pompholyx , album Rhasis, ceratum e lapide calaminari, &c. Cæteris forte præstat aqua Golardiana , vel pomatum saturni . Nec improspere demum adhibentur sub quibusdam circumstantiis, arsenicum , sublimatum corrosivum , aliaque cathæretica, cum quibus tamen caute mercari expedit. Si demum omnibus hisce præsidiis internis vel externis obsurdescat herpes ; cauterii , in opportuna parte inusti , efficaciam explorare nil vetat. Sed caute usurpari debent prædicta remedia ne ab intempestive repulso herpete varii vel graviores exsurgant morbi, quos sola quandoque herpetis insitio curare valet.

Reliquum est ut de morbo quodam cutaneo , prioribus cognato , *pruritu* scilicet simplici, breviter agamus, qui, etsi nulla se objicit labes conspicua , ad herpetem tamen proxime accedere videtur. Hujusce enim instar siccus utplurimum occurrit ; alias rore quodam madet : & erumpunt , ægris scalptui plus æquo indulgentibus , quædam pustulæ , numero sane minores quam in genuino herpete , sed laticem sanioſum etiam eructantes. Ad pruritum proni censentur macilenti , bilioſi , melancholici , & præsertim senes quiescentes ; qui hoc noctu diuque torquentur . Inter contumaciores morbos recensetur pruritus qui sub hoc conspectu herpeti minime cedit: imo & pro immedicabili habetur in senio confectis. Itaque haud recta in utroque morbo tenetur *curandi methodus* , ni prius accurata causæ foventis habeatur ratio: ideo huc coincidunt jam tradita præsidia interna, adversus herpetem adhiberi solita ; sed cæteris præstare videntur sub pruritu diluentia, refrigerantia & temperantia, quæ excipere queunt , si res exposulet, depurantia & sudorifica. Cæterum nil forte efficacius reperitur diuturno balneorum simpliciorum usu inter congruas corporis exercitationes. Suas etiam laudes merentur topica demulcentia , olea nempe, axungiæ , cerata , &c.

Notare expedit , priusquam manum e tabula amoveamus , nusquam sub hisce *affectibus pruriginosis* in usum vocanda esse topica cujuscumque sortis , ni prius opportunis auxiliis rite impugnata fuerit *morbi causa* , in sanguine vel humoribus delitescens ; qua posthabita , gravior a cohibita virus excretione impenderet morbus , præsertim sub jam senescente herpete : sed rite adhibitis remediis internis, tuto morbi sedem aggredi licet. A veri sane deflectunt tramite qui vulgi præjudiciis obcæcati nusquam citra ingens periculum sanari hosce annosos morbos cutaneos arbitrantur , cum experientia quotidiana contrarium arguat : ubique enim occurrunt homines hoc morbo vetustiori jam diu liberati , qui congruæ victus rationi indulgentes, vegetiori fruuntur valetudine. Verum quidem est quod maximum immineat *periculum* , si vetus herpes sponte evanescat, vel *intempestivis remediis* retrocedat ; sub qua rerum conditione , nil non movendum ut revocetur morbus, vel alia paretur sentina; qua devius latex exitum sibi parare queat: nec sub hoc discrimine omittenda cujusvis sortis evacuantia interna . Hæc sunt quæ supra traditis subnectere haud incongruum fore visum fuit.

SCABIES.

Pustulis summe prurientibus inter digitos, & circa carpum sitis, *innotescit* hic vulgatissimus affectus , *la Gale* , qui alias corporis ambitui minime parcit. Sed notandum occurrit faciem, variis herpetis speciebus sæpius deturpatam , scabiei plane immunem esse. Hunc morbum omnibus invisum , plebis colluviei familiarissimum , facillime propagari , non solum contactu , sed etiam linteis, vestibus , lecto, &c. nemo nescit. Ægre sæpius distinguitur sub primis temporibus ab hisce papulis anonymis, de quibus supra: sed immanis pustularum pruritus, & harum assignata sedes , quibus addere licet contagium , brevi hujusce morbi characterem produnt. *Scabies*, non secus ac herpes & pruritus , nunc *humida* , nunc *sicca* occurrit : prima minus pruriginosa uscuscula cudit pus sanioſum eructantia , e quo concreto emergit crusta in pulverem deciduum facessura ; sicca immani pruritu stipata , hinc molestissima , nullo latice maderet, ni

ni ſcalpentibus unguibus incideretur. Utraque cute coercetur, nec altius defigitur.

Scabies præter contagium quo late diſſeminatur, ab inculta munditie vel pædore, & ab ædibus humidis *contrahitur*. Hanc etiam accerſunt & fovent virus venereum & ſcorbuticum, febris quartana, hepatis labes, &c. Facile curatur recens ſcabies, præſertim humida & ſub juvenili ætate; ſed *pertinaciſſima* cenſetur inveterata, in primis inter ſenectutem. Brevi judicatur quæ a cauſa externa ſuam ſortitur originem; ſed vix expugnari ſe patitur ab humorum dyſcraſia prognata, quæ ſcilicet lepræ faciem haud raro induit. Si ſcabies pravæ notæ ſponte vel intempeſtivis remediis *retrocedat*, *periculoſæ* res eſt *aleæ*: hinc graviores emergunt morbi; febris nempe ominoſa, tuſſis indomabilis, ſuffocationes calamitoſæ, phthiſis, epilepſia, apoplexia, &c. Ad quæ infortunia præcavenda opportune adhibentur, *poſt* infauſtum *ſcabiei retroceſſum*, *venæ ſectiones* & *cathartica*: nec minorem opem conferunt diuretica, ſudorifica, aliaque evacuantia, quæ devium & virulentum laticem ad diverſa colluviaria amandando, ſanguinem repurgare valent. In uſum vocantur ſub eodem ſcopo balnea calida, referandis cutis meatibus apta. Suas laudes etiam merentur ſinapiſmi, veſicatoria, &c. Opportune demum intus exhibentur, ſub eodem rerum ſtatu, flores ſulphuris, mercurialia, cæteraque adverſus vigentem ſcabiem præſidia, quæ ſuperſunt recenſenda. Sed his omnibus longe præſtat induta cujuſvis ſcabioſi tunica.

Nemo neſcit *ſulphur*, intus & extus uſurpatum, tanquam *ſpecificum* jure decantari, & ex hoc parari vulgatiſſimum unguentum, quo, præmiſſis generalibus, bis per diem illinitur pars affecta. Raro ultra triduum vel quatriduum protelatur hujuſce unguenti uſus; nec alia plerumque, nulla fovente cauſa interna, opus eſt curatione. Sed ubi incuſatur quæcumque ſanguinis labes, ad aliam methodum ſe conferre expedit, quæ ſcilicet verſatur circa diuturnum temperantium, *depurantium* & aperientium uſum; inter quæ magis comprobata audiunt cichorium, borrago, pimpinella, lapathum, fumaria, lupulus, cancri fluviatiles, aſelli, &c. quæ excipere ſolent *diaphoretica*; inter quæ primatum ducunt juſcula viperarum. Nec omittenda, dum hæc geruntur, cathartica identidem repetita. Inſuper nonnullis congruunt *lacticinia*, quæ e temperantibus & depurantibus ſibi paria forte non habent. Quibus peractis ad ſulphur, tum per os aſſumptum, tum cuti admotum, devenire expedit. Huic ſane præcellunt mercurialia ſub viru venereo; alias ſpecifica vi defraudari videntur, ni nociva evadant. Curationem demum claudunt *aquæ thermales* juxta normam medicam epotæ, quæ ſæpius cæteris incaſſum adhibitis præſidiis, ægrorum vota explent.

Præter *unguentum officinale e ſulphure* & axungia confectum, & tanquam præſentiſſimum ſub hocce morbo remedium ſupra laudatum, alia pro re nata admoveri queunt medicamina, tum demulcentia, tum reſolventia, camphora nempe, ſal ſaturni, lithargyrus, ſapo niger, oleum ovorum vel papyri, oleum tartari per deliquium, nutritum, unguentum e pulpa radicis lapathi conflatum, Neapolitanum, &c. etenim a juvantibus & lædentibus ſæpius dirigenda eſt medela; & nil in morbo pertinaciſſimo omittendum eorum quæ curæ profutura videntur. Poſtremo minime reticendum præſentaneam, inter prædictorum remediorum uſum, opem conferre *balnea* domeſtica, vel ex aquis thermalibus parata, quæ poſtrema non ſolum vigentem ſcabiem fauſte impugnare queunt, ſed etiam fugato morbo proficua & neceſſaria cenſentur.

IMPETIGO.

Sic vocitatur hæc *fœda ſcabiei ſpecies*, quam gradu duntaxat intenſiori a legitima diſcrepare nonnulli autumant; quæ potius, ratione ferocioris indolis, ad lepram proxime accedere videtur. Numeroſiores erumpunt, ſub hoc affectu puſtulæ; hinc congeſtæ & confluentes, quæ acriter pruriunt, & ſanie fœtidiſſima madent, faceſſura in cruſtas ſquamoſas. Non intra digitos ſitæ obſervantur prædictæ puſtulæ, uti ſolemne eſt in genuina ſcabie; ſed in univerſam cutem diſſeminantur.

tur. Impetiginis characterem præsertim produnt tubercula mobilia, skirrhosa & indolentia, quæ faciem, legitima scabie, uti jam innuimus, immunem præcipue deturpant. Interea, procedente morbo, exsurgunt dolores late se spargentes, vel singulas corporis partes obsidentes: vocem raucam & inconditam, vel mœstam edunt ægri: dentes nigredine defœdantur, halitus fœtet & ossa passim tument, &c. E quibus patet quantum differt impetigo altiora penetrans a genuina scabie cute coercita. Minime sane mirum si *scabies leprosa* tantam labem inferat, utpote a viru venereo vel scorbutico prosapiam ducere videatur.

E præhabitis colligitur contumaciſſimam esse impetiginem; imo & plane indomabilem; ni congruis præsidiis emendetur prava sanguinis & humorum diathesis. In usum vocari solent omnia *remedia* supra tradita: at premissis premittendis, cæteris præstare videntur sudorifica & mercurialia, non secus ac antiscorbutica; prout luis venereæ emergit suspicio, vel scorbuti se prebent indicia. Nec, dum hæc peraguntur, posthabenda cathartica blandiora, identidem repetita. Insuper opportune exhibentur aquæ thermales & martiales, aliaque aperientia & diuretica; quorum efficacia in omnium ferme chronicorum curatione toties fuit explorata. Summe a quibusdam deprædicatur, nec immerito, diuturnus balnei maris usus; dummodo latens morbi causa congruis auxiliis prius præcidatur; & e vasis sanguineis excutiatur: ac demum, eadem cautela, cætera in usum vocari queunt topica.

LEPRA.

HÆc ægritudinis species antiquitus vulgatissima, quæ primo intuitu ex scorbuto, lue venerea, & scrophulis, quorum forte est particeps, constare videtur, vix nostra ætate innotescit: adeo ut nonnulli de ejus existentia plane dubitarint; hisce ducti rationibus, quod in hisce priscis temporibus lues venerea, tunc inaudita, pro lepra haberetur; & ideo hanc postremam meram esse syphilidem suis juris factam, vel a propria indole descisentem, rationi consentaneum ipsis visum fuit. Plures tamen hacce lue conflictatos nobis fors obtulit in locis maritimis, quo hanc profugisse videtur; pluraque ab expertis Medicis quorum curæ committebantur ægri didicimus: opera demum solertiorum Scriptorum, quos non latebat utriusque morbi discrimen, sedulo pervolvimus, ut aliquid certi de hac re traderemus. Itaque nil aliud esse videtur *fœdissimus* hicce *morbus* quam scabies crustacea & squamosa, per totum corporis habitum diffusa, vel scorbutica, ut inquiunt, ad ultimum gradum devecta: nec desunt qui hunc dirum affectum ad herpetes malignas referant. Utrique opinioni adversatur auptosia anatomica: qua patet viscera haud minorem, quam corporis habitus labem contraxisse.

Etsi hicce morbus in propatulum venit; raro tamen animadvertitur, priusquam se sistat horrenda cutis, partiumque subjacentium labes, nec nisi pluribus elapsis a primo exordio annis, huncce gradum assequi solet: antehac sub specie herpetis vel scabiei delitescit; quæ vitia cutanea sensim incrementum capessentia, nil mali primum portendere videntur; donec ad acmen perducta *cancri universi faciem* pre se ferant. Primam sævitiem exercet lepra in facie, manibus & pedibus: cutis tunc temporis est squamosa, maculis diversi coloris signata; pustulis siccis vel humidis exasperata; ulceribus sordidis exesa, crustis furfuraceis & squamosis obsita: nec sensu destituitur sub hoc primo stadio; quin potius prurigine vix lenienda afficitur: porro in dies fit crassior & asperior, subtumida & hiulca, callosa & quasi unguine oblinita, ac demum frigida & sensus expers; adeo ut illam pungere, incidere vel urere liceat, absque ægrotantium molestia: sed haud sic se habet, uti plerique cogitarunt, de partibus subjacentibus, musculis nempe, tendinibus & membranis, quæ acu altius adacta sensibiles deprehenduntur; quidquid in contrarium adducant Auctores, haud plagii insontes, qui scilicet traditis vetustis fabulis fidem inconsulto adhibuerunt.

Fa-

Facies, *vigente morbo*, colore livido vel plumbeo perfunditur; gutta, ut inquiunt, rosacea inficitur, vel erumpunt pustulæ fœdissimæ, quæ haud raro nucis juglandis molem assequuntur; præsertim in fronte, genis & mento: oculi fiunt torvi; nasus supra modum crescit: tument labia & invertuntur, lingua crassior & scabra vix in situ continetur: cæteræ oris partes variis prominentiis exasperantur: nec melius se habent larynx & glottis; unde vox rauca & clangosa, ac ejulatibus intercepta. Serius ocyus in tumorem attolluntur cubiti & genua, horumque motus impeditur. Crura œdematosa & varicosa ingravescunt: manus & pedes subtumidi & hiulci segnitie & torpore tenentur. Exsurgunt e variis partibus tumores in ulcera facessuri putrida, virulenta, phagedænica, vermibus nonnunquam scatentia; ac sæpius ad ipsamet ossa pertingentia, quæ exhinc carie læduntur. Leprosi odorem spargunt fœtidissimum, vel teterrimum, tam ex ore quam e corporis ambitu: plerique de pruriginosa libidine, qua tentigine quasi rumpitur penis, conqueruntur; quare minime mirum si quidam Auctores morbum de quo agimus, meram esse *satyriasim* autumarunt. Comæ demum & superciliorum defluvium; nasus, manus & pedes gangræna correpti & decidui, sunt totidem *symptomata letho finitima*. Sub hisce ærumnis, quacumque cura soluti ægrotantes animum despondent; mœrore confecti hominum congressus fugiunt; & sibimet invisi, alios vel parentes & familiares, odio quasi prosequuntur: donec febre hectica & marasmo consumpti, mortali vinculo aventes exsolvantur.

E præhabitis colligitur multum *discrepare genuinam lepram* ab *elephantiasi* partibus internis parcente, quæ scilicet sola crurum tegumenta invadere solet; nec profundius immergitur & raro ultra proserpit. Hanc tamen per totum corporis ambitum, excepta facie, semel observasse mihi contigit in viro nobili quadraginta annorum. Hic morbus *elephantiasis* nempe apud Ægyptios endemius, tædio potius quam dolore molestus, haud obest functionibus, & licet contumaciissimus periculo plerumque vacat: cutis hoc vitio tacta atro-livet & tumet, squamis obducitur & exasperatur, prurit & nonnunquam dolet; nedum sensu orbetur: procedente morbo prominent venæ varicosæ, exsurgunt tubercula, haud raro in ulcus facessura, aliæque se sistunt cutis læsiones cutaneæ, in lepra observari solitæ; sed multum remissiores.

Lepram per contagium propagari ultra omnem controversiæ aleam positum esse videtur; sed inopes & egenos, sordidos & squalore obsitos, plerumque invadit. *Ægre domatur ferina hæc lues*, etiam in prima periodo; licet viscera, uti conjicitur, intacta tum maneant, & sola corporis peripheria offendatur. Si nonnunquam accidat, ut secunda tempestate averruncari videatur, haud raro redeunte hyeme recrudescit. In altera periodo, ubi scilicet altas in viscera egit radices, omnem curam, si excipias palliativam, respuit. Nec minus *contumax*, licet minorem metum incutiat, *elephantiasis*, ad certum gradum devecta, quam etiam lautissimis minime parcere, experientia compertum habuimus. Etsi raræ sunt *cadaverum* hoc morbo denatorum historiæ: liquet tamen nullam esse partem internam a viru leproso immunem; excepto tamen corde, quod utplurimum illæsum deprehenditur. Cætera vero organa, tum pectoralia, tum abdominalia, arida & contracta infarcta vel phlogosi correpta, purulentia conspurcata, putredine & sphacelo absumpta, ulceribus erosa, &c. comperiuntur. Trachea in primis & bronchia corrugata, ulcerosa, tuberculis referta, aliove modo labefactata, se oculis visenda obtulerunt: ut nil addam de quibusdam ossium, cartilaginum & ligamentorum vitiis, haud semper ante obitum conspicuis.

Curandi methodus præcipue versatur, non secus ac ad luem veneream, circa incidentia & sudorifica, præmissis tamen generalibus, diluentibus nempe, demulcentibus, refrigerantibus, temperantibus & depurantibus: inter quæ serum lactis & ipsummet lac, cremores farinacei, jusculum pulli, carnis vitulinæ, testudinis, ranarum, &c. usitatiora sunt, nec minus con-

conferunt plantæ cichoraceæ & acidæ, lapathum & fumaria, naſturtium, cæteræque herbæ antiſcorbuticæ. Suam opem præſtant balnea domeſtica, quæ emollientibus internis manus auxiliatrices præbent. Horum ope, accedente congrua victus ratione, nec poſthabitis blandioribus catharticis, ut primis viis proſpiciatur, ad efficaciora patet aditus; inter quorum uſum eo collimandum cenſemus ut materia morboſa viſceribus impacta ſubigatur; & expedita foras elutrietur. In hunc duplicem ſcopum præcipi ſolent mercurialia, panacea nempe, aquila alba, æthiops mineralis, &c. ligna ſudorifica notiſſima, antimonium, viperæ, &c. quibus utendi ratio pro opportunitate & circumſtantiis dirigitur. Sulphur per os ſumptum, vel foris adhibitum per ſe, vel ſuffumigii forma, inter incidentia exquiſitiora, haud immerito a pluribus deprædicatur. Nil efficacius reperiri decocto ulmi, nonnulli, penes quos ſit fides, tradiderunt. Incidentium & ſudorificorum vires æmulari videntur aquæ thermales intus & extus uſurpatæ, quas pluries emolumento fuiſſe experientia conſtat. Nil demum omittitur e *topicis* ſcabiei & herpeti dicatis, quæ cæteris adminiculis obſecundare queunt: a recto enim deflectunt tramite qui hæc omnia remedia externa pro nihilo habent; cum ſolerti manu tractata haud inutilem ſæpius opem contulerint: alias haud citra periculum adhiberi credere par eſt. Aliud demum eſt præſidium, quod forte alia antecellit, nempe caſtratio; qua ſcilicet morbum plane eradicari fertur; dummodo tamen haud altiores egerit radices: quod nec rationi nec experientiæ adverſari videtur; cum nullum ſit dubium, annuente obſervatorum choro, quin caſtrati hoc morbo nuſquam corripiantur.

Ex eo quod *elephantiaſis* ad lepram accedere videtur, uſus invaluit ut iiſdem remediis, habita ratione gradus impugnetur; quapropter præmiſſis generalibus, refrigerantibus, nitroſis, depurantibus & antiſcorbuticis; in uſum internum trahuntur *ſulphur*, *mercurialia* & *ſudorifica*. Haud abſimili conſilio adhibentur linimenta & ſuffumigia ſulphurea vel mercurialia: inſuper uſurpantur vulneraria, detergentia, cæteraque *topica* ulcerum medelæ dicata. Sed non ſecus ac genuina lepra, ad omnia quæcumque remedia utplurimum ſurda elephantiaſis, licet viſu & tactu conſpicua, domari plane recuſat.

ERYSIPELAS.

NEmo neſcit hoc nomine inſigniri hunc tumorem phlogodeum, latum & depreſſum, dolore acri & æſtuoſo ſtipatum, atque colore rutilante præditum. *Variæ* occurrunt *eryſipelatis ſpecies* infra recenſendæ, quorum vulgatior & *legitima* a rigore & febre orditur; & non niſi poſt biduum, triduumve *ſe prodit* cutis inflammatio, cujus color cinnabarinus, vel roſeus & ſplendens, a premente digito ſubterfugit, ſtatim rediens ubi amovetur: e qua, non ſecus ac ſub ambuſtione, prodeunt puſtulæ veſiculares. Suam acmen brevi aſſequitur hic tumor, cujus ſtadium intra ſeptem circiter dies continetur; ultra quos cutis ſquamoſa evadit. Nulli parti parcit eryſipelas; ſed faciem & crura ſæpiſſime invadit; nec raro ex una parte ſerpit in alteram. *Zoſter* vocitatur, ſi cinguli inſtar corpus ambiat. Diverſa eſt, uti jam innuimus, eryſipelatis indoles: ſub mitiori, febris paucis elapſis diebus evaneſcit; etſi tumor ſua ſolita percurrit tempora; ſed ſub graviori diutius protelatur febris, & truculentiora emergunt ſymptomata. Febrem præterea putridam, malignam & peſtilentialem nonnunquam concomitatur; & circa quartum morbi diem, vel tardius erumpit, accedente euphoria: at ſub hac conditione longior fit ejus decurſus; nec raro in ſuppuratum abit, vel grangrænam poſt ſe trahit. Alterius ſunt ſortis, aliumque typum præ ſe ferunt defluxiones eryſipelaceæ, quæ ſponte vel vulgatioribus reſolventibus intra biduum vel triduum fugantur: nonnullæ tamen ejuſdem indolis, vulnera circumambientes; & œdematis ſæpius participes, ſegniores obſervantur: haud alterius etiam commatis eſſe videntur infarctus eryſipelacei crura hydropicorum infeſtantes; qui a genuini eryſipelatis ſtadio plane recedunt.

Alia occurrit eryſipelatis *ſpecies*, nempe

pe universalis, quæ pustulis pruriginosis, in squamas facessuris exasperatur; & *erysipelas pustulosum*, nostratibus *Eresipele boutonnæ*, apud quosdam Auctores audit; quod sæpius promovent vini, liquorumque ardentium liberalior usus. Sed alia annotatur species, cui hoc nomen rectius congrueret, & *rosalia* apud Auctores nuncupatur; sub cujus exordio erumpunt pustulæ, a morbillosis vix absimiles: sed illarum areolæ rubræ subtumidæ ampliantur, & invicem coeunt; adeo ut hinc emergat infarctus erysipelaceus totum corporis habitum occupans, qui ad nonum diem producitur, & squamas totum corpus obducentes post se relinquit. Ipsismet morbillis, pro quibus sæpius ab incautis habetur, periculosior censeri debet hic affectus, infantibus & juvenibus familiaris; qui apud nonnullos variolarum spuriarum nomen sibi vindicat: sed a plerisque tanquam anonyma eruptio pertractatur.

Corporis constitutio sanguinea, & præsertim biliosa, æstus aeris, immodicæ exercitationes, vigiliæ diutius protractæ, vehementiora animi pathemata, vinum meracius, cupediarum esus, &c. sunt totidem erysipelatis, cujuscumque indolis, *causæ*. Inter scorbuti symptomata etiam numeratur; sub qua conditione diutius protrahitur; & nonnunquam cruribus insidens in ulcus pertinacissimum facessit: nec rara se offerunt apud senes hujusce infortunii exempla. Erysipelas capitis & faciei eo *calamitosius* censetur, quo immanior est intumescentia. In ancipiti etiam versatur eventu, si in partes glandulosas & præsertim mammas irruat: nec minus portendit periculum Zoster. Neminem postermo fugit luctuosum esse erysipelatis retrocessum; cum symptomata hinc emergentia funeris metum nonnunquam incutiant.

A bene perspectis ætate, temperie & morbi gradu, *curandi judicium* dirigitur. Haud sane dubitare licet quin plurimum conferat venæ sectio; si ægri vires ferant, & cætera consentiant: sed ab hac plus æquo repetita, intro nonnunquam recurrit erysipelas, & fatum acceleratur. A recto deflectunt tramite qui a conspecto sanguine, ut inquiunt, inflammatorio, numerosas celebrandas fore sanguinis missiones inferunt: de tralatitio hoc errore sciolis familiarissimo, alibi satis superque actum fuit. Dein opportune præscribuntur diluentia & demulcentia; serum nempe lactis, aqua pulli, emulsiones, potus lacteo-aqueus, &c. diaphoretica in regionibus septentrionalibus summe commendata, noxia sub nostro cœlo evadunt; ni tamen erysipelatis recessus immineat periculum: nec salubriora censentur refrigerantia. Insuper præsentaneam, ineunte morbo, opem fert emeticum, si stomachus pravis sordibus scateat: cathartica vero haud tuto præcipiuntur, nisi sub morbi finem. Alvus tamen solita arte servanda est libera per totum morbi curriculum: urgentiori tamen succurrendum, si ob nidulantem in primis viis saburram graviora emergant symptomata, delirium nempe, affectus comatosus, &c. Postremo proficue sæpius in usum, trahuntur hypnotica; cum hisce remediis caute tamen mercandum, ne fallaces inducias impertiantur.

Quod *curam externam* spectat, varia pro lubitu admoventur resolventia; inter quæ usitatiora audiunt aqua florum sambuci, spiritus vini camphoratus, aqua calcis, &c. opportune adhibetur epithema Sydenhami ex aqua vitæ, theriaca & aromatis paratum. Aliud deprædicat Riverius e decocto scilicet salviæ & saponis veneti confectum: pluris demum habetur aqua Golardiana; ut alia innumera ab Auctoribus tradita missa faciamus. Sed angue pejus vitentur topica repercutientia, refrigerantia & narcotica: nec minus periculosæ censeri debent axungiæ, olea & mucagines, quæ ab imperitis sæpius usurpantur; cum ab horum præpostera administratione intus recedat erysipelas, vel gangræna corripiatur. Imo & topica cujuscumque indolis omitti debent, si erysipelas caput aut faciem occupet; ne materia morbosa ad cerebrum vel fauces, unde phrenitis & angina, pellatur. Ubi vero tardius quam par est progreditur hæc eruptio; si tempore incrementi subsideat; aut absoluto stadio minime evanescat; plura impendent infortunia, quibus prævertendis opportune præcipiuntur cardiaca & diaphoretica. Egregiam etiam opem con-

confert venæ sectio, si materia morbosa devia cerebrum impetat; vel quodvis calamitosum symptoma excitet. Sub hac rerum conditione cæteris forte præsidiis palmam præripiunt vesicatoria, cruribus vel dorso admota. Erysipelata demum crebro recurrentia præcaveri solent venæ sectionibus, catharticis blandioribus, temperantibus & aperientibus minoribus, depurantibus & antiscorbuticis. Fauste in eumdem scopum adhibentur lacticinia & aquæ minerales: nec posthabenda balnea tum domestica, tum a thermalibus parata; quibus prophylacticis morbi fomes eradicari solet.

RUBOR SCARLATINUS.

PRoxime ad erysipelas universale accedit rubor scarlatinus, totum corporis ambitum subtumidum colore cinnabarino inficiens, cum eo tamen discrimine ut nullis papulis exasperetur morbus, de quo in præsentiarum. Hanc eruptionem *præeunt* rigor & *febris*, dolor capitis & oculorum; illacrymatio cum conjunctivæ rubore & palpebrarum gravitate; angina spuria, tussis, spirandi difficultas, anxietates, &c. quæ vigent donec circa quartum morbi diem facies rubore perfundatur, & paulo post truncus & artus pari modo afficiantur. Exanthemata seorsim erumpentia brevi expanduntur & in unum coeunt, quæ septimo a prima invasione die evanescere solent, cute remanente nonnihil aspera & squamosa, vel furfuracea; adeo ut non secus ac erysipelas, morbilli & variolæ, *periculi stadio* submittatur *rubor scarlatinus*. Ab erysipelate universali haud discrepare videtur quædam roboris species a nonnullis Auctoribus tradita, sub qua emergunt pustulæ miliares vel vesiculares, nunc exiles, nunc latiores quibus tota cutis exasperatur; sed illud dubium in medio relinquimus. Ad genuinum ruborem scarlatinum *proni* sunt infantes & juvenes, sed frequentius invadit hæc efflorescentia virgines & mulieres haud rite menstruatas. Non secus ac morbilli, quibus proxime accedere videtur, epidemice grassatur hic affectus & etiam per contagium propagari videtur; non solum erga infantes, quibus familiaris censetur; sed etiam erga adultos, quibus sub constitutione epidemica proxime parcit.

Minorem tamen *metum* incutere solet rubor scarlatinus, qui alias simili ritu, sed placidius sua percurrit tempora. Haud tamen *periculi* expers est, ob reliquias quas nonnunquam post se trahit; obstructiones nempe & infarctus viscerum, tum pectoris, tum abdominis, quæ grave sane curantibus facessunt negotium; præsertim si accedant spirandi difficultates, & imi ventris intumescentia, quæ colluviei serosæ in pectoris vel abdominis cavo jam stagnantis suspicionem movent. Sed raro, ut verum fateamur, impendent hæc infortunia, ni a recta vivendi norma deflectant ægri, vel præposteris remediis impugnetur hic affectus, qui sub hoc conspectu, haud minus forte calamitosus, ac variolæ & morbilli, censeri debet.

Simplicioribus peragitur roboris scarlatini *curatio*. Itaque nonnunquam, ineunte morbo, conducit venæ sectio; nec vetatur post eruptionem, si pulsus vehementior, & dolor capitis gravativus sanguinis exuberantiam arguant. Sub quo rerum statu, urgentiori succurrendum esse, apud omnes metu retrocessionis minime obcæcatos, in confesso manet. Interea larga manu propinari debent per totum morbi curriculum diluentia & temperantia vulgatiora. Quoad diaphoretica, aliave remedia, quæ sub variolis & morbillis adhibere solent isti, qui uni quæstui inservientes, ad astantium nutum se componunt, haud nisi summa cautela præscribi debent. Præsentaneam opem ferunt vesicatoria dorso, cruribusve admota, si cerebrum quocumque modo lædatur. Fauste etiam ad eumdem scopum præcipiuntur cathartica, &c. Alias haud prius quam decidant squamæ, in usum trahuntur hæc postrema, quæ tum pluries iterari debent ad prævertenda infortunia, quæ, uti jam innuimus, non secus ac post morbillos & variolas, pessimum sæpius habent exitum.

MORBILLI.

NUnc, pro solito Scriptorum more morbillos, vernacule (*la rougeole*), & variolas, uno & eodem capite complectimur, cum haud minus ab invicem discrepent hicce morbi, quam efflorescentiæ, de quibus supra, tum ratione indolis, tum ratione faciei & progressus. Attamen similis ferme morbillorum & variolarum *invadendi modus*, imo & sæpius ægre distinguuntur, tam inter prodromos, quam sub prima eruptione, hi affectus; adeo ut præcipiti judicio haud raro deludantur vel solertiores clinici, ni nota constitutione epidemica suffulciantur. Haud desunt tamen indicia quibus uterque morbus innotescere valet: prima enim morbillosa exanthemata lenticularis, & in areolas plerumque congesta numerosiora observantur, quam in variolis, etiam confluentibus. Nec alia forte differentia inter utriusque morbi papulas erumpentes; sed morbo progrediente spectabiliores se produnt notæ, adeo ut in propatulum veniat utriusque morbi character, uti e mox recensendis patebit. De morbillis spuriis ad genus erysipelaceum referendis supra egimus.

Frigore tremulo, quod excipit calor febrilis, *exordium capiunt morbilli*; ac nonnunquam alternant primo die algor & æstus. Dein excandescit febris, gravatur caput & urget somnolentia; accedente in plerisque sternutatione vel hæmorrhagia narium cum solamine. Interea tument palpebræ; illacrymant flammei & coruscantes oculi, cum dolore mordaci. Inflammatorius rubor & ardor decumbit in fauces, cum siti & anginosa deglutitione: exsurgit tussis sicca cum spirandi difficultate: porro plures vomitu, torminibus & alvi fluxu torquentur: his addere lubet anxietates, lumborum dolores, &c. quæ eruptionem prænuntiant. Circa quartum morbi diem se prodit efflorescentia, maculis lentiformibus, vel papulis depressis, quæ passim & confertim erumpentes diversas areas, tactu asperas præbent. Hæ pustulæ humiles, suppurationis nesciæ, in facie & cervice primo conspiciuntur: dein brevi se diffundunt ad pectus, & juxta ruboris scarlatini & variolarum normam, ad alias partes propagantur. Ab eruptione varioloſa compescuntur symptomata denuo recurrentia: sed perstant hæc phænomena, peracta efflorescentia morbillosa, quæ ruboris scarlatini instar post triduum evanescit; cute remanente squamosa, vel pulvere quodam farinaceo quasi interspersa: nec semper ab ejus extinctione reprimitur morbus, cum non solum febris, tussis & spirandi difficultas aliquandiu producantur; sed nonnunquam etiam ingruant pectoris phlogosis, diarrhœa, aliique affectus, primario morbo prægresso longe periculosiores. De commentitia illa febre morbillosa quatuordecim dierum, de qua mentionem subjecit SYDENHAMUS, nil addimus; cum e genere sit febrium miliarium, putridarum, &c. de quibus suo loco, & nullam, pace tanti viri, affinitatem habeat cum morbillis legitimis.

Nemo nescit morbillos, quibus præsertim obnoxii sunt infantes & juvenes, *raro ominosos* censeri; ni incondita victus ratione, vel præpostera medicatione, a sua indole desciscant. Ab inconsulto enim usu cardiacorum aliorumque remediorum stimulantium, urgente tussi, sub spe promovendæ eruptionis, sæpius soboleſcit peripneumonia, quæ sub hac conditione plures illuc mittit unde negant redire quemquam, vel phthisim, aliumve morbum calamitosum & chronicum post se trahit; adeo ut morbillorum reliquiæ sint ipsomet morbo magis pertimescendæ. Faustum exitum hariolari licet, si efflorescentiæ accessio & recessus, constitutæ a natura normæ supra exaratæ, submittantur. Haud inanem econtra metum incutit maturior vel tardior eruptio: ægros etiam in vitæ discrimen trahit, si ultra quatriduum producatur, si renascantur papulæ novæ, si maculis gangrænodeis defœdentur. Sinistri demum sunt augurii quævis symptomata, quæ de affectis cerebro, pulmonibus, visceribusque abdominalibus, suspicionem movent; cum nullum ferme sit dubium quin copiosiori pustularum morbillosarum proventu labefactentur organa interna, veluti docent *secta cadavera*; quæ

quæ alias exhibent viscera tuberculosa; abscessus cerebri; pulmones pure scatentes; omentum putridum & dilaceratum, &c.

Simplicissimam vel nullam *medelam* expostulant morbilli, juxta constitutum a natura ordinem sua tempora percurrentes: sed secus se res habet, si graviora se proferant symptomata, ad quæ divertenda egregiam opem præstat, post primam invasionem, venæ sectio, cujus beneficio declinatur phlogosis: opportune etiam sub eodem tempore exhibetur emeticum, quo everritur primarum viarum saburra, quæ, procedente morbo, labem sanguini inferre solet. Raro iteranda est venæ sectio, ni urgeant faucium & pulmonum inflammatio, spirandi difficultas, febris vehementia, &c. Alias non solum supervacaneæ, sed noxiæ censeri debent numerosæ venæ sectiones; quidquid obganniant contrariam methodum sectantes, qui suis hypothesibus ducti, nil præter inflammationem vident in omnibus ferme morbis acutis: pluries enim haud citra cordolium observavi sub constitutionibus epidemicis ægros naturæ commissos evadere, dum huic inconsultæ methodo submissi, stipato agmine, ad æthereas sedes convolabant.

Inter usitatiora & *efficaciora præsidia* numerari debent diluentia & temperantia; nonnullisque prosunt nitrosa. Quoad cardiaca & alexiteria, olim plus æquo celebrata, & ab inscia plebe etiamnum comprobata: in desuetudinem ferme abierunt, tum in morbillorum, tum in variolarum curatione: haud tamen, me judice, plane exulare debent, si vires deficiant, si haud rite procedat eruptio, vel insolita pustularum remora. Alias blandiora duntaxat diaphoretica usurpare licet, scorzoneram scilicet, borraginem; flores papaveris, rhœados, sambuci, &c. Urgente tussi conducunt pectoralia, demulcentia & anodyna. Prosunt decoctum album, diascordium, &c. si solutior alvus vires emungat: sub ejus vero nimia constrictione in usum vocanda sunt enemata emollientia & laxantia. Antispasmodicis impugnantur affectus convulsivi: nec vetantur narcotica urgentibus vigiliis, tussi & doloribus; sed cum hisce postremis a SYDENHAMO plus æquo forte decantatis caute mercandum, præsertim sub infantili ætate. Postremo anginę spurię prospicitur gargarismatibus demulcentibus, & cataplasmatibus emollientibus: foventur oculi læsi aqua rosarum, plantaginis, &c.

Notare expedit *pessimum morem* invaluisse, ut hoc morbo decumbentes inter lectorum cortinas includantur, & sub stragulis quasi sepeliantur; hinc minime mirum si majori perspirationis dispendio obrutis viribus, res in deteriora ruant, & plures illius lethiferi præjudicii luant pœnas. Quapropter ab assueta decumbendi ratione minime deflectant morbillis & variolis correpti, eademque culcitra cooperiantur. Alius viget, sed sanior, mos, ut *sublato morbo*, curationem claudant *cathartica*, bis, terve repetita: multiplici enim experientia ratum manet saluberrimam fuisse hanc methodum; & caveant, qui hanc posthabent, ne quid humanitus ipsis accidat; nec desunt sane hujusce infortunii exempla. Morbilli demum, non secus ac variolæ, aliæque eruptiones cutaneæ, nonnunquam intus recurrunt; sub quo rerum statu nil non movendum ut declinetur viscerum infarctus phlogodeus, & devia materia morbosa ad cutem vel sentinam intestinalem revocetur. Hanc opem præstant venæ sectiones, cardiaca & diaphoretica; sed his palmam præripiunt vesicatoria, nec suis laudibus defraudantur cathartica.

VARIOLÆ.

NEmo nescit variolas *discretas* nuncupari, quarum pustulæ, distinctæ, & ab invicem remotæ conspiciuntur; *confluentes* vero, quarum papulæ invicem hærent, vel plures in unam confluunt, quasi in corymbos aggestæ. A veritatis, ni fallor, scopo aberrant qui variolas *discretas* & *confluentes* multum ab invicem discrepare autumant; adeo ut duplex exhinc emergat curandi ratio. Multiplici experientia edocti asserere minime dubitamus illud commentitium discrimen, in solo unius & ejusdem morbi gradu versari. Nec desunt exempla discretarum,

ipsis-

ipſiſmet confluentibus, contra vulgatius placitum, graviorum; tam ratione uberioris papularum proventus, quam reſpectu truculentiorum ſymptomatum. Licet per ſe pateat hic morbus, qui ex traduce propagatur, ægre tamen nonnunquam innoteſcit ob innumeras efflorescentias quæ hunc mentiri, incautoſque decipere ſolent. Notare expedit priuſquam variolarum adumbrationem aggrediamur, puſtulas ſolitarias magis prominentes & faſtigiatas obſervari; confluentes vero & congeſtas magis depreſſas eſſe, ſed cuti ſubtumidæ inſidere. Ex univerſo corporis ambitu erumpunt variolæ, haud exceptis palma manuum, planta pedum & genitalibus: nec parcunt oculorum albo, internis naribus, ori & faucibus. Lubuit Sydenhamo regulares vocitare, quas nulla graviora concomitantur ſymptomata: pro irregularibus vero habere quæ ſub maligna, ut inquiunt, facie ſe produnt, licet diſcretarum, vel confluentium ordinem ſubeant.

Quatuor ſtadiis continetur hic affectus, præludio nempe, eruptione, ſuppuratione & exſiccatione. Rigorem & febrem quibus exordium capit primum variolarum ſtadium, excipiunt cephalalgia, ſomnolentia vel delirium, ſternutatio, ructus nidoroſi, nauſea & vomitus, cardialgia & ventris tormina, dolores dorſi, laſſitudines, ſtranguria, &c. quorum vehementia morbum graviorem prænuntiat. *Eruptionem* nonnunquam pruriginoſam prægredi ſolet ſudor plus minuſve conſpicuus. Exanthemata, pulicum morſui primo ſimillima, circa quartum morbi diem, incipiente ſcilicet ſecundo ſtadio, ſe produnt in facie, manibus cervice & pectore, dein per totum corpus propagando. Febris hac eruptione compeſcitur, vel plane fugatur: hæmorrhagia narium, infantibus præſertim familiaris, hanc efflorescentiam præit vel concomitatur. Interea oculi flammei lumen refugiunt, nec raro procedente morbo, palpebris ultra modum tumentibus, plane clauduntur. Tunc temporis totum caput & cervicem occupat intumeſcentia nonnullis moleſtiſſima, quæ juxta eruptionis ordinem univerſum corporis habitum peragrat; adeo ut eryſipelas univerſale baſim præbere videatur papulis varioloſis, quæ, uti jam innuimus, os, fauces & nares etiam infeſtare ſolent; ſub qua rerum conditione ægre, vel ſumma cum moleſtia deglutiunt ægri, & quodam ptyaliſmo laborant adulti, quo nonnunquam excoriatur lingua, cum variis oris partibus; dum alvus ſolvitur in infantibus. Prominentiores papulæ in ſuppuratum dein abeunt; quo tempore, tertio ſcilicet ſtadio, febris excandeſcit, pulſuſque plenior evadit: *febris ſecundaria*, apud nonnullos, audit hic ſtatus; nec deſunt qui ſuis hypotheſibus ducti, commentitiam putredinem incuſarunt. Nuſquam tamen deſinit febris in confluentibus mali moris, quæ ſub purulentia tantummodo exacerbatur. Delirium & ſomnolentia ſæpius, uti ſupra inculcavimus, eruptionis prodromi, per totum morbi curriculum etiam ingruere queunt, non ſecus ac convulſiones, alvi fluxus dyſentericus, &c. ſub quibus circumſtantiis ægri circa undecimum & decimumquartum ab invaſione diem, vel ſub quarto morbi ſtadio, in vitæ diſcrimine verſantur, ante ſcilicet cruſtarum caſum, qui inter duodecimum & decimumquintum accidere ſolet; ſervato eruptionis ordine; adeo ut puſtulæ faciei ſæpius evaneſcant, cum papulæ pedum vix in ſuppuratum abeunt.

Neminem fugit *variolas ominoſiores* eſſe ſub ætate provecta, quam in infantili vel juvenili. E faciei conſpectu, & ab ſpirandi modo, vulgo erui ſolet *prognoſis*: ſtupenda enim capitis & cervicis intumeſcentia, cum uberrimo puſtularum proventu & anhelatione, ſummam incutit formidinem. Si primo alterove morbi die erumpunt puſtulæ varioloſæ, res eſt ancipitis aleæ, nec minus periculoſa cenſetur tardior eruptio. Felicem eventum hariolari licet, ſi puſtulæ phlogodeæ rite promineant: inter vero exitialia ſigna numerantur puſtulæ confertim erumpentes, exiguæ vel depreſſæ, cryſtallinæ vel verrucoſæ, nec non atro-lividæ, quæ demum ægre matureſcunt & in cruſtas vertuntur. Haud minus portendit periculum harum retroceſſus, nulla remanente cutis intumeſcentia. Febris poſt eruptionem perſiſtens

ſtens morbum gravem minatur, nec vano metu clinicos terrent efflorescentia morbilloſa, alteriuſve generis, & exanthemata atro-livida vel gangrænodea, linguæ labiorumque nigredo, &c. Mali eſt ominis, ineunte morbo, uberior urinæ proventus. Pro exitiali habetur mictus cruentus; at minus pertimeſcendæ aliæ hæmorrhagiæ, præſertim in infantibus, & labis ſcorbuticæ plane expertibus: innoxia demum cenſentur catamenia inter morbi curriculum erumpentia. Funeſtum eruitur indicium ab immani ſudore ſub primis diebus, pulſu debili erumpente; inter calamitoſa ſymptomata etiam recenſentur alvi fluxus, præſertim dyſentericus, alteriuſve pravæ ſortis, ob puſtularum ſubſidentiam quam poſt ſe trahit. Haud levem metum etiam incutiunt iſchuria & dyſuria; convulſiones poſt eruptionem accedentes; ptyaliſmus ſufflaminatus in adultis, vel diarrhœa ſuppreſſa in infantibus, &c. Nec ſublato morbo, uti ſupra notavimus, incolumes evadunt ægri, cum alia ipſis impendeant infortunia; abſceſſus nempe, non ſolum partes externas invadentes; ſed ſæpius intra viſcera deliteſcentes, gangræna & caries, aliique effectus exitiales, ut de cæcitate, ſurditate, crurum reſolutione, &c. nil addam.

E præhabitis colligitur variolas clades & funera poſt ſe trahere; num hanc ſtragem avertere poſſit *inſitio*, apud nonnullas gentes recepta, de qua tamen multum apud nos controvertitur, dubitare licet. Verum quidem eſt, ſi experimentis hactenus publici juris factis adhibenda ſit fides, quod vix unus inter trecentos inſertis variolis laborantes, fatis cedat; dum variolæ legitimæ unum e decem neci dant; ut ſileamus de egregia vultus forma fœdis cicatricibus & foveis a variolis legitimis immutata & deturpata: quod ſane, prima fronte, probare videtur hanc morbum lethalem præcavendi methodum, ſummam laudem mereri, & medicinæ praxim ditare: ſed ſilentio minime premere debemus quod conſtet e nuperrimis obſervationibus plures poſt peractam inſitionem, ab omni metu ſolutos, hoc morbo iterum, haud ſine præſenti vitæ discrimine, conflictatos fuiſſe; quod ſane quidem, ultra omne dubium, argui inefficacem eſſe hanc prophylaxeos ſpeciem. Præterea pro comperto etiam manet non minus per contagium propagari variolas inſitas, quam legitimas; unde minime mirum ſi graſſetur hic morbus, & majorem ſtragem exerceat, ubi adhibetur & viget inſitionis ars, adeo ut, ni fallat tradita computatio in Anglia capta, plures a variolis occubuerint poſt admiſſam hanc encheireſim quam antea. Quid hinc ſit inferendum, ſolertiſſimis judicibus ſub quibus lis eſt penſitandum relinquimus; ut ad *cadaverum extiſpicia* deveniamus, quibus in apricum veniunt viſcera, pulmones nempe, hepar, pancreas, ventriculus, inteſtina, &c. papulis varioloſis, a cutaneis vix abſimilibus, obducta: hiſce etiam puſtulis nonnunquam ſcatent trachea & bronchia. Præterea paſſim occurrunt infarctus & inflammationes, gangrænæ & putredines. Cerebrum & cerebellum in ſeſe ſubſidentia reperiuntur, horumque vaſa ſanguine turgentia & varicoſa conſpiciuntur. Obvia fit nigredo duræ meningi impreſſa & cerebri ſubſtantiam attingens. Reperiuntur abſceſſus intra pyxidem oſſeam, nonnunquam carie læſam. Viſenda ſe præbent cor aridum; vaſa fiatu turgida; hydrops pericardii; ſtomachus ulcuſculis exeſus; omentum laciniatum & putridum, &c. Detegitur colluvies ſeroſa, ſanguinea vel ſanioſa; tum intra cerebri receſſus, tum in pectoris & abdominis cavo, &c.

Ad variolarum *curationem* ſeſe accingentes, primo aeris frigidioris, vel fervidioris inclementiæ proſpicere debent; poſthabitis inſulſæ plebeculæ præjudiciis. Simplicioribus peragitur variolarum optimæ notæ medela; ni conſultius naturæ plane committatur: ſed ubi ſupra traditis phænomenis exacerbatur morbus, arte medica opus eſt. Itaque hoc ineunte ancipitis moris affectu, ſub ætate juvenili vel adulta, una vel altera venæ ſectione deplenda ſunt vaſa: dein nulla mora, emetico vel cathartico foras exturbanda primarum viarum ſaburra; quæ alias inter morbi ſtadium grave clinico faceſſit negotium: mirari ſane quidem ſubit altum

Boerhaavis de exquisitissimo hocce præsidio silentium. Notare expedit numerosas *venæ sectiones*, quarum morem, reluctante experientia, inducere tentarunt quidam inassuetorum cupitores, inutilem plerumque operam ludere; sæpiusque, calorem nativum restinguendo, noxias vel lethales evadere. A copioso enim sanguine detracto hæmorrhagiis & viscerum infarctui minime occurritur, uti autumarunt huicce methodo addicti: quod dilucide patet e propriis observationibus, & autopsia cadaverum. Haud tamen quovis morbi tempore vetatur, cæteris consentientibus, venæ sectio; si urgeat suffocatio; cohibeatur ptyalismus: aliudve atrox suboriatur symptoma: sub quibus sane, vigente febre secundaria, sanguinem mitti jubebat ipsemet Sydenhamus: sed scire juvat ineffi-caciorem fore hanc evacuationem adversus mictum & sputa cruenta, aliamve hæmorrhagiam; & angue pejus fugiendam sub variolis, ut inquiunt, malignis. His de venæ sectione præmissis, ad cætera præsidia devenimus: inter quæ usitatiora & magis proficua censeri debent diluentia, temperantia, & diaphoretica blandiora; ptisanæ scilicet e gramine, liquiritia, borragine, scorsonera, floribus papaveris rhœados, &c. In familiarissimum usum venit decoctum lentium, ni fallor, innoxium; licet ea opinio vetustissimæ superstitioni, a forma lentium papulis variolosis consimilium depromptæ, inniti videatur. Prosunt, urgente siti & corpore plus æquo æstuante, aqua pulli vel carnis vitulinæ, emulsiones, aqua succo limonum impregnata, &c. haud citra periculum usurpantur hæc postrema; si morbus lentius quam par est progrediatur: nec vetatur, sanguine ultra modum incandescente, spiritus vitrioli, quem summis laudibus extollit exercitatissimus Tissot: sed solerti manu pertractari debet illud remedium.

Cathartica inter morbi curriculum, haud nisi urgente necessitate, vel suppresso ptyalismo præscribi debent: sed *variolis declinantibus*, circa scilicet crustarum casum tuto usurpantur; imo, non secus ac in morbillis, pluries sunt repetenda, ad præcavendas morbi reliquias sæpius immedicabiles vel lethiferas. Interea alvus per totum morbi decursum servanda est libera, præsertim si plus æquo tumeant facies & cervix, sub quo statu opportune adhibentur serum lactis, pruna damascena, cassia, aliaque laxantia blandiora; vel congrua injiciuntur enemata. Alias a catharticis abstinere debent, qui ægrorum saluti consulunt: ab hac enim methodo ne lato ungue recedebant artis proceres, forte huic plus æquo addicti, quam tamen inconsulto posthabent nonnulli, inter recentiores polypharmacos, quos pudet veterum vestigia premere. Mirum sane, in gravissimos scopulos quotidie impingentes, ab infelici medela suis opinionibus obcæcatos, minime desistere. Nec felicius, me judice, collineant, qui alvum ignaviorem enematibus emollientibus referare recusant: hisce rationibus ducti quod puris confectioni plurimum faveat alvus compressa: nec hocce errore immunis erat ipsemet Sydenhamus; alias præclarus praxeos medicæ arbiter.

Narcotica caute & tempestive adhibita haud infimum locum, annuente clar. de Haen, obtinent in variolarum curatione. Num tamen erroris arguere licet ipsummet Sydenhamum? juxta quem opium æque specificum pharmacum in variolis confluentibus censeri debet, ac cortex peruvianus sub febribus intermittentibus; qui scilicet post absolutam eruptionem, diacodium bis, terve singulis diebus exhibere solebat; etiam vigenti delirio: quod, pace tanti viri, incongruum arbitramur. Hypnotica sane, humorum ferociam reprimendo, doloribus occurrunt, somnum accersunt; sed morbum quodam velamine obducunt, & producunt: delirium præterea hisce remediis in furorem sæpius vertitur, nedum compescatur; & alvus comprimi solet. Ideo cavendum ne alvina excretio, nonnunquam saluberrima, ab opiatis intempestive sistatur. Aliter sentiendum de ptyalismo, qui ab hypnoticis, experientia teste, haud imminuitur; quin potius fovetur, & sufflamminatus restituitur. Insuper reformidanda esse hæc remedia sub delirio, convulsionibus, tumore faucium & difficili respiratione, pro inconcusso manet apud solertiores practicos. Opportune

vero

vero exhibentur adversus tussim feroci-orem pectoralia demulcentia: conferunt, imminente hæmorrhagia, aqua oryzæ, ptisana consolidæ majoris, emulsiones, nitrosa, &c. nec vetantur adstringentia & styptica externa ad illam cohibendam. Prosunt *alexiteria* & cardiaca inter eruptionem difficilem, vel pustularum remoram, pulsu perstante debili; inter usitatiora recensentur pulvis comitissæ, vel viperarum; syrupus de tunicis, lilium, confectio alkermes, &c. sed cæteris, sub hac rerum conditione, forte præstat vinum generosum vel Hispanicum, meminisse autem oportet hoc naturæ opus esse. Si vero pustulæ varioloſæ retrocedere videantur; præter postrema remedia, quæ semper cum cautela adhiberi debent, ad vesicatoria furis admota confugiendum. Prodest sub hoc rerum statu, annuente clar. Tissot, infusum florum sambuci, ptisanæ instar propinatum; nec vetatur in urgentiori casu venæ sectio.

Alvo plus æquo solutæ, in adultis, medentur nitrosa & absorbentia: sed nil forte sub hoc statu, uti jam notavimus, reformidando, efficacius ipsomet emetico reperitur; post cujus actionem tuto usurpantur *stomachica* adstringentia, rosæ nempe rubræ, sumach, cortex granatorum, sanguis draconis, aliaque id sortis quibus proficue sociantur hypnotica. Nil vero movendum in infantibus alvi fluxu correptis; hanc enim evacuationem ipsis saluberrimam fore jam supra notavimus. Prosunt acida sub mictu cruento: ischuriam respiciunt gramen, dens leonis & parietaria, sal Glauberi, spiritus salis dulcis, &c. Suas laudes merentur sub convulsionibus pulvis de gutteta, cæteraque antispasmodica. Si quædam putriditatis in primis viis, vel in vasis sanguineis se prębeant indicia; juvant spiritus sulphuris, vitrioli, aliaque antiseptica. Sin autem rite depleto ventriculo urgeant nauseæ & vomitus; proficue adhibentur succus limonum cum sale absinthii commixtus. Ubi denique variolas excipit febris duplex tertiana, aliave intermittens, ad corticem peruvianum confugere licet, cujus sub hoc casu efficacia, multiplici experientia constat. His de cura interna absolutis, *ad remedia externa* pro instituti ratione devenimus.

Anginam spuriam inter molestiora & frequentiora variolarum symptomata numerari jam inculcavimus; hinc danda est opera ut leniatur; hanc opem præstant *gargarismata* e lacte, decocto caricarum pinguium, &c. parata. Nimium æstuantes faciei pustulæ foveri solent, cum solutione spermatis ceti in oleo amygdalarum dulcium, cremore lactis vel alio quocumque demulcente: nonnulli sunt inter medicinæ proceres, qui illas ad maturitatem perductas resecare, vel acu argentea perforare velint; sed incongrua, ni fallor, hæc est methodus; qua tardior fit crustarum casus; vel altiores cuduntur foveæ. Si exsiccatione opus sit, conducunt creta, ceruſſa, aliaque consimilia cum cremore lactis, vel unguento rosaceo mixta: sed hæc *topica* haud semper adhibere fas est. Oculis opitulantur collutiones cum lacte, aqua althææ, aliove demulcente: parum juvare videtur tralatitium illud collyrium ex aquis rosarum, plantaginis & croco, paratum: danda præsertim est opera ut minime agglutinentur palpebræ; ne inibi stagnans tabum coercitum, ulcera tum in bulbo oculorum, tum in facie interna palpebrarum, infligat; quæ erosiones grave dein curantibus faceſſunt negotium; ni admoto lapide infernali deurantur. Jure celebrantur *balnea calida*, si ægre erumpant variolæ, nec inutilem sub eodem scopo opem ferunt pediluvia, vel fotus cruribus admoti. Vesicatoria, supra laudata, non solum eruptionem retrogredientem revocare, sed etiam caput affectum levare queunt; ac sub hoc duplici conspectu, in frequentissimum usum veniunt. Nonnulli demum de minimis solliciti, maculas cutis pertinaciores, quam relinquunt variolæ, delere tentant oleo ovorum, vel myrrhæ per deliquium, aliove cosmetico: sed parum cum hisce topicis proficitur; hinc rectius, ni fallor, tempori committitur horumce stigmatum, nil sanitati dementium, extinctio. Quod ad cæteras *variolarum reliquias* attinet; cibi nempe fastidium, febrem lentam, parotides, furunculos, corneæ ulcuscula, fistulam la-

crymalem, tumorem œdematoſum, &c. haud peculiarem efflagitant medelam: ſed ſuam quiſque morbus curam alibi traditam, ſibi vindicat.

Abſolutis quæ de variolis legitimis erant dicenda; ad *aliam* quamdam *ſpeciem*, *variolas* ſcilicet *nothas*, vernacule *petite verole volante*, devehimur. Multum tamen ab invicem diſcrepant, ſi primam faciem excipias, prædicti affectus cognomines; cum ratione indolis & ſtadii, ad ruborem ſcarlatinum, & morbillos, propius accedat morbus de quo in præſentiarum. Quod tamen non impedit quominus incauti vel imperiti, primo conſpectu decepti, variolas ſpurias pro legitimis habeant. Si vero accuratiori examini ſubmittantur papulæ variolarum ſpuriarum, pellucidæ vel cryſtallinæ, ob apicem veſicularem deprehenduntur; nihilque præter ſerum recondunt. Præterea intra triduum circiter ſolvuntur variolæ ſpuriæ; quas præire ſolet levis febricula. Quod curam ſpectat; compoſito congruo victus regimine; parum aut nil, inter hujuſce morbi curriculum, opus eſt factu. Sed ſiccis papulis, unum vel alterum catharticum præcipere juvat: nuſquam enim hanc ſimpliciſſimam cautelam poſthabent artis proceres. Superfluum ſane foret his minoris momenti diutius immorari.

PRA-

PRAXEOS MEDICÆ

PARS PRIMA.

LIBER TERTIUS

MORBOS SEQUIORIS SEXUS, ET INFANTUM COLLIGENS.

SECTIO PRIMA

DE MORBIS VIRGINUM ET MULIERUM.

HYSTERIS.

HYpochondriasi cognatam esse hysterim, virginibus & mulieribus familiarem, e mox dicendis patebit: nec aliud inter utrumque morbum occurrit discrimen, nisi quod a peculiari alterutrius sexus temperie, vel notissimæ genitalium fabricæ adscribenda, eruitur. Inter ægritudines frequentiores jure numeratur hysteris, quæ solis viraginibus, vel difficilem, laboriosamque vitam ducentibus, fere parcit. Larvatus sæpius incedit *affectus hystericus*: aliorum scilicet morborum faciem induit, gravioresque mentitur: unde minime mirum, si sæpius perperam incusetur ab imperitis; quoties scilicet de morbi charactere anxii, nesciunt quo se vertant. Tanta tamen ludunt varietate hysteris & hypocondriasis: totque morbis sociantur, tantaque symptomatum plerumque fugacium caterva se proferunt, ut illa recensere vix liceat; & summis difficultatibus prematur utriusque *diagnosis*. Vita iners & otiosa, mœrores & sollicitudines, zelotypia, morbosa in venerem propensio, iracundia, aliæque mentis perturbationes; inedia diuturnior; immane sanguinis alteriusve humoris dispendium, hæmorrhagiæ, catameniorum, lochiorumque suffl aminatio, &c. *vulgatiores* audiunt *causæ* affectus hysterici. Fluxum menstruum nonnunquam præit, vel presso pede sequitur hysteris: hanc promovent variorum horrendorum conspectus; nonnulli odores, etsi plerisque gratissimi, &c. sed ab adversis vulgatiorem prosapiam ducit, de qua ægram, vel adstantes semper percontari expedit. Systemati nervoso, illæsis utero, cæterisque organis genitalibus, sæpius insidere hunc morbum proteiformem & intricatissimum haud dubitare licet: sed etiam a quadam uteri & ovariorum labe promoveri hanc morbidam nervorum constitutionem, docent praxis & autopsia anatomica: utero enim gerentes & puerperæ ad hysterim *proniores* esse nemo nescit: hanc accersunt partus numerosi; mensium vitia, lochia retenta, &c. Sed hysterim, æque ac hypochondriasim ab aliorum viscerum læsione, vel a peculiari lymphæ morbosæ indole nonnunquam foveri, ultra omnem dubii aleam positum esse videtur.

Tot signis se prodit *hysteris*; tantoque symptomatum agmine stipatur, ratione gradus, ætatis, temperiei & victus generis summe discrepantium, ut *morborum ilias* dici mereatur: hinc patet intricatissimam fore hujusce *morbi historiam*, quam tradendam suscipimus. Ut a partibus superioribus exordium capiamus *caput diversimode afficitur*; sæpissime nimirum gravatur,

vatur, cum vertigine & quadam mentis segnitie : etsi familiaris est dolor acutus angusto spatio coercitus, qui *clavus hysstericus* vocitatur. Plures præterea de temporum pulsatione, de frigore syncipitis & tinnitu aurium, conqueruntur. Artus tremore spasmodico nonnunquam concutiuntur, vel horrendis convulsionibus torquentur, quas excipiunt molestæ lassitudines. Mœrore insuper anguntur hystericæ, quandoque mentis minime compotes, nunc alta ducunt suspiria, vel tristitia obrutæ illacrymant; nunc canentes risu ilia dissolvunt; adeo ut tum a maniacis parum discrepent. Nonnullæ perpetuo quasi *pavore* plectuntur, vel a levissima causa : nimirum si quidpiam delabatur; si fores ex improviso pulsentur; si audiatur tonitru, clamor, vel quivis inexpectatus strepitus, terrore & cordis palpitatione corripiuntur. Interea erumpunt flatus, ructus acidi vel nidorosi, cum sputatione frequenti nonnunquam accedente odontalgia. Terrorem injiciunt crebræ *suffocationes* a laryngis & pharyngis constrictione prognatæ; adeo ut tumente cervice strangulari videantur ægræ. Pleraque urget tussis sicca & molestissima : frequentissimæ sunt *cordis palpitationes*, quarum tanta quandoque est vehementia, ut adstantium visum & auditum afficiant : præterea aortæ abdominalis, cœliacæ vel mesentericæ superioris pulsatio ab admota manu in pluribus percipitur : pulsus tamen explorari solitus, nunc exilis & tardus; nunc inæqualis & intermittens; alias velox & frequens, deprehenditur : imo & nonnunquam plane obliteratus. *Febris* quandoque exsurgit, quæ semel, bisve singulis diebus recurrens, intermittentium typum præ se fert. Hæc sunt præcipua symptomata, caput & pectus respicientia; ad abdominalia, &c. devenimus.

Anxietatibus & *nauseis* vexantur hystericæ; imo & sæpius erumpunt vomitus enormes ad ileum proxime accedentes. Frequentiores sunt borborygmi & dolores interaneorum; nec raro sæviunt dolores colici, e genere spasmodicorum, qui sæpius summam exercent tyrannidem. In nonnullis *inflatur* & tumet *abdomen*, in quo persentitur quidam *motus undulatorius*, qui non solum, uti ipsis videtur, ab utero ad regionem epigastricam globuli instar ascendentis, dirigitur; sed etiam ad fauces propagatur; quæ hinc constrictione, uti jam innuimus, spasmodica & vehementiori tentantur; de quo phænomeno, nonnullos etiam conqueri hypochondriacos, per transennam notare juvat. Nonnullæ hystericæ potum aversantur, non secus ac in hydrophobia, quæ tum in suspicionem venit. Urina copiosa & decolor plerumque mingitur; ac nonnunquam fusca, instar cerevisiæ : alvus nunc solvitur, sed sæpius occluditur. Alternant æstus & algor; atque per universam corporis compagem oberrant; crebroque recurrunt oscitationes & pandiculationes : doloribus insuper dorsi, spasmodica & molestissima crurum sensatione conflictantur hystericæ. Emergit demum crurum intumescentia, quæ decubitu haud evanescit, & digitorum vestigia minime retinet; quibus notis ab œdemate plane discrepare nemo non intelligit.

Suas plerumque patitur *accessiones* ægritudo hysterica, quæ nonnunquam statis periodis, vel certis temporum intervallis redeunt. Has prænuntiant oscitatio, pandiculatio, singultus, borborygmi, æstus & rubor quos excipiunt frigus & pallor, quædam uteri sensatio, &c. Exordium plerumque capiunt constrictione spasmodica faucium & laryngis, qua læduntur respiratio & deglutitio; ingruunt artuum convulsiones, succedente linguæ intumescentia & aphonia. Plures sopore profundo, cum omnium sensuum abolitione corripiuntur; non secus ac in apoplexia, pro qua ab imperitis habetur hic status, sui insciæ jacent : sed maxillæ contractio insultus hysterici characterem prodit; sub quo respiratio anhelosa, cum roncho, apoplecticis familiaris, plane deficit. Sed minime reticendum *hystericam invasionem* ad certum gradum provectam, haud raro in genuinam apoplexiam, imo & hemiplegiam facessere : attamen ab antecedentium accurato examine patet utriusque morbi discrimen : paroxysmum enim hystericum præeunt, uti supra notavimus, interaneorum spasmus undulatorius cum

abdo-

abdominis inflatione ; linguæ & cervicis intumescentia, convulsiones epilepticis vix absimiles ; quibus non solum artus, sed etiam pectoris & abdominis musculi corripiuntur, qui sane prænuntii plane desunt in apoplexia.

Syncopes etiam typum, quo nonnulli decipiuntur, præ se fert *insultus hysterici*, sed fœdus faciei pallor, & sudores frigidi, syncopes characterem produnt ; quæ præterea brevi fugatur ; dum accessio hysterica ad plures dies protelari potest. Pulsus tamen in nonnullis hystericis, non secus ac sub syncope, plane obliteratur ; imo & pectoris munia aboleri videntur ; adeo ut haud obscuretur speculum ori & naribus admotum ; nec nutet proximi cerei flamma : quo fit ut sub hac rerum conditione frigidæ hystericæ animam egisse videantur ; & pro mortuis habeantur ; atque pessimo sane fato sepulturæ nonnunquam tradantur. Attamen solo conspectu oculorum qui post obitum suo nitore plane defraudantur, erui possunt latentis vitæ indicia, quod sane bene notandum : huicce signo addere licet phlyctænas ab impositio vesicatorio, quod sane ne minimam quidem actionem exerit in cadavera. Insuper scire expedit quasdam hystericas, etsi immobiles jacent, & nullam vocem edunt, visus tamen & auditus quodammodo esse compotes, nec intellectu defraudari ; cum nonnullæ cogitationes nutibus exprimere queant : adeo ut ab iracundia, aliove vehementiori animi pathemate nonnunquam exsuscitentur & expergiscantur : quod observasse memini in nobili muliere quæ pluribus abhinc diebus immota jacebat : solitis sub hoc statu incassum adhibitis præsidiis ; de admovendo vesicatorio, quod supra modum aversabatur experta ægrotans, opus erat : dum Chirurgus ad hanc operam sese accingit, ira percita decumbens, quasi collectis viribus exsurgit, validioremque colaphum obstupenti Chirurgo infregit, ac in pristinum statum incidit ; qui aliis auxiliis, vel spontaneis naturæ viribus, paulo post cessit. Nunc brevi fugatur, nunc ad plures dies protelatur paroxysmus hystericus ; qui haud raro, præmissis altis suspiriis, sudore solvitur : quo superato, imaginatio in plerisque læditur : plures enim in effusissimos cachinnos solvuntur, milleque gestus ridiculos edunt : donec mente sana, de dolore capitis gravativo & quadam obnubilatione ; ac totius corporis molesta segnitie, æque ac verberibus contusæ fuissent, conquerantur.

Hysteris, licet curatu difficillima, & omnium industriam superet, plerumque tamen *plus infert terroris, quam mali*. Nihilominus ab insultu vehementiori nonnullæ rapiuntur hystericæ ; cum hic affectus, uti jam inculcavimus, ad summum acuminis gradum increscens, in soporem profundum, vel genuinam apoplexiam facessere queat, cujus characterem ultra omne dubium prodit haud raro succedens hemiplegia. Alias diuturnior & annosus hic morbus multum affert incommodi & tædii ; imo & sæpius clancularias vitæ obstruit insidias. Icterum etiam accessionem hystericam sæpius excepisse constat ; num tamen huic causæ innitatur hæc hepatis læsio ? cæteris examinandum relinquimus. Idem esto judicium de nonnullis aliis affectibus, fortuito post hysterim caput exerentibus. Aliud impendet malum a diuturniori hysteri, nempe atrophia plane immedicabilis, cui obviam ire minime licet ; si a vitio quodam organico uteri, alteriusve visceris, primarius foveatur morbus.

Sectiones cadaverum exhibent ovaria mole ampliora, aliove modo labefactata ; continent nempe laticem, nunc limpidum, nunc subluteum, nigricantem, sordidum, purulentum, &c. Materiam recondunt sebaceam, caseosam vel gypseam, pilos, ossa, &c. Ex hisce organis skirrhosis erumpunt tubercula, hydatides, aliive tumores cystici, ad pugni magnitudinem & ultra, nonnunquam accedentes. Simili ferme ratione contaminata deprehenduntur uterus, tubæ fallopianæ, & ipsamet vasa spermatica ; quæ scilicet substantias diversæ indolis, æque ac viscera, colligunt. Cervix uteri cicatrice plane obturata quandoque detegitur : frequentius, quam vulgo cogitatur, occurrit illud vitium, post hujusce ostii dilacerationem, a partu difficili. De duplici utero, aliisque genitalium vitiis congenitis, sed rarissimis, nil

nil addimus ; ut ad viſcerum læſiones multo frequentiores deveniamus . Itaque ſe obtulit ventriculus a ſede depulſus , & pelvim fere attingens : obvium fit duodenum ultra modum ampliatum , a conſtricta quaſi ab injecto vinculo ejus fine : deprehenduntur colon & rectum fæcibus induratis & albicantibus infarcta & obſtructa : meſenterium , pancreas , aliave viſcera abdominalia inflammata , skirrhoſa , hydatidibus fœta , purulentia tacta , putrida , &c. ſe præbent : nec rara eſt hernia epiploica . Pulmones occurrunt skirrhoſi , tuberculoſi , aliove morbo læſi. Cor nonnunquam mole ampliſſimum , in conſpectum venit : cruore atro & lento turgent ejus thalami ; nec deſunt polypoſæ , ut inquiunt , concretiones , &c. Adinveniuntur poſtremo ſtagnationes diverſæ ſortis , tum in abdominis & pectoris cavo , tum in ipſamet cerebri pyxide .

Ut ad *curationem* deveniamus , conducit venæ ſectio , ſi adſint plethoræ indicia , vel ſuffiaminentur catamenia ; alias inanem operam ludit , vel noxam infert . Proficue ſæpius adhibentur emetica & cathartica ; ſed cave ne hoc plus quam par eſt repetito ſtimulo irritentur crabrones ; quod haud raro evenire neminem praxi edoctum latet . Nonnunquam proſunt , rite depletis primis viis , hypnotica ſub dolore colico , aliove atrociori ; ſi urgeat alvi fluxus ; & vigiliis pertinacioribus torqueantur ægræ : haud innoxia tamen cenſeri debent hæc remedia ; nec niſi ſumma cautela in uſum ſunt vocanda : narcoticis opportune ſociantur antihyſterica , & præſertim tinctura caſtorei . Summe inter paregorica haud immerito deprædicatur uſus internus & externus camphoræ ; quam tamen ægre ferunt plures hyſtericæ : opportunius tum exhibetur liquor anodynus mineralis . Suas laudes meretur cortex peruvianus per ſe exhibitus , vel antihyſtericis ſociatus ; quæ poſtrema omnem implent paginam ; inter quæ uſitatiora & magis comprobata audiunt valeriana , helenium , meliſſa , ſalvia , ruta , artemiſia , matricaria , flores tiliæ , crocus , ſuccinum , caſtoreum , & aſſa fœtida ; aqua florum aurantiorum , meliſſæ compoſita , guttæ anglicæ , ſpiritus ſalis ammoniaci ſuccinatus , &c.

Alia pro re nata in uſum vocantur *remedia ;* aperientia nempe & emmenagoga , amara , martialia , aromatica & roborantia ſimplicia , ac officinalia ; mithridatium nempe , theriaca , &c. Sed omnibus ferme palmam præripiunt diluentia larga manu propinata ; quorum claſſem ſubeunt aquæ minerales , Paſſienſes nempe , Forgienſes , Monferinenſes , Cranenſes , Spadanæ , Sedlicenſes , Merienſes , Baregienſes , Amandinæ , &c. quibus addere licet aquam ampliſſimam affatim hauſtam , ſerum lactis , &c. Suas laudes etiam meretur ipſummet lac , quod plures fauſto beat eventu . Nec poſthabenda *remedia externa* , balnea ſubfrigida , vel frigida , tum domeſtica , tum fluminum ; ſemicupia , enemata ſimpliciſſima , vel carminantia & antihyſterica , &c. Interea nil proficiunt hiſce peragendis intenti , ni ægrarum fidem ſibi concilient : danda enim eſt opera ut mœrorem & triſtitiam excutiant hyſtericæ , ut a ſeverioribus cogitationibus quibus ſunt proclives , retrahantur , & in otio minime recumbant ; ut demum vehementioribus animi pathematibus , e quibus exurgit morborum ilias , quavis arte proſpiciatur , & uno verbo harum mens ad hilaritatem componatur . Pavor quo ægræ acerrime commoventur , hunc morbum nonnunquam fugavit : de quo ſtupendo phænomeno vide Hiſtoriam Academiæ Regiæ Scientiarum anni 1752. Similem effectum exerere queunt inſolens gaudium , vehemens iracundia , graves curæ , &c. Neminem demum fugit affectum hyſtericum a morboſa in venerem propenſione ſæpiſſime foveri : quid tum factu opus ſit , ſingulis obvium .

Abſolutis quæ de cura prophylactica dicenda erant , ad præſentem devenimus : alia enim , vel *extemporanea* efflagitant *remedia vigentes inſultus* hyſterici , quibus opitulatur venæ ſectio , ſub jam tradita rerum conditione ; alias futilem vel noxiam fore experientia didici ; quam tamen e pede , brachio & cervice , a SYDENHAMO , aliiſque famigeratiſſimis practicis fuiſſe comprobatam , minime reticendum . Dubium etiam cenſeri debet emeticum ,

quod

quod nunc prodeſt, nunc perniciem infert; & hinc haud niſi ſumma cautela exhibendum. Proficue etiam uſurpantur, vigente acceſſione, antihyſterica interna; tinctura nempe caſtorei, ſuccini, &c. Haud deſunt ſane præſidia externa, quæ paroxyſmum reprimere queunt: hoc munere fungitur fumus cujuſvis chartæ, plumarum, cornuum, veterum coriorum, &c. eamdem opem præſtat odor rutæ, aceti, ſpiritus ſalis ammoniaci, ſinceri vel ſuccinati, guttarum anglicarum, vel ſalis ejuſdem indolis, &c. Ab inſperſa aqua frigida in faciem nonnunquam exulat inſultus; non ſecus ac abiguntur manuum convulſiones ab harum immerſione in aquam frigidam. Inſuper varia parantur epithemata, a mulierculis præſertim celebrata & umbilico imponenda: inter quæ uſitatiora audiunt emplaſtrum galbani, atque ſcutum e myrrha & aloe goſſypio exceptis, confectum; quibus addere licet petroleum, oleum croci & ſuccini, axungia caſtorei, &c. Præterea vincula in artus injiciuntur, fricus in cruribus celebrantur, vellicatur planta pedum, cui etiam admovetur later calidus; vel crura in aquam calidam immerguntur; cucurbitulæ ſiccæ umbilico & artubus admoventur; injiciuntur enemata terebinthinacea, ſtimulantia, cathartica, antihyſterica, &c. quæ ſingula tempeſtive adhibita egregium effectum obire ſolent.

PICA ET MALACIA.

NUllum, vel rudem & inexpertum fugit virgines & mulieres prægnantes cuidam *appetitui depravato* obnoxias eſſe, quo *inſueta* vel *abſurda* expetunt; uti ſalis, piperis, aceti, &c. inſolitam quantitatem; fructus immaturos, carnem cruentam, piſces incoctos, lacertas viventes, bufones & araneas; teſtas, terram, gypſum, calcem vivam, cineres, carbones, nivem, glaciem, chartas ſordidas, goſſypium, veteres pannos, coria putrida, ipſumque ſtercus, aliaque innumera, quæ in tantis deliciis habent, ut ab illis ægre dimoveri patiantur. Aliæ odoribus fœtidiſſimis delectantur: nonnullæ terram, gypſum, cretam, aliudve corpus friabile digitis conterere geſtiunt, &c. *Pica* dicitur hic morbus virgines invadens, qui chloroſi plerumque ſociatur, & viro maturas præcipue afficit; etſi minime parcit junioribus. Si prægnantes corripiat, *malacia* audit, quæ ultra quatuor primos graviditatis menſes raro protelatur. Nonnulli morboſi utero gerentium appetitus verſantur circa cibos uſitatiores, quos quaſi eſurientes flagrantiſſime cupiunt; quibus denegatis plura impendent mala, lipothymiæ nempe, abortus, vel quædam labes organica in tenello embryonis corpore, quem ſtupendum eventum vetuſtiſſima & multiplex experientia ultra omne dubium arguere videtur.

Licet hic parvus & morboſus appetitus minime per ſe ſit ominoſus, haud tamen *periculo* plane vacat; ubi ſcilicet circa abſurda, & ad nutritionem inepta verſatur; quæ certa copia, vel per diuturnum tempus ingeſta, non ſolum digeſtionis organa peſſundare & ſubvertere; ſed humorum maſſæ labem inferre queunt: hinc minime mirari ſubit, ſi hinc ſæpius emergant morbi chronici, & nulla arte domandi, qui ſerius ocyus miſellas chloroticas ad ultimam rerum lineam ducunt. Quod vero hanc inſulſam cupiditatem ſpectat, quæ tactu vel olfactu expleri valet, nil fere minatur, præter chloroſim, quam ſæpius poſt ſe trahit. Nec prædicta morositate immunes cenſeri debent pueri qui ramenta papyracea, aliaque obvia corpora ſummo oblectamento digitis conterunt & volvunt; nec deſunt qui varia abſurda, uti humum, mortarium, gypſum, aliaque præſertim vetita, edere voluptati ducunt, cui monitis, increpationibus & minis medetur.

In primo *curationis* limine danda eſt opera monitis, increpationibus, aliove quovis modo, ut quælibet objecta morbum foventia amoveantur; alias incaſſum præcipiuntur vel exquiſitiora medicamina. Quibus peractis, primis viis proſpiciendum: ideo opportune exhibentur, præmiſſis diluentibus, emetica & cathartica, quæ omnes ventriculi & tubi inteſtinalis receſſus adeundo, pravas digeſtionum reliquias, vel quævis abſurda huc collecta everrere, & foras eliminare queunt. Robo-

borantibus dein refocillandus venit ventriculus ; quam opem præstant mentha & melissa , cortex malorum citreorum vel aurantiorum, syrupus cydoniorum, vel limonum, extractum juniperi & theriaca, &c. His præmissis in pravam humorum diathesim converti debent clinicorum curæ ; sub quo scopo præscribuntur aperientia, diuretica & emmenagoga, quæ intimiora corporis penetralia lustrando pravos succos subigere , obstructa vasa referare , renes emungere , & uteri vasa deplere valent. Sed virginibus duntaxat congruit hic curandi ritus ; raro enim artem medicam efflagitant pueri ; quæ alias inutilis est prægnantibus ; cum malacia post quartum imprægnationis mensem, & ad summum post partum , sponte solvatur , & plane evanescat.

CHLOROSIS vel FEBRIS ALBA VIRGINUM.

Hæc *cachexiæ species*, nostratibus *pales couleurs*, virgines nullis inquinatas amplexibus, ubi præsertim sororiantur mammæ, ac precipue puellas amore vel mœrore percitas, mulieresque viduas, vel in conjugio sterili viventes, crebro *invadit*. Quodam pallore *innotescit* hic affectus, febricula noctu nonnihil exacerbanda , stipatus ; quæ hinc *febris alba* vocitatur. Præter faciei totiusque corporis ambitus colorem pallidum , & nonnunquam subviridem, qui hunc morbum vulgatissimum prodit, alia occurrunt indicia; nempe corporis debilioris gravitas , & inertia ad motum, dolor capitis cum propensione ad somnum , crurum inquietudines, quibus vexantur decumbentes, respiratio difficilis, quoties precipiti cursu incedunt, vel acclivia scandunt; cordis palpitationes , pica , anxietates & hypothymiæ, meteorismus hypochondriorum , totiusque abdominis &c. Præterea subtument facies, & præsertim palpebræ ; crura & malleoli simili modo afficiuntur : nec mane, uti mos est œdematis, evanescit hic tumor. Chlorosim legitimam concomitatur mensium suppressio ; alias de obstructis visceribus cogitandum . Periculi plane expers hic est morbus , qui fluentibus catameniis plane fugatur : nonnunquam tamen in genuinam cachexiam facessit, vel hydropem accersit. Secta enim cadavera exhibent aquæ copiam stagnantem , in pectore , pericardio , & abdomine ; ventriculum intestini instar contractum ; lienem ingentem ; hepar obstructum ; concretiones biliares in vesicula fellea . Postremo chlorosi correptas infecundas esse nemo nescit.

Eo collimandum , æque ac in chachexiæ *curatione*, ut premissis præmittendis, crassiores succi subigantur, & obstructi tubuli referentur . Primo scilicet plethoræ occurritur sanguinis missione e saphena : dein emetico & catharticis sæpius repetitis, primis viis prospicitur, ne saburra inibi latitans a pravis eduliis, vel materiebus absurdis prognata ad sanguinem appellat. Quibus peractis , vitiatæ sanguinis crasi medendum ; sub quo scopo ad hepatica, stomachica, amara, aperientia, tonica & emmenagoga devenire expedit. In subsidium etiam vocantur antihysterica ; fauste usurpantur remedia officinalia e tartaro & marte confecta : nec pro re nata , inutilem opem præstant absorbentia & sudorifica : sed omnibus hisce auxiliis forte præcellunt aquæ minerales , tum acidulæ & martiales , tum thermales , Vallenses puta , Passienses , Forgienses, Vicienses , &c. Aliquid fert auxilii pediluvium tepidum : nonnullas etiam laudes merentur fricti in cruribus celebrati : nec desunt qui post BARBEIRACUM celeberrimum Medicum Monspelliensem , balnea suadent . Hic demum affectus in plerisque sponte inter nuptias solvitur.

MORBI A CATAMENIIS.

Constat hoc sanguinis *profluvium* statis certisque periodis, vel *singulis mensibus recurrens* , inter quinque & decem uncias contentum, a tribus ad octo dies protelari. Circa decimum tertium ætatis annum se prodit hæc evacuatio menstrualis , & ad quadragesimum quintum vel ad quadragesimum octavum producitur : quod vero maturius erumpens citius desinere solet, & vice versa : adeo ut *quin-*

que

que ſeptenniis contineri videatur. Ab hac tamen naturæ norma nonnullæ deflectunt mulieres viragines, agreſtes, ſaltatrices, vel laborioſam vitam ducentes, quæ nihilominus fecundæ cenſeri debent, cum inſenſibilis perſpiratio & ſudor periodici profluvii vices ſuppleant. Sed ſub vulgari corporis conditione ſingula catameniorum vitia pro totidem morbis haberi debent; ſi tamen excipias ſuppreſſionem a graviditate pendentem, quæ hinc e morborum albo eſt expungenda. Quapropter de hiſce fluxus menſtrualis læſionibus ſigillatim & breviter pro inſtituti ratione differere expedit.

(1) Inter frequentiora *menſium* vitia recenſenda eſt *ſuppreſſio*, rite diſtinguenda a ſufflaminatione propter graviditatem, & naturali ceſſatione poſt abſolutam horum periodum; quæ tamen ni ſenſim, intra ſcilicet unius vel alterius anni ſpatium peragatur, varia in pleriſque poſt ſe trahit ſymptomata, inſultus nempe hyſtericos, hæmorrhagiam uteri, fluorem album, &c. Suppreſſionem menſium morboſam concomitari ſolent chloroſis, cum cute, præſertim faciei & crurum, nonnihil œdematoſa; dolor lumborum gravativus, cephalalgia, vigiliæ; reſpiratio difficilis, palpitationes, cardialgiæ, flatulentia, hypochondriorum inflatio, colicus dolor, &c. Pulſus ſub hiſce circumſtantiis debilis exploratur, alternant calor & frigus, aboletur vel depravatur appetitus, urgent nauſeæ & vomitus, erumpit ſanguis e naribus, pulmonibus, ventriculo, renibus, &c. Sed plus terroris quam mali affert hæmorrhagiæ ſpecies. Nonnullæ angina corripiuntur vel in ophthalmiam incidunt; ſed crebrius prodeunt eryſipelata, aliæve cutis efflorescentiæ. Omnes fere demum meticuloſæ, & quadam mentis ſegnitie laborantes, ſteriles evadunt. Imus venter ab expanſo utero in nonnullis tumet; adeo ut *graviditatis ſuſpicionem* quandoque moveat, & plures incauti vel imperiti, virginum pudicarum famæ labem impreſſerint. Notare expedit haud e genuina menſium ſuppreſſione ortum trahere *abdominis intumeſcentiam*, ſed potius a jam ſecreto ſanguine menſtruali intra uteri cavum cohibito: quare minime mirum ſi reſeratis clauſtris uberiori proventu erumpat hic latex retentus, & brevi hac evacuatione, pro abortu a quibuſdam habita, complanatur abdomen.

Majora poſt ſe trahunt incommoda *menſes inter fluxum illico ſufflaminati*, a terrore ſcilicet, iracundia, aliove animi pathemate; a manuum vel pedum immerſione in aquam frigidam, a vehementiori frigore contracto, ab alvi fluxu, ab intempeſtiva, fluentibus catameniis, venæ ſectione e brachio, aliave cauſa quavis externa. Ab hoc enim infortunio ſæpius promoventur febres continuæ vel intermittentes peſſimi moris; phlogoſes internæ, cephalagliæ atrociores, apoplexia, delirium, vertigines, epilepſia, inſultus hyſterici, tremores, ſuffocationes & dolores ad hanc vel illam partem pertingentes, artubuſque præſertim ſævius inſidentes. Ab eadem cauſa progerminatur cachexia, hydrops, aliuſve affectus chronicus. Opportunis remediis plerumque obtemperat menſium ſuppreſſio, ſi ſola incuſetur plethora: aliter ſe res habet, ſi ſanguinis penuriæ innitatur; ubi vero a quavis læſione organica fovetur, vix expugnari ſe patitur. In ancipiti verſatur quæ circa quadrageſimum quintum annum accidit, etſi a naturæ norma minime recedit: ſæviſſimi enim ab hac inſolita corporis conditione ſæpius emergunt affectus; præſertim ſi quædam in humoribus deliteſcat labes, quæ tunc temporis in apricum venire ſolet.

Plura notatu digna ſe præbent inter *luſtranda cadavera*, impervius nempe uterus ab hacce caruncula integra, *hymen* vocitata, vel a cicatrice poſt harum partium vulneratarum ferruminationem, aliudve conformationis vitium: ulcera cervicem, vel cavum uteri occupantia; excreſcentiæ fungoſæ, colluvies ſeroſa intra uterum coercita, hujuſce viſceris gangræna. Quibus addere licet infarctum ſkirrhoſum uteri & ovariorum; tubarum purulentiam; tumores vaginæ adnatos, viam uteri præcludentes, &c. In conſenſum etiam trahunt cætera pectoris & abdominis viſcera: occurrunt nempe pulmones diverſimode labefactati;

inflammati nempe, perduri, tuberculoſi, ſkirrhoſi & ſubnigricantes: obvia fit cordis moles, nunc amplior, nunc contracta: in conſpectum venit colluvies ſeroſa in pericardio, vel pectoris cavo ſtagnans; lapides nonnunquam continet cordis involucrum: ante oculos verſatur hepar decolor, infarctum, mole ampliſſimum, tuberculis obſitum, tabum recondens, putredine & gangræna defœdatum. Se offert lien ſtupendæ magnitudinis, putredine confectus, & pultis inſtar contrectatus diffluens. Comperitur meſenterium ſkirrhoſum & purulentia conſpurcatum. Annotatur epiploon deforme, necroſi correptum vel putredine abſumptum; ut ſileamus de colluvie ſeroſa vel ſanguinea, de diverſis tumoribus cæteriſque aliis læſionibus, nunc inter cauſas recenſendis, nunc pro producto morboſo habendis.

Probe inquirere debent ad hujuſce morbi *curationem* animum intendentes, num quædam ſit graviditatis ſuſpicio: cum innumeræ occurrant pſeudo-virgines, vel protervæ meretriculæ, imprægnatæ, quæ omni arte hunc turpiſſimum ſtatum occultare ſtudent, & ſaphenæ ſectionem ſub ſpe futuri abortus, ſpecie curationis commentitii morbi, efflagitant; adeo ut quotidie decipiantur vel oculatiores. Haud deſunt tamen quæ, etſi viro compreſſæ, imprægnationis neſciæ, ſe genuino morbo laborare arbitrentur. Si vero poſt accuratum examen res dubia & anceps videatur, conſultius ſane cenſetur cunctari & ſuperſedere, uſque ad quintum vel ſextum menſem: quo tempore in propatulum veniunt graviditatis notæ, tum enim mammæ & venter intumeſcunt, & ab admota manu frigida abdomini quædam in utero perſentitur motio. Ubi igitur, nullis perſpectis imprægnationis indiciis, conſtat de morbi genere, haud ulterius procraſtinanda eſt curatio; inter quam inchoandam, ſibi par non habet ſaphenæ ſectio ad avertenda ſymptomata, e ſuppreſſione emergere ſolita. Nonnunquam prodeſt, ſi caſu cohibita fuerint fluentia catamenia, ſanguinis miſſionem e brachio præmittere, quam ſumme proficuam pluries inter praxim novi. Curantium vota explere ſolet ſanguinis detractio, ſi ſola inculpetur plethora: alias in uſum trahenda *emmenagoga* & aperientia alterius ſortis; non ſecus ac roborantia ex amaris & aromaticis deprompta: utriuſque ordinis uſitatiora audiunt lingua cervina, dens leonis, aſparagus, bruſcus & rubia tinctorum, marrubium album, roſmarinus, baccæ juniperi, radices ariſtolochiæ & angelicæ; myrrha, borax, limatura ferri, vel crocus martis, tartarus calybeatus, elixirium proprietatis, &c. *Sub caſu urgentiori*, ſabinam, vel ipſaſmet cantharides, nonnunquam uſurpare licet, ſed caute cum hiſce remediis mercari expedit. Solerti etiam manu tractari debent aloe & colocynthis, aliaque cathartica acriora, quæ egregium effectum edere queunt, nec poſthabenda ſunt blandiora. Optimum præſtant auxilium antihyſterica; camphora nimirum, crocus, caſtoreum, &c. Omnibus demum innoteſcunt aquarum mineralium & præſertim martialium vires.

Ut ad *externa* deveniamus, proſunt hirudines vulvæ vel podici admotæ, quæ venæ ſectionum vices explere valent: nec inutilem opem præſtant cucurbitulæ coxis vel inguinibus affixe. Conducunt ſuffumigia ex antihyſtericis parata; ſed pluris habetur vapor horum decocti, vel aquæ ſimpliciſſimæ. Opitulantur pediluvium, balnea & ſemicupia calida: nec deſpiciendi fotus emollientes artubus inferioribus admoti; præſertim ſi a terrore, frigore ſuſcepto, vel quavis alia cauſa externa vigens fluxus cohibitus fuerit, ſub quo calu etiam conducit hauſtus vini generoſi incunctanter exhibitus. Opportunius ſane uſurpantur hæc præſidia, proxime accedente conſueto futuræ eruptionis tempore, dum ſcilicet ſoliti exurgunt prodromi; veluti dolor lumborum gravativus, quædam ventris tormina, æſtus febrilis, &c. ſimili ferme curandi ritu, habita ratione gradus morbi, parciori menſium proventui proſpicitur; licet longiora ſint acceſſionum intervalla, vel haud ſolita copia procedat hæc evacuatio. Quod ad naturalem menſium ceſſationem attinet; nulla opus eſt curatione, ni plethora in poſterum nonnullas venæ ſectiones, cum congruo vitæ regimine, expoſtulet.

(2) A naturali & notiſſima via nonnunquam recedunt menſes, vel per aliena loca, quam conſueta, exitum ſibi parant, & *menſes devii* audiunt. Equidem erumpunt e naribus, oculis & auribus: hos eructant organa ſalivaria, gingivæ & dentium alveoli, uti crebro obſervatur in ſcorbuticis. Prodeunt e mammis, pulmonibus, ventriculo, renibus, veſica, ano, ulceribus, &c. Cutis contextum quandoque etiam ſubeunt; his enim exitum largiuntur ſinciput, genæ, umbilicus, inguina, brachia, manus, pedes, &c. Exſurgit nempe e prædictis partibus tumor phlogodeus, dolens & renitens; e quo ſponte aperto profilit quædam ſanguinis copia, qua exhauſta brevi ferruminatur vulnus, ſingulis menſibus renovandum. Bene perſpecta igitur illius præternaturalis & periodici fluxus indole, danda eſt opera ut divertatur, & ad ſua genuina incernicula revocetur. Hanc opem præſtant ſanguinis miſſio e ſaphena, hirudines vulvæ admotæ, cucurbitulæ inguinibus, vel internis femoribus aptatæ, vapor aquæ tepidæ, vel decocti cujuſcumque emollientis, genitalibus exceptus, aliaque præſidia externa ſupra tradita, adverſus ſcilicet ſuppreſſionem adhiberi ſolita, quibus ſuperſedemus ut ad cognatum morbum deveniamus.

(3) Ad ſuppreſſionem proxime accedit *menſium difficultas*, quam ſcilicet profluvium illud periodicum, haud ſine moleſtia erumpit: varia ſymptomata poſt ſe trahit hic affectus; lumborum ſcilicet & coxendicum dolores, vaſa hæmorrhoidalia tumentia, dolores & tormina in utero, appetitum proſtratum, pravas digeſtiones, ſubſultum variarum partium, horripilationes, inſultus hyſtericos, &c. quæ ſymptomata nunc fluentibus menſibus, nunc ante vel poſt fluxum exſurgunt. Hanc ægritudinis ſpeciem præſertim antecedunt quædam imi ventris tormina, dolores lumborum gravativi, æſtus febrilis, cephalalgia, ſpirandi difficultas, &c. ſub quibus circumſtantiis ſuppreſſionem minantibus, *urgentiori* primo *ſuccurrendum*, nempe doloribus, qui leniri ſolent demulcentibus & anodynis internis; infuſo nempe florum althææ vel ſeminum lini, aqua pulli, ſero lactis, oleo amygdalarum dulcium, &c. Rariſſime fallit ſub re urgentiori, cæteris conſentientibus, ſaphenæ ſectio. Proſunt etiam antihyſterica hypnoticis ſociata; nec vetantur theriaca & mithridatium. Egregiam inſuper opem præſtant enemata carminantia vel terebinthinacea: proſunt cucurbitulæ inguinibus & femoribus admotæ. Sed ſub caſu duntaxat graviori hæc in uſum trahere licet præſidia; alias naturæ committi debet hoc opus, quo abſoluto ad curam prophylacticam ſe conferre expedit, quæ verſatur in opportuno uſu emmenagogorum, aliorumque medicaminum adverſus ſuppreſſionem adhiberi ſolitorum, de quibus ſatis ſuperque actum fuit.

(4) Sub duplici conſpectu ſe præbet *menſium fluxus inordinatus*, ratione ſcilicet dierum intercalarium numeri, a ſolita periodo, exceſſu vel defectu recedentis, vel ratione copiæ, nunc parcioris, nunc uberioris. Plures enim occurrunt virgines & mulieres, quæ pluries, intra menſis curriculum, hunc fluxum patiuntur, quem aliæ haud niſi poſt plures menſes ſubeunt. Quoad vero copiam, plures de hac plus æquo imminuta conqueruntur, dum cæteræ menſium nimietatem vel luxuriam ægre ferunt. Frequentius accidit hæc inordinatio circa quadrageſimum quintum ætatis annum, quo compleri ſolet periodorum menſtrualium ſumma. Experientia conſtat mulieres juniores huicce morbo obnoxias, ad abortum eſſe procliviores: alias diutius protractus febrem lentam, maraſmum, cachexiam & hydropem poſt ſe trahit. Notare haud abs re erit nonnunquam erumpere e vaginæ vaſis varicoſis nonnunquam conſpicuis, *profluvium quoddam hæmorrhoidale*, quodam dolore ſtipatum, nulli normæ ſubmiſſum, quod pro fluxu menſtruali habere ſolent mulieres; e quarum ſcilicet relatu decipiuntur vel oculatiores practici; ni attendant ad conſuetos catameniorum prodromos, qui ſub hoc caſu deſiderantur. Huc etiam pertinent menſes ultra ſolitum terminum, quinquageſimum ſcilicet annum protracti, qui tum pro ſtatu morboſo, ſub quo imminet ulcus vel cancer uteri, haberi debet.

Quandoquidem plus æquo imminuta evacuatio menſtrualis parum a ſuppreſſione diſcrepat; conſectarium eſt eadem *curandi methodo*, habita ratione gradus, impugnandum eſſe utrumque ſtatum: & ideo crambem repetitam non apponemus. Quod ad uberiorem menſium proventum attinet, reprimi ſolet remediis hæmorrhagiæ dicatis, haud tamen niſi ſumma cautela, caſuque urgentiori, hæc ſunt uſurpanda: cum, nullis ſe proferentibus gravioribus ſymptomatibus, ſoli congruæ victus rationi committendus ſit hic uberior fluxus. Ubi vero viribus deficientibus emergit febris lenta, & imminet maraſmus; vel ſe produnt cachexiæ, hydropiſve indicia, nil non movendum ut reprimatur vel coerceatur prædictus fluxus. Præmiſſis igitur præmittendis, venæ ſectionibus nempe inter inducias celebratis, demulcentibus & temperantibus, lacte ſcilicet, cremore hordei vel oryzæ, emulſionibus nitroſis, &c. abſorbentia & adſtringentia uſurpare fas eſt: nec hiſce incaſſum tentatis, vetantur ſtyptica, quæ tamen haud niſi refracta doſi & ſumma cautela ſunt exhibenda, ne ſubitanea & intempeſtiva ſufflaminatione, quid humanitus accidat. Sunt qui inter has anguſtias ſuffimenta parant e thure, ſuccino & maſtiche; ſed pro ficulneis habentur apud ſolertiores hæc præſidia. Porro danda eſt opera ut uberiori menſium profluvio laborantes curis ſolvantur, & quieti tum mentis, tum corporis ſe tradant; imo & expedit ut in ſitu horizontali decumbant.

(5) Parum diſcrepat, ratione faciei, *menſium fluxus immodicus* ab hæmorrhagia uteri: ſed diverſam habent proſapiam prædicti affectus. De illo ſanguinis diſpendio quod partum vel abortum concomitatur hic non agimus, ſed de illa cruoris profuſione longe periculoſiori quæ aliam quamcumque cauſam agnoſcit. Pleno gurgite erumpens latex ſanguineus nonnullam ſtaſim patitur in utero & in maſſulas cogitur, quæ una cum fluido cruore exitum per vulvam ſibi parant, quod ſane rarius evenit ſub menſibus immodicis. Præterea nulli periodo ſubmittitur hæmorrhagia uteri, etſi non raro chronica evadit: ſed tanta, ut verum fatear, ludunt varietate prædicti affectus, ut ſæpius vix pateat diſcrimen, & Œdipo opus eſſet. Hanc hæmorrhagiæ ſpeciem præire ſolent acerbi lumborum & dorſi dolores, pallor faciei, inflatio hypochondriorum, horripilationes, &c. Huic obnoxiæ cenſentur phlegmaticæ, cachecticæ & ſcorbuticæ: *hanc promovent* æſtus aeris, non ſecus ac frigus ſubito contractum, immanis iracundia, liberalior vini, liquorumque ardentium potus, inconſultus caffé uſus, emmenagoga acriora, validiora corporis molimina, improbæ exercitationes, caſus ab alto, &c. Concitatur a febre vehementiori, ab erumpentibus morbillis & variolis. Hoc ſtupendum ſanguinis diſpendium nonnunquam oriri a menſibus intra cavum uteri cohibitis ſupra inculcavimus. Porro mulieres poſt hoc inſolitum ſanguinis profluvium fecundiores evadere per tranſennam notare expedit.

Calamitoſas ſæpius fore immanes ſanguinis ex utero profuſiones neminem ferme latet, præſertim erga annoſas mulieres, quibus tum impendet ulcus vel cancer uteri; præter maraſmum, cachexiam, hydropem, &c. Præterea ſanguis confertim erumpens ſyncopem, convulſiones, vel ipſummet lethum ſæpius accerſit. Hæmorrhagia uteri ſub primis graviditatis menſibus erumpens, abortum minatur: alias, ultra ſcilicet ſextum menſem partu excipitur; quem obſtetricantis manu ſæpius promovere expedit, dummodo tamen cruor e venis vaginæ varicoſis, uti nonnunquam evenit, minime proſiliat: ſed nihil plane confert obſtetricandi ars ante ſextum imprægnationis menſem; iners etiam cenſeri debet adverſus graviditatem notham, quæ etiam enormem hæmorrhagiam concitare poteſt. Summis ut verum fatear, difficultatibus premitur hæc curandi ratio, graveque clinicis incumbit onus, qui ſæpius vitata Charybdi in Sciſſam delabuntur.

Sectis cadaveribus inter hunc morbum extinctorum, in conſpectum veniebant pulmones perduri, tumidi, ſanguine infarcti, & pure exeſi: inveniebantur inteſtina contracta purulentia tacta & putrida. Meſenterium ſe præbebat infarctum, tumens

mens & induratum. Hepar erat mole maximum & skirrhosum : detegebatur lien durus , ingens & sanie conspurcatus . Se sistebat pancreas mole maximum & skirrhosum . Annotabantur renes calculosi & sede dimoti ; quorum arteriæ erant quasi obliteratæ . Uterus conspiciebatur sanguine scatens, skirrhosus & quasi cartilagineus , pure conspurcatus , exesus & disruptus . Occurrebant postremo stagnationes serosæ & sordidæ , tum in pectore , tum in abdomine ; hydrops ovariorum & tubarum ; tumores ingentes , skirrhosi , steatomatosi ; circa uterum , ovaria , &c.

Aliorum morbosorum sanguinis profluviorum instar *curari* solet hæmorrhagia uteri extra graviditatem . Itaque præsentaneam opem ferunt venæ sectiones e brachio , quas magis proficuas fore , si solita sanguinis copia partitis vicibus educatur , experientia docuit . Auxilium præstant consolidæ majoris & pimpinellæ decoctum , succus plantaginis & urticæ , tinctura rosarum , catechu , aqua spiritu vitrioli impregnata , aliave adstringentia interna ; quibus addere licet corallum , testacea , aliaque absorbentia . Majori sane efficacia prædita sunt styptica , sanguis nempe draconis , alumen , essentia Rabel , pulvis Helvetianus , &c. sed solerti manu pertractari debent ; non secus ac hypnotica a nonnullis haud infimi ordinis laudata , quæ , etsi quamcumque hæmorrhagiam fovere videntur ; urgentur tamen doloribus , vigiliis , cæterisque symptomatibus , experientia teste , nonnunquam proficue adhibentur . Haud immerito decantantur ipecacuanha & simarouba , quæ cæteris præstare praxi edocti asserere haud gravamur . Varia insuper in usum trahuntur remedia externa ; manus scilicet linteis aqua frigida imbutis involvuntur ; lumbi cum aceto foventur ; admoventur cucurbitulæ circa mammas ; vinculis constringuntur artus ; injiciuntur enemata demulcentia , vel mere aquea , ut fæces liberius excernantur .

Hactenus de cura præsente , quæ scilicet inter paroxysmum congruit ; nunc ad *prophylacticam* devenimus . Itaque hunc morbum præcavent venæ sectiones , inter inducias celebratæ , non secus ac diæta demulcens e lacte scilicet , cremoribus farinaceis , &c. petita . Opportune dein exhibentur refrigerantia & temperantia : hisce viribus pollent aqua nitro vel succo limonum imprægnata , serum lactis , jusculacancrorum fluviatilium , pulvis temperans , &c. Egregie se gerunt aquæ minerales , Passienses nempe , Forgienses & Spadanæ , Baregienses , Bonenses , Granenses , &c. quæ obstructiones referando , stases sanguinis intra vasa uteri præpedire valent . Eumdem effectum præstare queunt martialia & præsertim crocus martis Stahl , quæ scilicet non solum aperientium classem subeunt , sed etiam in roborantium ordine recipiuntur . Huc etiam pertinent cætera adstringentia , quæ , præmissis præmittendis , proficue adhiberi queunt . Nonnunquam etiam pro re nata in subsidium veniunt vulneraria , diaphoretica & anodyna . Curis postremo solvantur ægræ , & quieti , præsertim vigente fluxu , se tradant .

STERILITAS.

NEmo nescit infecundas esse mulieres ad ultimam mensium periodum adductas : alias plethora , obesitas , catameniorum suppressio , fluor albus , cachexia , virus scorbuticum , lues venerea , &c. sunt totidem *sterilitatis causæ* , quæ etiam contrahitur a soluta vivendi norma , nimia scilicet lubricitate & ingluvie ; a vino , liquoribus ardentibus & hausto caffe liberalius sumptis , &c. Hisce causis apprime notis , facile impugnari posse sterilitatem nemini haud obvium : sed aliter se res habet , si incusetur vitium quoddam organicum , clitoridis nempe & nympharum adaucta moles , vaginæ obturatio ab adglutinatione vulnerum partu difficili , variolis , lue venerea , ambustione , &c. inflictorum , atresia vel hymen impervium , quod mensibus exitum denegat ; unde prodeunt dolores acutissimi cum uteri intumescentia , tumores e vagina erumpentes , eumdemque effectum exerentes , vaginæ nimia flaccidita , &c. Pro immedicabili demum habetur sterilitas quæ pendet a prava uteri conformatione , ab ejus infarctu skirrhoso , ariditate , atonia , occallescentia vel ossificatione , a tumoribus ejus cavum replentibus , a tubarum obstructione ,

ne, a tumore vel hydrope ovariorum aliisve genitalium internorum læsionibus conceptum præpedientibus, quas exhibet *autopsia anatomica*.

E præhabitis colligere datur haud inchoandam sterilitatis *curationem*, ni prius probe inquiratur morbi causa, arte medica sæpius domari nescia, quæ, ut verum fateamur, in cimmeriis plerumque latet tenebris, adeo ut in hisce angustiis, dum scilicet de genuina sterilitatis prosapia haud constat, iteratis tentaminibus viam ad curationem sibi parare non sit incongruum, ni apprime innotescat genuina uteri conditio, quæ nunc frigida, nunc calida medicamina expostulat. Quapropter, probe composita victus ratione & præmissis præmittendis, refrigerantium, temperantium, aperientium, emmenagogorum & roborantium vires sunt explorandæ; inter quæ usitatiora audiunt juscula refrigerantia simpliciora, & balnea domestica, quæ sæpius curantium vota explent. In subsidium nonnunquam vocantur veronica, mentha, melissa, feniculum, radices & semina eryngii; semina erucæ & nasturtii hortensis; nux moschata; aliave roborantia. Sed his præcellunt varia medicamina, tum magistralia, tum officinalia e tartaro & marte confecta. Omne demum ferunt punctum aquæ minerales acidulæ & ferrugineæ, vel thermales, inter quas valde deprædicantur Vallenses & Meinenses, Borbonienses, Anselmienses & Granenses; quæ tamen omnia haud indiscriminatim præscribi debent, sed pro re nata & rite perspectis œconomiæ animalis viribus hæc vel illa sunt usurpanda; nilum enim proficit clinicus qui naturam ducem & rectricem suorum consiliorum minime habet. De imperforatione, aliove vitio organico nil addimus; cum hoc læsionis genus opem chirurgicam expostulet; vel plane sit immedicabilis.

MORBI PRÆGNANTIUM.

VAria post se trahere incommoda graviditatem, imo & graviores morbos haud raro promovere vel mentiri neminem ferme fugit. Hinc patet quanti sit momenti ut genuinum uteri statum sæpius dubium & intricatissimum, rite assequantur clinici, ne nubem pro Junone amplectantur, & temeritatis notam incurrant. Ubique enim se proferunt virgines spuriæ vel meretriculæ virtutis simulatrices, quæ de abortu cogitantes, de commentitio morbo conqueruntur, ut saphenæ sectionem, emeticum, emmenagoga, aliave remedia stimulantia fœtum foras deturbare solita, impetrent. Nec desunt in legitimo conjugio viventes, quæ fallere nesciæ, sub nonnullis incommodis deceptæ, se perperam curandas tradunt, utpote dubia & *infida* sæpius sint *imprægnationis signa*. Ab illorum tamen syndrome quidpiam certi eruere licet, a retento scilicet in coitum semine, vel a quadam horripilatione, quam emuncto telo virili experiuntur, a cibi fastidio vel appetitu depravato, nausea & vomitu, cardialgia & lipothymia, quodam inguinum & lumborum dolore, mammis dolentibus & tumidis, cum papillarum livore, & nonnulla lactis excretione, uteri ostio occluso, &c.

His addere licet ventris intumescentiam quarto vel quinto mense conspicuam, cum quadam dein circa umbilicum prominentia, quæ in morbosis abdominis tumoribus desideratur, ætatemque congruam supra indicatam; etsi nonnulla prostant exempla mulierum quinquagesimo, sexagesimo, imo, si Scriptoribus sit fides, septuagesimo ætatis anno imprægnatarum, quod sane alta mente tenendum. Præterea, *mulieres ingravidatæ* ad motum tardiores, inertia quadam insolita laborant, nonnullæque amplexus viriles aversantur: ut de motione fœtus quarto vel quinto mense manifesta, sola imprægnationis veritatem adstruente fileamus. Catameniorum suppressio inter infida signa recenseri debet, cum symptomatum innumeros morbos respicientium agmen subeat, præterquam quod in quibusdam fluunt catamenia sub primis a conceptu mensibus; nec desunt quæ hanc menstrualem purgationem per totum gestationis curriculum patiuntur, atque utrasque ad abortum procliviores esse experientia testatur. Sola altiori abdominis protuberantia internoscitur graviditas a *gemella prole*; nec tamen certum

tum est illud *indicium*; cum multum absit quin omnes ventrem mole stupendum gestantes geminum partum edant. Nec dilucidius innotescit *superfœtatio* a prima ingraviditate remota, quæ abortum concitat, incolumi fœtu primogenito, quem scilicet solito tempore eniti solent mulieres.

Nemo non novit opportunam *sub graviditate vivendi rationem*; nec latet venæ sectionem circa tertium, septimum & nonum mensem celebratam pluribus opitulari: sanguini tamen parcendum, si morbo acuto corripiantur prægnantes, nec severiori diætæ inhærendum, ne fœtus suo pabulo defraudetur. Laute tamen minime victitent, ne vasa majori quam par est sanguinis copia turgeant; unde produnt innumeri morbi quibus conflictari solent gravidæ: nec elapsis duobus vel tribus primis mensibus, quieti plus æquo indulgeant. Caveant præsertim vehementiora animi pathemata, quæ sub hac conditione summam generi nervoso labem inferre queunt: cathartica, ni urgeat necessitas, inter quatuor primos graviditatis menses, & imminente partu, vetantur. Alias cautus horum usus innoxius censeri debet. Nonnullis demum prosunt stomachica. Hæc sunt Hippocratis, procerumque placita, quibus adstipulari negant nonnulli suis hypothesibus obcæcati recentiores. Insuper *varios morbos post se trahit graviditas*, qui singuli peculiarem curationem sibi vindicant: in hunc censum veniunt malacia vel appetitus depravatus, nauseæ crebro recurrentes, & vomitus, dolores colici, aliave ventris tormina, alvi profluvium, sudores insoliti, lipothymiæ frequentiores, insultus hysterici & convulsivi, odontalgia, tussis nunc sicca, nunc humida, cordis palpitationes, ischuria vel mingendi difficultas, hæmorrhoides molestissimæ, cum alvo adstricta, varices ex artubus inferioribus erumpentes, cutis abdominalis a nimia expansione fissuræ, tumor crurum œdematosus, hæmorrhagia uteri, abortus, partus difficilis, &c. quæ singula breviter & fasciculatim prosequi operæ pretium duximus.

(1) *Depravatum prægnantium appetitum* vel *malaciam*, haud ultra quartum vel quintum graviditatis mensem protelari jam supra notavimus, & ideo nullam expetit curationem. Idem ferme esto judicium de *nausea* & *vomitu* sub eodem stadio vigentibus, cum nil tum a vomituritione sit pertimescendum: secus vero se res habet circa postremos gestationis menses, cum metus sit ne inter enormes vomendi conatus, fœtus ex utero excutiatur; ideo nil non movendum ut compescantur hæc symptomata: venæ sectio in hunc finem aliquando celebratur: proficue etiam adhibentur laxantia, & præsertim rhabarbarum: nec inutilem operam ludunt absorbentia, lapilli nempe cancrorum fluviatilium, corallium, &c. Suas postremo laudes meretur aqua florum aurantiorum, syrupus absinthii, diascordium, mixtura contemporanea e succo limonum & sale absinthii parata, aliaque stomachica interna vel externa. Leniuntur *ventris tormina* aqua florum aurantiorum & cinnamomi, cæterisque carminantibus & anodynis sub hoc casu usurpari solitis. Haud levem terrorem incutit *diarrhœa* sub ultimis gestationis mensibus ingruens; hinc danda est opera ut coerceatur: hoc munus præstant cathartica, stomachica & absorbentia; quibus memorandis haud inhæremus, ne recoctæ crambis arguamur. Addere juvat quod raro ad narcotica confugere liceat, cum sub hac rerum conditione haud plane innoxia censeri debeant.

(2) Proficui sub graviditate *sudores* certis cancellis coerciti; sed periculo nusquam vacant, si supra modum excesserint: ideo uberiores sunt reprimendi opportuno notissimorum temperantium usu. Parum pertimescentur *lipothymiæ*, quæ plus æquo recurrentes, solitis præsidiis fugantur: sed summum terrorem incutiunt *convulsiones*, sub quibus partum obstetricantis manus promovere expedit: alias curam alibi traditam expostulant. Sedantur *dentium dolores* emplastro de tacamahaca, aliove topico anodyno. *Tussi pertinaciori*, non secus ac spirandi difficultati, utplurimum medetur sanguinis detractio: non alio opus est remedio adversus cordis palpitationes; quod præsidium *mammarum & lumborum dolores* etiam compescere solet. *Ischuriæ* ab ingenti uteri mole, vesicæ cervici incum-

cumbente, sæpius solvitur a solo situ horizontali; raroque in usum trahitur catheter. Difficilius sane impugnatur *urinæ incontinentia*, quæ alias nil mali portendit, & ubi fœtus in lucem prodit, sponte fugatur.

(3) *Fissuris abdominalibus*, ob ultra modum expansa tegumenta, occurritur oleo ovorum, vel quovis unguento demulcente: his addere licet cerussa, saccharum saturni, &c. Quod ad *tumorem crurum œdematosum* partu solvendum attinet; ab omni curatione abstinere præstat: nil tamen impedit quominus in immensum accrescens, decocto aromatico, aqua calcis, lixivio cinerum sarmentorum, aliisve cognatis, quibus nonnulli addunt aquam vitæ, vel Reginæ Hungariæ, spiritum vini camphoratum, foveatur. Insuper nil metuendum de œdemate solos artus occupante; sed si ad lumbos & ultra propagatur, res sane periculosæ est aleæ; cum ab hoc infortunio immineant ascites & hydrops uteri: haud raro etiam sociatur graviditas colluviei serosæ internæ, quam tum vix ante partum aggredi licet. Leniri solent *hæmorrhoides*, nonnunquam molestissimæ, fotu e decocto foliorum verbasci, florum sambuci, seminum lini, capitum papaveris albi, &c. parato. *Narium* denique curatio naturæ committitur; vel alibi tradita adhibetur methodus.

(4) Futilia omnia sunt auxilia adversus *hæmorrhagiam uteri*, ubi partim solvitur placentæ adhæsio; sub quo statu nulla arte declinatur partus vel abortus: alias prosunt venæ sectiones; laudatur ipecacuanha, &c. Circa finem tertii mensis plerumque erumpit hæmorrhagia, quæ abortu excipitur: hanc prænuntiant cephalalgia atrociissima, horripilationes, mammarum & imi ventris subsidentia, dolor gravativus lumborum & iliorum, frequens micturitio, tardiores fœtus motiones; hians uteri osculum; &c. Nemo nescit *abortum* ancipitis esse aleæ, ob graviora quæ post se trahit symptomata, immanem scilicet sanguinis profusionem, lipothymias, febrem, delirium, affectum comatosum, convulsiones, &c. Ægre sæpius distinguitur larga illa sanguinis per plures menses intra cavum uteri cohibiti profusio, tam in virginibus quam in mulieribus, ab hæmorrhagia abortus prænuntia; a bene tamen perspectis traditis utriusque status signis, patet discrimen. Falsum plerumque incutit terrorem hæmorrhagia a retentis mensibus: periculosior sane censeri debet abortum prænuntians, præsertim sub prima graviditate, & circa ultimos gestationis menses: multiplici enim observatione constat raro lethalem esse sub primis graviditatis mensibus, & majus imminere periculum a septimo ad nonum mensem. Calamitosior vero censetur abortus sub quovis morbo acuto graviori; funestum enim tum præsagit eventum variis cladibus confirmatum.

(5) Inter vulgatiores *abortus causas* numerantur vita deses & otiosa, sanguinis ex utero profluvium, cathartica acriora, vomitus & alvi fluxus, tenesmus & alvus compressa, calculus vesicæ, immodicæ corporis exercitationes, conamina vehementiora, ictus & lapsus ab alto, animi pathemata graviora, odores ingrati, immoderatus caffe, vini, liquorumque ardentium usus, quædam pharmaca meretriculis nota, &c. Quibus addere licet morbosam uteri conditionem; virus venereum, vel scorbuticum; morbos acutos, &c. Ubi quædam se proferunt imminentis hujusce infortunii *indicia*, omni ope enitendum ut præcaveatur: hunc effectum præstare queunt venæ sectiones circa consueta mensium tempora celebratæ: quieti insuper indulgeant mulieres, vel lecto se contineant imminente periculo, coitum fugiant, &c. Haud inutilem sub hoc casu opem conferunt aqua oryzæ, ptisana consolidæ majoris, succus urticæ; pulvis veronicæ, semina plantaginis; adstringentia, opiata, aliave medicamina adversus fluxum mensium immodicum usurpari solita. Jure etiam deprædicantur, sub eadem rerum conditione, aquæ minerales ferruginæ, præsertim apud mulieres ad abortum proclives. Ut de inepto quodam remedio, apud mulierculas celebratissimo; serico nempe crudo, ut vocant kermesino, minutissime secto, & ex ovo sorbili sumpto, sileamus. Ubi vero, confertim jam erumpente sanguine, in propatulum venit abortus, futilia sunt omnia adstringentia

gentia interna & externa, cum experientia quotidiana constet a sola embryonis, placentæ, vel grumorum sanguineorum expulsione pendere *morbi solutionem*, quæ naturæ viribus committi solet, ni sævientia truculentiora symptomata funeris metum incutiant; sub quo casu obstetricantis manu, vel quavis alia arte, urgentiori succurrendum. Sed notare expedit quod sub tribus quatuorve graviditatis mensibus solis naturæ viribus extrudi possit placenta, ni soluta hærentia, ad osculum uteri propellatur; sub qua rerum conditione valet ars chirurgica.

(6) Maturi *partus terminum* circa finem noni mensis a natura constitutum fuisse, nemo nescit: nonnulli tamen occurrunt partus septimestres & octimestres. De decimestribus, duodecimestribus, & sexdecimestribus mentionem subjiciunt Auctores penes quos sit fides: sed per plures annos gestatur *fœtus mortuus*: prostant enim exempla graviditatum viginti, triginta vel quadraginta annorum sub quo tamen statu fœtus extra uterum utplurimum collocatur. *Sectis cadaveribus* repertus fuit in tubis fallopianis, vel in ovariis: alias in abdominis cavo hospitat, placenta cuivis obviæ parti hærente. Fœtus mortui compages tandiu incolumis servatur, quandiu intactis involucris probe obducitur: sed si vicinarum partium labe, aliave quacumque causa solvantur, emergunt phlogoses & purulentiæ, quibus fœtus putredine solvitur: interea stagnans tabum foveas sibi cudit, & fœtus ramenta secum rapiens, exitum sibi parat per sentinam intestinalem, per umbilicum, aliasve abdominis partes. Hunc morbosum *fœtus extra uterum* situm a vitioso conceptu prosapiam ducere nemo non videt: nonnunquam in abdominis cavum delabitur ovum impræ-gnatum, ubi beneficio accretæ placentæ vivit & crescit. In nonnullis moratur infans, cum solito incremento in ovario aut tuba, donec ob majorem molem in abdomen decidat. In utroque casu serius ocyus extinguitur fœtus: dein quandoque exsiccatur; vel crusta tartarea obducitur. Sic fiunt graviditates viginti & triginta annorum. Hæc docent secta cadavera. Aliquando tamen evenit ut a dilaceratione plus æquo expansi uteri, infans in abdominis cavum devolvatur: sed raro procrastinatur hæc graviditatis species, quin potius ægram brevi in orci fauces præcipitem trahit.

(7) *Partus*, etsi maturus, *haud periculi expers* censeri debet, si uteri ostium & vagina debita flexibilitate & lubricitate defraudentur; cum hinc dilatari nescia fœtus exitui obstent; ad quem promovendum varia parantur enemata, fotus, injectiones, aliaque emollientia & lubricantia externa. Sed præter hanc causam annosis mulieribus familiarem, alia vulgatior eruitur ab exhaustis parturientis viribus, vel a debilitate ipsius fœtus; sub quo rerum statu opportune adhibentur roborantia & cardiaca, vinum scilicet, aqua imperialis, cinnamomi, &c. Nonnunquam etiam conferunt emmenagoga, aristolochia nempe, borax, &c. Suas laudes merentur aqua florum aurantiorum, tinctura castorei, succini, aliave antihysterica; sed haud nisi casu urgentiori narcotica præcipere licet. Egregie se gerunt enemata emollientia & carminantia; sed inter ficulnea præsidia numerandum epithema e pulvere foliorum lauri, & oleo confectum atque umbilico admovendum, ut alia topica a mulierculis deprædicata missa faciamus. Hæc sunt auxilia adversus *partum difficilem* adhiberi solita, quæ tamen futilia censeri debent, si incusetur prava ossium pelvis conformatio, vaginæ & uteri occallescentia, tumores horumce organorum cavum occupantes, hernia uteri, fœtus extra uterum, &c. quæ ægritudines plane immedicabiles censentur, vel peculiarem curam alibi traditam sibi vindicant: ut nihil addam de lapide aetite, quem gravidis in nixu admotum, partum maturare inepte creditur.

(8) Quantumcumque metum injiciat fœtus debilis; res sane periculosioris est aleæ, si vita orbetur. Eruuntur *extincti fœtus indicia* a cessatione motus quem prægnantes persentire solent, a frigida quacumque sensatione & pondere in hypogastrio; a dysuria & tenesmo; a quadam horripilatione insolita, ab insultibus convulsivis, & demum ab erumpente fœtido latice. Naturæ viribus plerumque com-

mittitur fœtus demortui exitus: supervacanea enim vel noxia sunt medica auxilia, diuretica nempe, & emmenagoga a pluribus adhiberi solita: de viribus filicis nuperrime decantatis dubitare licet. Ubi fœtus mortui in utero hospitantis involucra solvuntur; prorumpit aqua & brevi omnia detruduntur: sed infans, integris hisce membranis, putredinem arcentibus, a situ deturbari minime patitur: hinc ad *obstetricantium artem* confugiendum; qua nil proficiente, una manet matribus salutis spes circa *partum cæsareum*, alias periculosissimum, qui tamen tempestive, & solerti manu celebratus plures jam ad incitas redactas ex orci faucibus eripuit. Crebrius adhibetur hæc sectio *post prægnantis obitum*, inter scilicet ultimos gestationis menses, ut saluti infantis consulatur; qui alias mortem minime effugeret. Sub *partu* etiam *impedito* ad hanc operationem sese accingere debent chirurgi, *matre & fœtu viventibus*; si incassum adhibitis aliis omnibus artis præsidiis, nil a naturæ viribus sit expectandum: tum enim haud alia methodo utriusque vitæ prospicitur: sed non nisi prius omnia a solertioribus rite perpensa fuerint, hanc sævissimam & luctuosam operationem, circa legitimum partus terminum, instituere fas est: plura de hac re accurata & elaboratissima prostant in primis binis voluminibus Acad. Chirurg. Parisiensis.

MORBI PUERPERARUM.

ÆRumnosam sæpius esse *puerperarum valetudinem* neminem ferme latet: nullus enim error minoris momenti, sub hoc statu, in vivendi ratione committitur: truculentiora quidem portendunt symptomata frigus intempestive susceptum, iracundia, terror, insolens gaudium, cæteræque graviores animi perturbationes, liberalior ciborum & cupediarum usus, &c. Innumeri exhinc prodeunt morbi mammas & uterum respicientes; qui ægras in vitæ discrimen sæpius tradunt. Inter frequentiores, occurrunt stupendum cruoris ex utero profluvium, diarrhœa, tormina, placentæ retentio, lochiorum suppressio, vel fluxus immodicus; variæ læsiones ad lac, vel mammas, attinentes; insultus hysterici vel convulsivi, febris miliaris, &c. Variis infortuniis, quæ ab obstetricatione suam ducunt originem, a nostro instituto plane alienis, recensendis non immorabimur, ne falcem in alienam messem immittere videamur.

(1) Ad *hæmorrhagiam uteri* pronæ censeri debent mulieres plethoricæ; præsertim si inter graviditatis stadium venæ sectiones inconsulto posthabuerint. Hunc etiam uberiorem sanguinis proventum accersunt procerioris fœtus exitus; incauta placentæ evulsio; vel ejus dilaceratio, remanente quadam portione utero affixa; grumosus sanguis intra uteri latebras coercitus; falsus conceptus, vel mola, &c. Ubi igitur pleno gurgite prorumpit sanguis, danda est opera ut reprimatur ejus ad uterum impetus: hunc effectum præstat sanguinis missio e brachio, si ægrotantis vires ferant: alias in situ horizontali paululum elevatis clunibus se componat & quieti se tradat puerpera: caveat aerem plus æquo æstuantem, vel adstantium frequentia inquinatum: imo & sæpius expedit ut referentur fenestræ, & cubiculi renovetur aer. Interea lintea oxycrato imbuta lumbis, & proximioribus genitalium partibus admoveri queunt: opportune intus exhibetur succus portulacæ; ut cætera utriusque ordinis præsidia, de quibus supra, prætermittamus. Sed notare juvat futilia hæc omnia censeri, si quodvis corpus recondat uterus; cum in sola ejus extractione versetur curationis cardo.

(2) Haud levem metum injicit *alvi fluxus puerperarum*, ob imminentem lochiorum sufflaminationem, quam post se trahere solet, si contumax evadat, vel naturæ limites prætergrediatur: ideo in hunc converti debent clinicorum curæ. Proficue sub hoc casu injiciuntur enemata e lacte cum ovi vitello parata, e jusculo omasorum, &c. Egregia sæpius obeunt munia hypnotica, dummodo cum cautela adhibeantur: minime enim reticendum hæc a pluribus, Vedelii vestigiis inhærentibus, plane vitari; eo quod lochia, uti perhibent, sistant; sed refragatur experientia. De venæ sectionis, a multis deprædicatæ, efficacia jure dubitandum; cum

si quid

si quid contulisse visum fuerit illud auxilium, id minus huic, quam naturæ & tempori tribuendum esse censemus. Caute etiam cum medicaminibus alvum comprimentibus mercari expedit, cum lotiorum excretioni sæpius officere experientia constet: si tamen frequentiores sint egerendi conatus, hujusce infortunii etiam prænuntii, urgentiori succurrere fas est.

(3) *Puerperarum tormina* intra biduum, triduumve, cum nonnullis intermissionibus vel remissionibus contineri solent, & raro ad septimum, vel octavum diem protelantur. Hujus symptomatis immunes esse primum partum enixas vulgo traditur; sed reluctatur experientia. Cruciatus partum excipientes nonnunquam implicantur cum genuino affectu colico; adeo ut ægre sæpius distinguantur prædicti dolores. Si certis cancellis contineantur puerperarum tormina, & a constituta naturæ norma minime recedant: nullam medelam expostulant; cum uterum ad saluberrimam excretionem sollicitare videantur: sed si modum excesserint, illa compescere licet. Usus invaluit apud mulierculas, ut oleum amygdalarum dulcium cum syrupo capillorum Veneris exhibeant, ad hæc præcavenda vel sedanda: nec despiciendum illud præsidium. Eamdem opem præstant flores althææ & chamæmeli, sperma ceti, &c. Notissima est sub hoc casu efficacia tincturæ castorei vel succini, alteriusve medicaminis antihysterici: nec vetantur diacodium, laudanum, tinctura anodyna, aliave hypnotica, quæ scilicet, servatis servandis, oppido conferre valent.

Interea paulisper in lecto erigantur puerperæ, ut uterus in loco deliviori situs facilius expurgetur: sed maximi est momenti, ut sub primis diebus tenuis componatur diæta. Præterea *lintea calida* abdomini, vel regioni hypogastricæ admoveri solent. Plures hanc partem illinunt *oleo* amygdalarum dulcium: aliæ frixam ovorum intritam, imo ventri imponendam, cum oleo nucum parant; ut alias cautelas a sequiori sexu comprobatas, haud semper despiciendas, missas faciamus. Insuper præsentaneam opem ferunt *enemata* emollientia & demulcentia, quibus additur oleum, vel butyrum; nec alius patet modus alvum servandi liberam; cum inter lochiorum fluxum omnia cathartica exulare debeant; quæ tamen, absoluto horumce purgaminum stadio præscribi queunt, si res expostulet: alias haud nisi post mensem integrum & ultra, exhiberi solent; dummodo haud obstent internorum catameniorum prodromi, qui ante tertium a partu mensem sæpius se proferunt; sub quibus sane nil citra periculum movetur.

(4) Post felicem fœtus exclusionem, alia naturæ, vel obstetricanti, incumbit cura; nempe *secundinarum ejectio*, vel extractio: ab *hisce enim retentis* graviores exsurgere morbos nemo nescit. Equidem hoc infortunium presso pede sequuntur febris vehemens, dolores singulas corporis partes, ac præsertim utero viciniores, invadentes; hæmorrhagia immanis nulla arte reprimenda, pectoris angustiæ, lypothymiæ, convulsiones, &c. Si lochia supra modum fœteant, de *secundinarum putredine* cogitandum; a qua maximum impendet malum; uteri nempe exulceratio. Haud desunt tamen exempla variarum puerperarum, quæ haud nisi per plures hebdomadas, imo & menses hanc sarcinam incolumes deposuerunt. Hoc sane quidem opus naturæ viribus committitur; quibus tamen deficientibus, haud vetantur nonnulla præsidia adversus partum difficilem adhiberi solita; veluti crocus, castoreum, succinum, borax, sabina, &c. quibus nil proficientibus ad *obstetricantis manum* confugere expedit; priusquam uteri ostium occludatur. Ubi vero adsunt putredinis notæ; opportune usurpantur injectiones detergentes cum hordeo, rosis rubris, summitatibus hyperici, scordio, absinthio minori, melle, &c. cauta enim horumce detergentium administratione præcaveri potest imminens uteri ulcus.

(5) *Lochiorum profluvium* ab octo ad quindecim dies in plerisque protelari neminem practicum latet: nonnunquam tamen intra biduum vel triduum continetur, cæteris bene se habentibus; vel ad viginti, triginta, quadraginta dies producitur. Vix etiam definiri potest illius profluvii quantitas, in quibusdam parcissima, in aliis vero uberrima; nec desunt mulieres

hujuſce purgationis, non ſecus ac catameniorum, plane neſciæ. Summum ſæpius terrorem incutiunt hi diverſi puerperarum ſtatus præter ſolitum accidentes: ſed parum metuendum, ſi nullo alio ſymptomate conflictantur puerperæ. Merus ſanguis primo excernitur; dein cruenta hæc purgamenta ſenſim albicant, & in materiam, lactis quaſi æmulam, faceſſunt. Eadem ratione paulatim imminuitur juxta conſuetam naturæ normam illius excretionis proventus, donec plane exhauriatur. Has viciſſitudines alta mente tenere debent clinici, ne ſpecie morbi decipiantur, & ad intempeſtivam medelam ſeſe accingant; qua nil calamitoſius excogitari poteſt.

Inter graviores morbos recenſeri debent *lochiorum ſuppreſſio* ob atrociora, quæ poſt ſe trahit, ſymptomata: moleſtiſſimam nempe abdominis prominentiam; mammarum phlogoſim; lumborum, inguinum, partiumque intermediarum dolores atrociores; pulſationis ſenſationem in æſtuante utero; anxietates, tormina acerbiſſima, affectum iliacum; febrem prævio algore, nunc inflammatoriam, nunc purpuratam vel miliarem; horrendos inſultus hyſtericos, delirium, convulſiones, affectum comatoſum, vel ipſammet apoplexiam; hæmoptyſim & ſuffocationem, ſudores frigidos, ſyncopem, &c. Fiunt præterea congeſtiones, ſtaſeſve lacteæ vel purulentæ, quæ pro mortis præconibus haberi debent, ni falſo naturæ molimine per quamcumque viam exitum ſibi parent. Hinc dilucide patet nullum eſſe fluxum, cujus ſuppreſſio tantum terrorem incutiat; cum ab illa de qua in præſentiarum, ante decimumquartum morbi diem plerumque rapiantur ægræ. Horumce *purgaminum ſuppreſſionem* nonnunquam *accerſunt* uberior ſudoris proventus, diarrhœa, cæteræque evacuationes, quæ alias harum vices nonnunquam ſupplent. Frigus inſuper incaute admiſſum, iracundia, terror, cæteraque vehementiora animi pathemata, acceſſiones hyſtericæ, odores averſi, errores in diæta, &c. hunc luctuoſum morbum inferunt, qui ſane exitialem viſceribus labem minatur: exhibent enim ſecta cadavera aſcitem lacteam vel purulentam, tumores folliculatos eadem materia turgentes, hydropem peritonæi & hydatides, uterum infarctum, phlogoſi correptum vel tuberculis ſkirrhoſum ſanguine concreto turgentem, & perforatum; ejus oris labia coalita; placentam ejus oſculo inhærentem; ovaria ingentia: quibus addere licet phlogoſim, putredinem & gangrænam omenti, tubi inteſtinalis, peritonæi, &c.

Neminem expertum latet intricatiſſimam eſſe hujus morbi *curationem*: equidem de ſanguinis miſſione multum controvertitur; nonnulli enim venam pluries tundendam eſſe arbitrantur, dum cæteri vel minimam ſanguinis detractionem averſantur. Nec minus diſſentiunt primi circa vas ſecandum; plures ex alterutro brachio ſanguinem educendum eſſe pronuntiant; alii vero ſaphenæ ſectionem deprædicant: ſed contrarias has ſententias, potius hypotheſibus, quam genuina praxi ſuffulciri, nemo non videt; hæc enim docet phlebotomiam haud niſi caſu urgentiori & ſumma cautela eſſe celebrandam, pro rerum conditione, nunc in brachio, nunc in pede. Cæterum multa de hac re lepida, & dilucide tradita, proſtant apud Scriptores, quæ tamen inter praxim implicatiſſima deprehenduntur; adeo ut anxii hæreant vel oculatiores clinici, quibus notum manet venæ ſectiones in potiori ægrarum parte feralem habuiſſe exitum, licet morbo vel remedio tribuatur hoc infortunium.

Inter haſce anguſtias, opportune quandoque exhibentur *menſes cientia*, bardana nempe, ariſtolochia, crocus, zedoaria, caſtoreum, borax & elixirium proprietatis: ſed vetantur ſæviente febre acuta & inflammatoria, ſub qua conditione tutius præſcribuntur demulcentia, temperantia & aperientia blandiora; aqua ſcilicet pulli, vel ſerum lactis, oleum amygdalarum dulcium & ſperma ceti, gramen, cichorium, aſparagus, radix arundinis, nitrum, &c. Aliquando proſunt, ni obſtet ſanguinis æſtus, kermes minerale, antimonium diaphoreticum, aliave remedia perſpirationem moventia. Egregiam opem præſtant hypnotica, licet a pluribus prohibeantur hiſce rationibus ductis, quod narcotica omnes ſecretiones ſiſtant, excepta diaphoreſi, quod effatum *Vedelianum* pluries falſum inter ægros verſantes deprehendimus. *Ene-*

mata

mata e ſero lactis; vel lacte & ſaccharo parata, cæteraque emollientia & antihyſterica, haud inanem ſub hoc caſu operam ludunt. Suas laudes etiam merentur fotus & cataplaſmata emollientia regioni hypogaſtricæ admovenda; veſicæ lacte tepido turgidæ eidem parti impoſitæ, emplaſtra & epithemata antihyſterica umbilico dicata, ac demum cucurbitulæ interioribus femoribus affixæ. Præterea fricus in artubus inferioribus celebrantur, decocta emollientia in uterum injiciuntur, &c.

Ad contrarium *lochiorum* ſtatum, ſeu *uberiorem proventum*, multo minus periculoſum devehimur, qui ſub primo conſpectu ægre a naturali diſtinguitur, cum plures mulieres, ratione ætatis, temperiei & vivendi generis, ſtupendum lochiorum profluxum abſque noxa patiantur, dum aliæ illud diſpendium ægre ferunt; nec alio modo innoteſcit hæc ægritudinis ſpecies, niſi a bene perſpectis ſymptomatibus quæ poſt ſe trahit; inter quæ vulgatiora cenſentur imi ventris intumeſcentia, cum renitentia & dolore; viſus obnubilatio, lipothymiæ, convulſiones, tumor crurum œdematoſus, &c. Huic largiori lochiorum profuſioni occurritur calore, quiete & congrua diæta, cibis ſcilicet euchymis & incraſſantibus, vitellis ovorum, &c. quæ omne ſæpius punctum ferunt. Opportune etiam præcipiuntur temperantia & demulcentia; cichorium nempe, pimpinella & borrago, emulſiones, cremores hordei, oryzæ, &c. Egregia in pleriſque munia obeunt antihyſterica & anodyna; nec vetantur in re urgentiori adſtringentia, cum quibus tamen caute mercari expedit; ne intempeſtiva ſufflaminatione in pejus ruant ægræ. Premente neceſſitate, ad opium confugere fas eſt; ſed nitro ſociari debet, quod illius vim ſanguinem commoventem cicurando, anodynam prorſus intactam relinquit. Poſtremo notare juvat uberiorem lochiorum fluxum, hæmorrhagiæ inſtar, nonnunquam foveri a placentæ fruſto, aliove quovis corpore in utero recondito, cui medetur obſtetricantis manus.

(6) Infans in lucem editus, ſolito more curatus & ſomno inſtauratus, poſt quindecim vel viginti horas mammis maternis admovetur, ut exhinc eliciat alimoniam ſolo naturæ beneficio paratam, qua juxta naturæ normam exereta, omnia bene ſe habent. Sed quandoque uberior ſe profert, alias parcior; vel plane deficit. Ubi *majori lactis proventu*, haud ſine lactantium moleſtia, turgent mammæ, ita ut etiam a robuſtioribus infantibus depleri minime queant; præcipienda eſt diæta tenuis, ut minor chyli copia appellat ad hæc organa. Sunt qui ſub hoc caſu evacuantia diverſæ ſortis in uſum trahunt, ut alio deriventur humores ad mammas irruentes; nec infauſta eſt hæc methodus. Suas etiam merentur laudes quævis topica adſtringentia, necnon cauta mammarum compreſſio ad arcendam ulteriorem lactis ſecretionem. *Imminutæ lactis copiæ* conſulitur, cauſam qua ſiſtitur hæc ſecretio abigendo; ſed nonnunquam in obſcuris latet. Conſtat largiori cibo refocillandam eſſe nutricem alimentorum penuria debilitatam. Haud inutilem forte opem præſtant ſemina aniſi & fœniculi, aliaque conſimilia diuturno uſu quaſi comprobata. Nonnunquam demum prodeſt mammarum fricus cum panno aſpero, ut alias artes, apud inſciam plebem vigentes, miſſas faciamus.

A lactis motu verſus mammas quo tument & dolent, circa tertium, quartumve diem a partu, febricula quædam emergit, quæ *febris lactea* audit, & levi ſudore poſt biduum vel triduum in pleriſque, ephemeræ inſtar, ſolvitur. Nullam medelam expoſtulat, ſi rite fluant lochia, alias diutius protelatur, aliamque faciem induit; & opus eſt præſidiis medicis. *Lac*, uti ſupra notavimus, tanto ſæpius impetu irruit ad mammas ut *moleſtiſſimam expanſionem*, dolore ſtipatam, ſubeant hæc organa, in genuinam phlogoſim haud raro faceſſuram; ad quam procliviores eſſe mulieres, quæ nativum pabulum propriis infantibus denegant, nemo non intelligit; hanc morboſam mammarum conditionem præcavent diæta tenuiſſima, & fæcum alvinarum, congruo enematum uſu, evacuatio; quæ auxilia naturali lochiorum fluxui etiam egregie favent. Interea mammis admoventur lintea calida, identidem cum cautela renovanda, ne aeri frigido committantur hæc organa. Nec deſunt topica

pica a mulierculis, adversus utrumque affectum, decantatissima, qualia sunt petroselinum, apium palustre, mentha, cerefolium, brassica, farina fabarum, semina cumini vel coriandri, mel fæces vini, butyrum insulsum in aqua vitæ solutum, oleum menthæ, unguentum populeum, emplastrum diachylon, vel de spermate ceti, &c. quæ omnia nusquam despicienda esse censemus.

Hisce tamen auxiliis, tametsi diuturno usu comprobatis, minime fidendum: quapropter efficaciora in usum vocari debent remedia; *diuretica* nempe quæ lac mammis subducere solent, hujusce laticis devii motum ad renum incernicula dirigendo: hanc opem præcipue præstant terebinthina chia, cum pulvere asellorum; dummodo haud obstet nimia sanguinis incalescentia; sub quo casu vulgatiora sunt præscribenda; quæ recensere superfluum judicamus. Suas laudes merentur succus menthæ aut cerefolii; vel earumdem plantarum decoctum. Usus invaluit apud nonnullas mulieres ut potum ex avena, vel radice lapathi parent; quorum efficacia multiplici experientia comprobari videtur. Sed ubi *mammæ* siccæ supra modum *tument & dolent*, tundenda est vena, ut declinetur phlogosis. Plurimum etiam conferunt, cæteris consentientibus, cathartica blandiora, inter quæ præstare videntur arcanum duplicatum, sal Rupellense, cum aquis Vicensibus, &c. His omnibus incassum usurpatis ubera alumno, catellis, vel suctrici, sunt præbenda; & sic infarctui & doloribus brevi occurritur, donec cætera præsidia suum effectum exerant.

(7) Sæpius evenit ut posthabita, vel quavis adhibita cura, *lac sanguini remixtum* labem humorum massæ imprimat; e quo fonte innumeri & intricatissimi progerminantur morbi, eo magis pertimescendi, quo tardius in propatulum veniunt, & obscurior est horum indoles. *Lait epanche, ou repandu*, a nostratibus vocitatur hoc ægritudinis genus, sub qua se produnt materiæ cujusdam lacteæ, nunc intra folliculum collectæ, nunc contextum solidorum afficientis, in hanc vel illam partem decubitus: in apricum veniunt tumores externi, œdematis speciem præ se ferentes, renitentes, dolore stipati; ad phlogosim & abscessum nonnunquam vergentes: sed meris duntaxat conjecturis assequi licet labem mesenterii, thymi, pulmonum, &c. ejusdem causæ sobolem, quam designant varia symptomata, cachexia nempe scrophulosa, scorbutica, alteriusve indolis, leucophlegmatia, ascites, hydrops pectoris, alvi fluxus pertinacissimus, uberrimi sudores fœtidi cum urinis turbidis; in sultus asthmatici vel suffocationes, pulmonum tubercula, aliæve defœdationes; infarctus viscerum, furunculi, herpetes, aliæve eruptiones cutaneæ; dolores incertæ sedis & reconditæ naturæ, febres indomabiles, tremores & convulsiones, stupor & paralysis, &c. Hinc intelligitur quid mali portendat hic corporis status, ni mature ipsi occurratur. Hunc *præcavere* vel *impugnare* queunt diuturnus evacuantium multigenorum usus & congrua victus ratio: ideo præmissis venæ sectionibus, opportune præcipiuntur laxantia, diuretica & sudorifica; ut materia morbosa ad varia corporis emunctoria devehatur: egregiam opem conferunt serum lactis, nitrum, sal de duobus, magnesia, aquæ minerales, &c. De paregoricis, aliisve remediis singulos morbos, pro re nata respicientibus, nil addimus: nec de tumoribus externis & ulceribus hinc oriundis, quæ vulgatiori methodo submittuntur.

Quanquam hæc præsertim impendent infortunia puerperis, quæ pessimo sane consilio, a constituta naturæ norma recedunt, & matris munia obire negant: haud tamen hisce immunes censeri debent *lactantes*, vel nutrices, quæ ab stagnatione lactis intra mammarum tubulos phlogosim hanc vel illam horumce organorum partem obsidentem haud raro patiuntur. *Infarctum mammarum phlogodeum* æstu & dolore stipatum concomitantur febris nonnunquam vehemens, sitis, cephalalgia, spirandi difficultas, &c. Hunc promovent contusiones, animi pathemata graviora, frigus incaute admissum, &c. Ægre resolvitur hæc phlogoseos species, a lacte congrumato, ut inquiunt, soboleſcens; quin potius ad suppuratum vergit. Itaque latex purulentus in abscessum colligitur, nunc profundum, nunc extus erumpentem; qui

nus-

nuſquam fere declinatur, ſi inflammatio ultra quinque vel ſex dies producatur: nec raro a diuturniori puris mora in fiſtulam contumaciorem abit. Aliud inſuper impendet infortunium a prædicta ſanguinis ſtaſi; nempe skirrhus & carcinoma, de quibus mox dicendum.

Non ſecus ac aliæ inflammationes, venæ ſectionibus, tum in ſuperioribus, tum in inferioribus artubus celebratis, *reprimitur mammarum phlogoſis*: varia inſuper admoveri ſolent topica e reſolventibus, emollientibus & anodynis parata: inter uſitatiora & magis comprobata numerantur fotus ex aqua vitæ, vel aqua calcis cum ſale ammoniaco; vapor aceti conflagrati, cataplaſmata e farina oryzæ, tritici, ſecalis & melle confecta; terra cultrariorum cum oleo ſubacta, folia braſſicæ rubræ melle oblita, folia hyoſcyami ſub cineribus cocta, emplaſtrum diachylum cum gummis, vel de ſpermate ceti; ſacculi calidi ſale, ſulphure, floribus ſambuci vel chamæmeli repleti; veſica prædictorum florum decocto ſemi-turgida, pellis agni recens mactati, &c. alvus demum notiſſimis auxiliis ſervetur libera. Sed conſultius videtur ſub hac rerum conditione lactis appulſum ad mammas præcavere; alias procraſtinatur morbi curatio: in hunc finem uberibus imponi ſolent folia apii, petroſelini, cerefolii & menthæ, ſemina aniſi & feniculi, mel, axungia ſerpentis, oleum chamæmeli, unguentum de althæa, &c. Interea præcipue attendendum ad lochiorum fluxum, qui decantatis præſidiis egregie obſecundat. Ubi poſtremo nullæ circa quintum diem ſe præbent reſolutionis notæ, ad maturantia infra indicanda devenire expedit.

Inter leviores ſane quidem nutricum morbos recenſendæ ſunt *mammarum*, vel *papillarum rimæ & fiſſuræ*, quibus tamen nonnullæ torquentur ob exquiſitiſſimum ſenſum quo præditæ ſunt partes affectæ; imo & nonnunquam pertinaciſſima eſt hæc ægritudinis ſpecies; ni notiſſimis præſidiis præpediatur motus lactis ad mammas, & exhauriantur hujuſce laticis fontes. Sed alia primo eſt ineunda medendi via, quæ verſatur circa topica demulcentia & anodyna; hiſce viribus pollent butyrum vel cremor lactis, oleum ovorum, mucago ſeminum cydoniorum, &c. quæ excipiunt detergentia & exſiccantia, mel nempe roſatum, oleum myrrhæ per deliquium, unguentum album Rhaſis, pompholyx, emplaſtrum de ceruſſa, &c. Sed futilia ſæpius ſunt, uti jam innuimus, hæc præſidia, ſi nutrices ubera infantibus præbere pergant; cum haud dubitare liceat quin ab illa repetita ſuctione non ſolum hic foveatur morbus, ſed etiam exaſperetur.

(8) De tempore quo ſe prodit *febris miliaris puerperarum*, nil certi ſtatui poteſt; ſed plerumque cum febre lactea implicatur. Inter varia ſymptomata quibus ſtipatur hæc febris ſpecies, ſolitum typum præ ſe ferens, ominoſa cenſentur dolor capitis gravativus cum tinnitu aurium, ſuffocatio, pulſus debilis & inæqualis, &c. Haud levem metum incutit ſub hac conditione alvi fluxus, ob imminentem lochiorum ſuppreſſionem: plures neci dat delirium, vel in maniam vix domabilem faceſſit; tunc rem, quocumque modo ſe vertat, in ancipiti verſari facile intelligitur. Quod curationem ſpectat, pluris habentur temperantia, & depurantia: cichorium nempe, borrago, cerefolium & naſturtium; quibus præmiſſis proficue ſæpius adhibentur diaphoretica & cardiaca; inter quæ primatum ferme ducit kermes minerale: cavendum tamen ne ægras refocillando ſanguis plus æquo concutiatur, & omnia in pejus ruant. In uſum etiam pro re nata vocari queunt abſorbentia, non ſecus ac hypnotica; ſed ſolerti manu pertractari debent hæc poſtrema, quæ ſæpius, haud ſine decumbentium periculo, morbum quodam velamine obducunt.

De *venæ ſectionibus* multum inter ſe diſſident clinici: pluribus enim arridet ſaphenæ ſectio, quam tamen praxi edoctus haud citra periculum celebrari facile crediderim, ob metum inflammationis abdominis, quam ſæpius hanc ſanguinis detractionem preſſo pede ſequi experientia conſtat. Haud tamen plane vetari debent venæ ſectiones ſub hoc morbo, ſi vires ſinant, & urgeant graviora ſymptomata: ſed metus eſt ne depletis vaſis œconomiæ animalis ſalubria pervertantur conamina;

quid

quid enim mali hiſce deficientibus impendeat, nemo non videt. Nec minus pertimeſcenda cathartica acriora: comprobantur vero laxantia blandiora; non ſecus ac enemata emollientia & demulcentia, quorum ope alvus ſervatur libera, & lochiorum fluxui favetur. Præclaram poſtremo opem conferunt veſicatoria coxis & cruribus admota, quoties caput vel ſenſorium commune grave læditur: nec minus levamen impertiuntur erga pectus plus æquo impeditum prædicta topica; adeo ut inter præſtantiora remedia ſub hac rerum conditione numerari debeant.

(9) Supereſt ut de *affectu hyſterico puerperis familiariſſimo* breviter agamus; qui morbus proteiformis falſum terrorem ſæpius incutit: etenim innumera ex hoc fonte prodeunt ſymptomata, e quibus male perſpectis in errorem, haud raro lethiferum, præcipites ruunt incauti vel imperiti: imo & ſæpius evenit ut hujuſce phænomeni genuina indoles ipſiſmet mulierculis apertius eluceſcat, quarum increpationibus ab infelici & intempeſtiva medela nonnunquam deſiſtere coguntur vel pervicaciores, affinitate decepti. Nec ſub hac rerum conditione diverſam expoſtulat curationem inſultus puerperarum hyſtericus, quam ſupra tradidimus: ideo huic ſuperſedere haud incongruum judicamus, ne crambem recoctam apponamus.

MAMMARUM MORBI.

PRæter cauſam e ſupra traditis lactis vitiis depromendam, aliæ occurrunt virginibus & mulieribus communes, quæ affines læſiones, phlogoſim nempe & abſceſſum, ſkirrhum & cancrum promovere queunt: de quibus ſigillatim pro inſtituti ratione breviter differere operæ pretium judicamus: ſed priuſquam ulterius progrediamur; haud abs re erit nonnulla præmittere de *mammis virginum fororiantibus*; licet prædictorum organorum ſub pubertate incrementum a conſueto rerum naturalium ordine minime alienum e morborum albo expungi debeat. Irruunt humores ad ubera pubeſcentium vel nubilium; ita ut exhinc emergat dolor, de quo nonnullæ virgines delicatulæ conqueri coguntur. Huic occurritur congruo regimine & partem affectam probe cooperiendo: adhibentur venæ ſectiones, ſi dolor mammarum increſcentium acutiſſimus evadat: nec inutilem ſub hoc caſu opem præſtant cathartica. Per tranſennam notandum *nonnullos* reperiri *pueros*, qui ſub idem tempus, ſimilem ferme in mammis patiuntur expanſionem, quodam dolore etiam ſtipatam; cui haud alia arte conſulitur. His præhabitis expedit, ut propoſitum perſequamur.

(1) Præter lactis moram & concretionem in puerperis, de quibus ſupra, cauſam internam raro admittit *mammarum infarctus*, vel *inflammatio*: ſed ſæpiſſime a quavis contuſione trahitur hæc phlogoſeos ſpecies, quam concomitantur æſtus, dolor & renitentia; imo & ſæpius febris excandeſcit. Reſolutione ægre judicatur; ſed plerumque in ſuppuratum abit; ni skirrhi & cancri naturam induat. Curatio pro more a venæ ſectionibus auſpicatur; dein danda eſt opera ut ſanguis remediis alibi traditis attemperetur. Sed circa topica verſatur præcipua medela; inter quæ ſelectiora audiunt emplaſtrum de ſpermate ceti, quod demulcendi & reſolvendi vi pollere videtur; ſal marinum urina imprægnatum & ſacculo concluſum, cataplaſmata e floribus ſambuci, mica panis, farina fecalina, aliiſve tum reſolventibus, tum maturantibus, confecta, qualia tradidimus adverſus inflammationem a lactis ſtaſi progenitam. Ubi vero quadam prominentia, fluctuatione, aliiſque ſignis ſe prodit *abſceſſus*, mera emollientia & maturantia imponi debent: præter vulgatiora cataplaſmata, laudatur emplaſtrum baſilicum, divinum, &c. Ubi de puris debita confectione conſtat, phlebotomo incunctanter incidi debet abſceſſus, ne tabum, ſua mora foveas cudens, fiſtulam promoveat: ulcus denique ſolita methodo pertractatur. Sunt qui velint cauterium prædicto abſceſſui admovere, ſed dubius hic curandi ritus a ſanioribus abdicatur.

(2) Inter morbos frequentiores & calamitoſos recenſetur *skirrhus mammarum*, tum totius corporis glanduloſi, tum unius vel alterius glandulæ; ob ſcilicet imminentem cancrum: nec integram ſecuritatem parit hic tumor mobilis & indolens, cuti-

tique concolor; cum plura obſerventur carcinomata, quæ ſub primis temporibus eamdem faciem referebant. Imo & illuc res rediit, ut plures haud infimi ordinis, quemvis mammarum tumorem contumacem pro cancro habeant; quod nec rationi, nec experientiæ conſentaneum videtur; cum innumeræ occurrant mulieres quæ prædictum mammarum infarctum, certis cancellis coercitum, leveque incommodum parientem, per totum vitæ curriculum geſtant: quem affectum (*glande au ſein*) vocitant Noſtrates. Mammarum skirrhus, circa quadrageſimum quintum vel quinquageſimum ætatis annum ſæpius ingruens, a menſium ſuppreſſione *proſapiam* ducere ſolet; alias a contuſione progerminatur: huic præſertim obnoxiæ cenſentur melancholicæ, curarum æſtu fluctuantes & ærumnoſæ. *Periculoſam* eſſe quamvis *curationem externam* vulgo fertur; quod tamen non impedit quominus emollientia & reſolventia a pluribus admoveantur, emplaſtra ſcilicet de mucaginibus, de ſpermate ceti, de cicuta, de Vigo, diabotanum, &c. Nec infauſta eſt hæc methodus, præmiſſis præmittendis, *demulcentibus* nempe *iuternis* & *temperantibus*; inter quę præſtantiora audiunt lac, ejuſque ſerum, cichorium & borrago, naſturtium aquaticum & lapathum, &c. Nec inutilem opem conferunt aperientia & incidentia refracta doſi & cum cautela exhibita, qualia ſunt ariſtolochia, aſelli, flores martiales ſalis ammoniaci, præparata mercurialia, &c. Haud dubitare licet quin skirrhus recens hiſce præſidiis ſæpius cedat; ſed omnibus obſurdeſcit annoſus, & ſola extirpatione vincitur. Inter utriuſque curationem angue pejus vitanda ſunt maturantia, quæ lethalem noxam inferre experientia quotidiana teſtatur.

(3) Parum diſcrepat ab skirro *cancer occultus*, vel nondum apertus; utrumque per triginta annos & ultra nonnunquam geſtari abſque moleſtia apud omnes fere in confeſſo manet: ſed ſi intempeſtivis topicis proriretur *cancer*, brevi *in ulcus horrendum faceſſit*: hunc infauſtum eventum etiam in pleriſque promovet menſium fufflaminatio. Luctuoſam cancri expanſionem minatur pruritus inſolitus, dolores acuti & pulſantes, tumoris livor, tumentes venæ circa ambitum nodoſæ, & febris excandeſcentia. Interea ichor acerrimus & virulentus a tumore exudat, ac ſenſim excavatur ulcus ſordidum & phagedænicum, e cujus lateribus prodeunt carnes fungoſæ, quæ putredine abſumptæ brevi repullulant. Inſuper invertuntur ulceris labia & calloſa evadunt; ac nonnunquam erumpunt hæmorrhagiæ vix ſiſtendæ: ex ſtupendo demum hujuſce diri morbi incremento luce clarius patet ejus indoles. Tametſi cancrum mammarum plane indomabilem eſſe experientia conſtat; nonnulla tamen experiri licet *præſidia*. Opitulatur nimirum diæta lactea, vel quævis alia affinis. Suas laudes merentur ſerum lactis, vel aquæ minerales, ut inquiunt, acidulæ; nonnihil proſunt temperantia, hepatica, diaphoretica, &c. quæ etſi curationem raro promovent, haud tamen inutilem operam ludunt, inducias ſcilicet agendo & fatum procraſtinando. Sed cæteris auxiliis internis palmam forte præripiunt *antiſeptica*, & præſertim cortex peruvianus a clariſſimo DE HAEN, praxeos diligentiſſimo excultore, haud immerito deprædicatus. Haud deſunt alia celebratiſſima remedia interna ſupra tradita, dum de cancro generatim ſcilicet agebamus; de quorum tamen efficacia dubitare licet: inter quæ primatum ſane ducit cicuta a famigeratiſſimis Practicis ſumme decantata; de cujus tamen viribus ſub noſtro cœlo nondum conſtat.

Innumera etiam proſtant *topica*, quæ tempeſtive, præmiſſiſque præmittendis, adhibita, plures ſane fauſto bearunt eventu, belladona, cicuta, hyoſcyamus, geranium Robertianum & nicotiana; radices dauci ſativi, ſymphyti & ariſtolochiæ, mel aqua papaveris rubri, plantaginis vel roſarum, dilutum, ſabina, præcipitatus albus vel ruber, arſenicum, viride æris, ſublimatus corroſivus, aliaque cathæretica ab agyrtis venditata, quæ tamen gravem noxam inferre valent, ni ſolerti manu tractentur. Porro incaſſum adhibitis hiſce auxiliis, expedit ut cauterii vires explorentur: alias unica ſalutis ſpes verſatur circa tumoris, ab omni viciniorum partium nexu liberi, *extirpationem*: ſed infelicem habet exitum hæc operatio, ſi tu-

mor subjacentibus musculis hæreat, si glandulæ axillares infarctæ & tumidæ se præbeant: nec rite succedit, si sanguis & humorum massa quodam viru inquinentur, cum delitescens hæc causa serius ocyus post sublatum tumorem, alterius progerminationem foveat: hoc præcavetur infortunium congrua victus ratione, cauto blandiorum catharticorum usu, temperantibus, depurantibus, diaphoreticis, aliisque remediis alibi traditis, quæ morbi fomitem impugnare queunt.

MORBI GENITALIUM.

IN hunc sensum veniunt *fluor albus*, & gonorrhœa, satyriasis, vel *furor uterinus*, *uteri inflammatio* & *skirrhus*, *ulcus* & *cancer*, *ejusdem visceris* & *vaginæ prolapsus*, ac demum *graviditas notha*, quæ non solum comprehendit diversas molarum solidarum species, sed etiam aeris, aquæ vel sanguinis collectionem, quę sępius graviditatem ita mentitur, ut vel solertiores decipiantur, præsertim si primus conspectus præbeat mendacio fidem. De hernia uteri sub graviditate supra actum fuit; de rhagadibus, verrucis, condylomatibus, &c. utrumque sexum infestantibus, alibi etiam mentionem subjecimus. Pravas uteri & vaginæ conformationes, tumores, aliasque prædictarum partium obturationes, quæ liberum catameniorum fluxum præpediunt, & generationis muniis obstant, etiam prætermittimus; cum hæ omnes læsiones organicæ inter sterilitatis causas, suo loco traditas, recenseri debeant.

(1) *Fluor albus*, Nostratibus (*fleurs blanches*), virgines & mulieres, intra vel extra conjugium viventes, vel utero gerentes, invadit. Raro ante pubertatem ingruit: haud tamen plane immunes sunt puellæ vel quatuor annorum. Nunc continuus, nunc intermittens, lacteus vel lymphaticus, serosus vel mucosus; nonnunquam cruentus, vel purulentus, alteriusve indolis, quam produnt inspecta linteamina; inter fluxum catameniorum plerumque sistitur. Nonnunquam statis temporibus ante & post fluxum menstrualem erumpit; alias nullo ordine recurrit. Urina, vigente fluore albo, sedimentum præbet quasi pituitosum, vel innatantes floccos congeneres. Non secus ac gonorrhœa, pruritu & stanguria, sed mitioribus, stipatur hic affectus, cujusdam cachexiæ particeps, quam produnt in plerisque lassitudines spontaneæ, dolores lumborum gravativi, crurum inquietudines, cibi fastidium, faciei pallor, tumentes palpebræ & œdema partium inferiorum. A labe etiam scorbutica sæpius promovetur fluor albus, vel ab ipsamet lue venerea suam ducit scaturiginem: sed a genuina gonorrhœa discrepat tum ratione sedis, tum respectu indolis; licet prima fronte proxime accedant prædicti affectus; adeo ut vel oculatiores decipiantur. Verumtamen latex in fluore albo erumpens post catamenia uberior, blandus & inodorus sub primis temporibus se profert; sed successu temporis tantam fœtiditatem et acredinem contrahit, ut viciniora erodat; unde oriuntur ulcera, quæ quaquaversus propagantur, nec utero parcunt.

Hinc patet quantis difficultatibus prematur illius morbi *diagnosis*: adde quod usus ferme invaluit apud mulieres primi subsellii, ut gonorrhœam virulentam, morbum indecorum et obscœnum, pro fluore albo, affectu haud ignobili, habere velint; adeo ut qui ex harum intricatissimo relatu, et raro candido, verum a falso extricare animo intendunt, lucem in tenebris quærant. Ubi vero, quod sæpius evenit, implicantur prædicti affectus, res est sane altioris indaginis. Suis tamen signis internoscitur uterque affectus, dummodo tamen ægræ nil percontantibus celent. Præter jam tradita cachexiæ signa, probe attendendum ad naturam exudantis laticis qui sub primis temporibus fluoris albi, pituitam mucosam, blandam et inodoram, colorem subalbicantem, vel pallido-luteum præ se ferentem redolet: sed procedente morbo, acrior et fœtens, uti jam innuimus, evadit. Præterea, intermissionem, erumpentibus catameniis, patitur fluor albus, qui alias his imminentibus exasperatur. Gonorrhœam vero concomitantur pruritus & stranguria, quibus raro stipatur fluor albus: stillans sub gonor-

gonorrhœa latex, primo parcior, albicat; dein colorem ſubluteo-viridem induit, puriſque acrioris nonnunquam fœtentis faciem præ ſe fert. Gonorrhœa inſuper fluentibus menſibus haud ſiſtitur, eo quod ſedem habet circa urethræ ambitum, dum vagina & uterus fluorem album ſuppeditant. Gonorrhœa paulo poſt coitum cum viro inquinato in propatulum venit; & intra quadraginta vel quinquaginta dies tempeſtivis remediis impugnata, ſenſim judicatur: pertinacior vero eſt fluor albus, & ad annos protelatur. Ulcus demum uteri, fluxum ſuppeditans a fluore albo vix diſcrepantem, doloribus acerbiſſimis & latice pejoris notæ, præter ſigna alibi tradita, innoteſcit.

Inter morbos *contumaciſſimos* & curatu difficiliores jure numeratur *fluor albus*, præſertim in mulieribus libidinoſis, quæ hinc ſteriles evadunt: periculo tamen vacat fluor albus recens, nullo dolore ſtipatus, parciori copia ſtillans, ac nonnullas intermiſſiones ſubiens. Aliter vero ſe res habet de annoſo, continuo, moleſto, & uberiori proventu erumpente; ſub qua rerum conditione, mulieres quamdam gonorrhœæ ſpeciem intra ſeptem circiter dies ſolvendam viris impertire poſſe, vulgo fertur; quod ſane, etſi rationi minime abſonum videtur, accuratiori tamen ſolertiorum examini ſubmittendum eſſe cenſemus. Indomabilis fere evadit fluor albus circa quadrageſimum quintum aut quinquageſimum ætatis annum, poſt ſcilicet fluxus menſtrualis abſolutam periodum, & præſertim in provectiore ætate, & cachecticis: ſæpius enim ſub id tempus maraſmum & ulcus uteri minatur; inter quod infortunium nonnunquam erumpunt hæmorrhagiæ vix compeſcendæ, quæ nonnullas mulieres ad libitinæ rationem ducunt. Non raro tamen ſalutare eſt illud profluvium quibuſdam cachecticis; cum hac ſentina, æque ac e fonticulo varii latices pravæ indolis, vel ſanguinis & humorum ſordes exitum ſibi parent, quæ alias ſummam labem viſceribus impertirentur. Poſtremo fluor albus hæreditarius, vel a pueritia contractus ſterilitatem poſt ſe trahit.

Innumeris propemodum *cauſis* atra plerumque caligine immerſis, ſubmittitur fluor albus; cui obnoxias eſſe mulieres curarum æſtu fluctuantes, mœrore confectas, vitamque ærumnis aſperam trahentes, experientia conſtat. Hunc etiam promovent aer nebuloſus, variis halitibus inquinatus; incondita victus ratio; multigena ſanguinis & humorum labes, hæreditaria vel adventitia; virus nempe venereum, ſcorbuticum, ſcrophuloſum, &c.; diatheſis hyſterica, menſes inordinati, partus difficilis, abortus, hæmorrhagia uteri, aliique prægnantium & parturientium morbi; ac præſertim lochiorum uberior proventus, vel intempeſtiva ſufflaminatio; peculiaris demum & morboſa uteri diſpoſitio, quæ ægre dignoſcitur: nec facilius innoteſcunt quædam viſcerum læſiones quæ haud raro hunc fluxum impertiuntur & fovent.

Cadaverum ſcrutatio hujuſce intricatiſſimi morbi indolem parum elucidat: quidquid enim inter diſſectionem oculis ſubjicitur, nil aliud eſt quam effectus morboſus e genuina cauſa multum diſcrepans: id genus ſunt uteri, ovariorum, tubarum, cæterarumque partium generationi famulantium læſiones; horumce nempe organorum infarctus, vel inſolita craſſities, exulcerationes, putreſcentia, gangræna, &c. Nec major lux affulget ex introſpectis viſceribus, quæ diverſimode labefactata ſe præbent; hepar præcipue inter abdominalia ſæpius peſſumdatum deprehenditur: varia etiam annotatur ſpurcities in omento & renibus, ut de cæteris nil addam.

Ardua, uti ſupra inculcavimus, & intricata eſt *curandi methodus*; nec mirum, ſi infauſta ſuccedat, cum hujuſce morbi radices ægre præcidantur. Raro congruit venæ ſectio, ni adſint plethoræ indicia. Opportune, ineunte cura, præſcribuntur emetica; ipecacuanha ſub hoc caſu cæteris præſtare videtur. Cautus debet eſſe catharticorum uſus, inter quæ magis comprobantur rheum & mercurius dulcis. Sed præcipuus curationis cardo verſatur circa temperantia & depurantia; cichorium nempe, agrimonia, hepatica, lingua cervina, lapathum, naſturtium, alchymilla & hypericum, cancri fluviatiles, ſerum la-

ctis, vel ipsummet lac, &c. Sed his procul dubio palmam præripiunt aquæ minerales, Vallenses nempe, Forgienses, Merienses, Plumberianæ, Borbonienses, Anselmienses, Vicienses, Bellilucanæ, Amandinæ, &c. Proficue etiam adhibentur stomachica & absorbentia, si haud rite perficiantur digestiones, uti sæpissime accidit sub vitrea valetudine, & post morbos acutos; in hunc censum veniunt cerefolium, melissa, abrotanum, absinthium, chamædrys, flores chamæmeli & rorismarini, enula campana, rheum, baccæ juniperi, catechu, corallium, &c. Haud exiguam etiam laudem pro re nata merentur sudorifica & aperientia; scilicet salsa parilla & china radix, camphora, gummi ammoniacum, aselli, sal glauberianum, arcanum duplicatum, aqua calcis cum lacte mixta, martialia, antimonialia, &c. Conferunt denique antivenerea, antiscorbutica, &c. si cujusdam humorum labis moveatur suspicio.

Missee remediis, quæcumque sit horum efficacia, raro obtemperat fluor albus; adeo ut ægre exhauriatur illud stillicidium, ni curationem claudant *adstringentia* & tonica *interna*, quæ vasorum vires firmando, organorum atoniæ medentur: sed haud nisi post diuturnum præmittendorum usum tuto adhiberi queunt prædicta medicamina, ne intempestiva sufflaminatione ægrotantium res in pejus ruant. Nec vetantur sub eadem rerum conditione adstringentia *externa*, herbæ nempe vulnerariæ, agrimonia, plantago, consolida major, mel, &c. e quibus parantur decocta, injectionum beneficio, parti affectæ admovenda. Nonnullis arridentsuffumigia cum olibano, succino, tacamahaca, mastiche, &c. parata: sed haud nisi summa cautela adhiberi debent sub fluore albo jam diuturno; anginam enim, pectoris abdominisve inflammationem, febrem purpuratam vel lentam, arthritidem, hydropem, phthisim, &c. ab intempestiva sufflaminatione sæpius promoveri, apud omnes praxi edoctos in confesso manet.

(2) *Gonorrhœam muliebrem* sæpius pro fluore albo haberi, jam supra notavimus: signaque, quibus uterque morbus dignoscitur, tradidimus. *Gonorrhœa recens contracta*, & inter morbos acutos numeranda, evidentissimis signis se prodit paucis post diebus a concubitu impuro: madent scilicet genitalia insolito rore, haud sine quodam pruritu: dein accedunt calor & ardor in sinu pudoris; nonnihil tument vulvæ labia & ipsæmet nymphæ; molestus fit coitus ægris, etsi tentigine laborant; ac mictus difficilior & ardens evadit. Interea copiosior fit fluxus genitalis, acer & mordax, flavus & subviridis; dein subcruentus & purulentus; & seminalis humoris corrupti faciem præ se ferens. Sub morbi remissione mitescit dolor; latex genitalis fit candidior; & flocci quidam pituitosi annotantur in urinis; donec plane cesset illud profluvium.

Gonorrhœa vero chronica vix discrepat, primo intuitu, a fluore albo, ni apprime attendatur ad sedem morbi, quæ sub gonorrhœa versatur in genuinis seminis conceptaculis, circa viciniam urethræ, quę ulcerosam labem sæpius contrahit. Autopsia cadaverum constat prostatam, aliasque glandulas prope urethram sitas, inquinari sub gonorrhœa, inculpatis utero & vagina, si excipias pudoris sinum: hinc patet cur gonorrhœa laborantes concipere, prolemque sanam edere valeant; dummodo tamen morbi diuturnitas luem veneream minime accersat, quod sæpius accidisse tam in feminis, quam in viris, tradit observationum chorus. Præterea uberior est fluxus a fluore albo, quam in gonorrhœa; in hac, continuus; in illo, inter decubitum suppressus; cum ob situm horizontalem moram trahat in vagina latex morbosus; qui hinc mane, ubi a cubili stant, copiosius erumpit. Fluore insuper albo laborantes, de quadam molestia in lumbis plerumque conqueruntur, cujus immunes censentur gonorrhœa conflictati. Ubi vero annosi implicantur prædicti affectus, uti sæpe evenit, Œdipo opus esset. Non secus ac in viris primum phlogosi & ardori congruis & notissimis præsidiis consulendum; dein mercurialibus, catharticis & sudorificis, domandum vel foras abigendum venit virus venereum: ac demum temperantibus, aperientibus mitioribus, diureticis, traumaticis, &c. de quibus supra, absolvitur cura.

(3) Eius-

(3) *Furor uterinus* vel satyriasis est, uti nemo nescit, inexplebilis coeundi cupiditas, qua scilicet tum virgines, tum mulieres œstro venereo percitæ, in amplexus viriles, omni deposito pudore, intemperanter ruunt; quibus denegatis, crebras patiuntur pollutiones; tam vigilantes, quam dormientes, vel in umbra voluptatis ludunt. Quæ vero pudori litant, tacita Veneris cupiditate ardentius flagrant: adeo ut eo magis sæviat hic affectus, quo accuratius tegitur. A furore uterino multum discrepat hæc salacitatis species quæ ab stupenda clitoridis mole pendet, quæ ubi libidinis æstu fervet, vel tentigine corripitur, mentulam virilem quasi æmulatur; unde lascivæ illæ mulieres, *tribades* dictæ, alias ejusdem sexus quas depereunt, subigere tentant, atque haud sine nefanda voluptate inanem virilium muniorum speciem obire queunt. Haud semper, ut ad propositum revertamus, obscœnis sermonibus & turpibus factis, in propatulum venit furor uterinus, cum plures a pudore & verecundia minime liberæ, hunc turpissimum statum occultare studeant, & suæ turpitudinis conscia, nefandum æstum reprimere conentur. Ad satyriasim *proclives* censentur temperamento sanguineo donatæ, virgines juvenes & viro maturæ, vel mulieres libidinosæ & opipare viventes, viduæ aut frigido seni conjunctæ: cæteris tamen ætatibus minime parcit hic affectus, cum prostent exempla nonnullarum mulierum, circa sexagesimum vel septuagesimum ætatis annum hoc turpissimo morbo correptarum: de puellarium annorum hoc affectu hæreditario conflictata mentio etiam subjicitur. Hunc fovent lectiones, confabulationes vel cogitationes venereæ, cibi euchymi & acriores, ac præsertim frequens mastuprationis usus. Raro periculosa est satyriasis, quæ tamen tantas sæpius exacerbationes patitur, ut mulieres Veneris impotentes in furorem rapiantur, quosvis obvios ad amplexus venereos sollicitent, ac cunctantes pugnis & unguibus impetant, sinum pudoris petulcis digitis perpetuo contrectando, donec maniacæ evadant, & vinculis coerceri debeant, ne violentas manus sibi, vel adstantibus, inferant. Exhibent cadavera uterum inflammatum, clitoridem mole ampliorem, tubas & ovaria diversimode labefactata, phlogosim nempe, purulentiam, steatomata, hydatides, skirrhos, &c. renes etiam stupendæ magnitudinis deprehenduntur, &c.

Præmissa diæta congrua, præsentaneam opem ferunt *venæ sectiones*, tum in brachiis, tum in pedibus celebratæ. Multiplici enim observatione constat hunc morbum solvi, & veneris sensum retundi ab uberiori mensium vel hæmorrohidum profluvio. Depletis vasis fauste usurpantur emetica; proficue etiam identidem adhibentur cathartica blandiora: sed larga manu exhiberi debent refrigerantia, lactuca nempe, cichorium, portulaca, viola & nymphæa, emulsiones, serum lactis, sal prunellæ, aliaque anti-aphrodisiaca. Raro conducunt sedantia narcotica; sed pluris habentur camphora, succinum, castoreum, sal sedativum, &c. Juvant tartarus, martialia, aquæ chalybeatæ, cæteraque emmenagoga, si suflaminentur menses: nonnunquam etiam opitulantur absorbentia. Suas laudes demum merentur varia alia præsidia adversus phrenitidem & maniam adhiberi solita. Nec despicienda, inter *remedia externa*, enemata ex oxycrato parata, aliave refrigerantia; sed cæteris antecellunt balnea subfrigida domestica, quibus crebro pro viribus insidere debent. Ut nil addam de monitis & adhortationibus, increpationibus & minis, omnibusque remediis ex ethicæ sinu petitis, quæ multis optime cedunt, dummodo tamen morbus ad acmen minime pervenerit.

(4) Inter morbos graviores numeratur *uteri phlogosis*, frequentior sane quam vulgo fertur apud clinicos, quos plerumque latet, etsi prostat ejus historia apud varios Auctores. Non desunt tamen spectabilia hujusce morbi *signa*, molestissimus nempe hypogastrii æstus, ejusdem regionis renitens prominentia totum abdomen sæpius occupans, lumborum, inguinum & coxarum dolores, qui a levi corporis motu exacerbantur, & ad dorsum, scapulas & ultra propagantur; febris ardens cum pulsu inæquali, horroribus inordinatis, os aridum, spirandi difficultas, cardialgia; lipothymiæ, dolor capitis in fundo orbitæ

sæ-

sævissimus, stridor dentium, delirium & convulsiones, quibus addere licet stranguriam, tenesmum, nauseas & singultum, tumentium mammarum dolores, mensium & lochiorum suppressionem, &c. Sed sub diversis gradibus se profert hic truculentus morbus, ratione scilicet phlogoseos, nunc totum uterum, nunc exiguam hujusce visceris partem occupantis. Rarissime resolutione judicatur hic dirus affectus, qui in plerisque accedente gangræna, *feralem* intra septimanam habet *exitum:* alias diutius protelandus hic infarctus in suppuratum abit, vel in skirrhum, cancrumve exulceratum, de quibus infra, facessit: hæc exhibent *introspecta cadavera:* reperiuntur etiam ovaria, tubæ, partesque viciniores pari labe defœdata, ut de cæteris visceribus diversimode labefactatis nil addam. Ad uteri inflammationem proclives censeri debent mulieres floridæ ætatis, & temperiei sanguineæ: *hanc promovere* solent lapsus ab alto, vel quævis alia contusio, animi pathemata vehementiora, catameniorum subitanea sufflaminatio, abortus, lochiorum suppressio, secundinarum retentio, aliique morbi a difficili vel infausto partu oriundi & supra traditi.

In tempestiva vasorum sanguineorum depletione versatur præcipuum *curationis momentum*; ideo incunctanter tundenda est vena, & pluries iterari debent venæ sectiones, quæ tamen haud ultra tres vel quatuor primos morbi dies protelari debent. Interea larga manu propinantur diluentia & demulcentia, serum nempe lactis vel aqua pulli, infusa florum malvæ, seminum lini, &c. Suas laudes etiam merentur oleum amygdalarum dulcium, sperma ceti, aliaque affinia. Conducunt laxantia blandiora, sed vetantur cætera cathartica. Nonnullis prosunt antihysterica & paregorica; sed caute mercandum cum narcoticis. Cætera remedia quæ pro re nata, vel ratione morborum implicatorum in usum trahi queunt, silentio prætermittimus. Quoad externa, præsentaneam opem ferunt enemata refrigerantia & demulcentia, e jusculo omasorum, sero lactis, aqua pulli, emulsionibus, &c. parata. Proficue etiam admoventur fotus & cataplasmata emollientia. Huc demum pertinent quæcumque auxilia quæ adversus alias inflammationes internas adhiberi solent.

(5) Ordinis ratio expostulat ut ad *skirrhum uteri*, obstructionis vel inflammationis sobolem, deveniamus. Multum curantibus faceſſit negotii hic affectus, quem meris duntaxat conjecturis sæpius assequi valent. Haud desunt tamen *indicia*, quibus rite perpensis, aliquid certi statui potest: videlicet, ubi de prægressis infarctu & phlogosi constat; morbi characterem exhibent prominentia & pondus in regione hypogastrica, cum dolore gravativo circa podicem, & quadam mingendi difficultate, de quibus conqueri solent ægræ; lumborum, iliorum & crurum obscurus dolor, parcus vel inordinatus mensium fluxus, horum suppressio, vel stupendus proventus. Insuper skirrhus uteri, non secus ac cæterorum viscerum, ascitem vel leucophlegmatiam infert, accessusque febriles post se trahit. Haud dubitare licet quin sub primis temporibus expugnari & evinci queat hic affectus: sed ut plurimum, uti supra innuimus, atra caligine obruitur, ac demum se prodit, jam *immedicabilis* evasit, sæpiusque sub hac conditione ulceris cancrosi naturam induit.

Constat e relatu naturæ rimatorum skirrhum uteri frequentiorem esse quam vulgo cogitatur; quibus autopsia satis superque edocti assentimur. Exhibent enim *secta cadavera* uterum, non solum densiorem & firmiorem vel cartilaginis speciem referentem; sed etiam ossium vel lapidum duritiem fere æmulantem, adeo ut vix scalpello incidi patiatur. Varia insuper deprehenditur uteri skirrhosi moles: sæpius scilicet a naturali minime recedit, imo & contractus nonnunquam conspicitur; alias deformis occurrit & stupendæ magnitudinis, adeo ut prostent exempla uterorum qui triginta vel quadraginta librarum pondus æquabant. Infarctui skirrhoso etiam obnoxia sunt ovaria, & dilucidius sane innotescit hic morbus, summe, uti nemo nescit, familiaris, sed diversum habens exitum.

Ægre sane *distinguitur cancer ab ulcere uteri*, ni pro uno eodemque morbo, uti nonnullis visum fuit, consultius habeantur.

tur. *Ulcus uteri* accersunt fluor albus annosior, violenta placentæ extractio, vulnus ab unguibus vel obstetoris instrumento inflictum, fœtus putrescens, &c. Fovetur a lue venerea, scrophulis, scorbuto, &c. Celebrior est hujusce diri morbi progressus sub menstruatione, quam post ejus absolutam periodum. Hunc produnt dolores acerbissimi & lancinantes, qui non solum sæviunt in regione hypogastrica, sed etiam viciniora, lumbos scilicet & coxas obsident, lateque se spargunt: hos concomitantur eluvies saniosa, purulenta & fœtidissima, quæ sæpius tantam contrahit acredinem, ut vulvam & viciniora erodat. Præterea erumpunt hæmorrhagiæ & crebro recurrunt: suam tyrannidem exercent tenesmus & stranguria, exsurgit febris lenta cum inordinatis exacerbationibus, &c. Colligitur ultimo e *cadaveribus evisceratis* uterum ulcere & cancro tactum, putredine & gangræna sæpissime confici: ad viciniores partes propagatur hæc labes, quam presso pede sequitur ascites, ut plurimum sanioſus & purulentus, vel fœtidissimus, qui scilicet quamvis salutis spem excludit.

Omnes Medicorum artes evincere solent *skirrhus* & *cancer uteri*: inanem enim operam ludunt aperientia & incidentia, vulneraria & detergentia exquisitiora, interna vel externa; eo quod serius quam par est, uti supra notavimus, in usum trahunt. Haud desunt tamen exempla variarum curationum, apud Auctores infimi subsellii, penes quos sit fides. Quare nil impedit quominus, servatis servandis, explorentur prædicta *auxilia*; quibus, uti mos est, incassum adhibitis, *curæ* mere *palliativæ* inhærendum. Hæc versatur circa lacticinia, cremores hordei & oryzæ, emulsiones, cæteraque demulcentia; in eumdem scopum proficue adhibentur aquæ minerales frigidæ, quæ lacti sociari queunt. Juvamen præstant pro re nata, absorbentia; magnesia scilicet, lapilli cancrorum fluviatilium, &c. Sed omne punctum ferunt hypnotica, quæ inducias impetrando dirum huncce morbum quodam velamine obducunt. Quidpiam etiam ferunt solatii balnea & semicupia, enemata emollientia, injectiones demulcentes, anodynæ, vulnerariæ & detergentes, suffitus ex styrace, succino, aliisve consimilibus, parati, &c.

(6) *Vaginæ prolapsus* frequentissimus, partum difficilem plerumque sequitur. Hanc etiam partem inferiora versus deturbant validiora corporis conamina, vel ponderum graviorum elevatio, saltatio, tussis vehemens, ingensque clamor. Promovetur demum ab hydrope, fluore albo, calculo vesicæ, &c. parum sub primis temporibus protuberat vagina e sua sede depulsa: sed sensim increscit hic tumor, adeo ut ingens quandoque e pudendis propendeat, basi foramine pervia, nec raro ad medias coxas accedit, vel caput virile æmulatur. Mulieres respicit vaginæ procidentia: haud tamen ab hocce incommodo plane immunes sunt virgines, quod etiam, si Auctoribus sit fides, puellis trium vel quatuor annorum minime parcit. Latissimus erat error apud Veteres, circa partem e sede depulsam, quam pro utero habebant: atque tantum valent præjudicatæ opiniones, ut plures referant se vidisse mulieres imprægnatas, & felicem partum enixas, post amputatum uterum; sed tædet tales nugas, anilesque fabellas prosequi. *Rara* sane *uteri procidentia*, vel *inversio*, ad puerperas duntaxat pertinet, tenesmo & alvi fluxu laborantes, præsertim post partum difficilem, vel incautum obstetricum inter evellendas secundinas attractum.

Præter conceptionis impedimentum *varia parit incommoda* hic tumor pendulus, tensivum nempe lumborum dolorem, incessum difficilem, dysuriam, alvi adstrictionem & tenesmum. Alias prodit sanguis e tumentibus vasis, vel a nimia attrectatione, aerisque frigidioris accessu, fiunt phlogoses & exulcerationes cum saniei effluxu & fœtore intolerabili, sæpius imminentibus gangræna & sphacelo. Interea moventur febris, delirium, convulsiones, aliaque truculentiora symptomata, quæ pro mortis præconibus habentur. Recens tamen hic morbus facile curatur, præsertim in junioribus; sed aliter se res habet de annoso, & sub ætate provecta; fœdissima tum humorum colluvie ita conspurcatur vagina, foras jamdudum propul-

pulsa, ut putridam exhalet mephitim. Multo sane *periculosior* est *uteri descensus;* si enim fuerit attractum & inversum hoc viscus inter difficilem partum, parum abest quin conclamata sit puerpera: equidem pauciſſimæ sub hoc infortunio lethum evadere queunt.

Vagina extus prominens ad pristinum & naturalem, si nil obstet, *revocari debet situm* inibique detineri; hoc opus, hic labor est. Nil aliud tamen requiritur præter quietem & decubitum pro recente juvenum procidentia: alias adhibetur *pessarium*, vel circulus uterinus e subere confectus & cera oblitus, qui per quoddam tempus inibi relinqui debet. Suum symbolum conferunt injectiones & fotus roborantia: nec despicienda *adstringentia* & tonica interna, amara & martialia; dummodo haud immineat mensium fluxus. Sed ubi extra situm depulsa vagina inflammatione & exulceratione corripitur; repositio tentari minime debet, priusquam solita methodo pertractentur prædictæ læsiones. Sub hoc rerum statu omnem implent paginam venæ sectiones, enemata emollientia & refrigerantia, fotus e vino tepido aqua diluto, ex aqua florum sambuci, &c. parati. Remediis postremo supra traditis, & scarificationibus gangrænæ consulitur: quibus nihil proficientibus, ad partis *extirpationem* deveniendum, nec ut plurimum infausta est hæc operatio, dummodo tamen tempestive celebretur. Curari potest inversio uteri, si celerrime fiat repositio, quæ sane, nulla interposita mora, pro facili habetur apud Chirurgos: sed si procrastinetur hæc cura, operosior fit encheiresis, mulieribusque molestissima; adeo ut plures inter hæc tentamina animo linquantur, vel convellantur: quo fit ut sub hisce angustiis occultetur uterus, quantum licet intra vaginam; dein hic loci pessariorum beneficio retinendus.

Haud abs re erit, colophonem huic capiti imponendo, nonnulla adjicere circa *polypos*, tam ex utero, quam e vagina erumpentes. Exulceratis partibus adnasci solent carnes illæ fungosæ, quæ in locis illis udis ita luxuriant, ut meatum naturalem occludant. Quare fit ut impeditis viis muliebribus, non solum denegetur hastæ virili ingressus; sed etiam ægre fluant menses, vel plane retineantur. Nunc intra sinum pudoris latent prædictæ excrescentiæ, nunc extus prominent; adeo ut ab incautis vel imperitis pro vaginæ vel uteri procidentia habeantur. Facillime tamen distinguuntur prædicti affectus, cum tumor e vaginæ prolapsu basim præbeat, foramine perviam: deest sane illud ostium in utero inverso; sed parturientes duntaxat respicit illud infortunium, quod alias subito quasi se profert, dum *tardissimum* fit *polypi incrementum*. Ægre extrahi & eradicari patiuntur excrescentiæ fungosæ, altius implantatæ; sed inter has angustias, quod magis prominet, abscindi debet; ut reliquum pulveribus exsiccantibus & cathæreticis absumi queat. Sed haud nisi summa cautela, hæc sunt peragenda, ne nimia irritatione concitentur inflammatio & gangræna, quæ sane curantibus grave faceſſunt negotium.

Alius in sinu pudoris observatur tumor, qui pro polypo, vel sarcomate, ab incautis habetur; etsi toto cœlo ab illo discrepat: est scilicet hernia intestinalis, trans latera vaginæ, plus æquo laxatæ, vel partu multiplici labefactatæ. Hæc protuberantia albida & mollis, primo intra vaginam coercetur, dein extra sinum pudoris prorumpit, varia mole, herniarum more. Haud multum abludit hic tumor vulvæ labia supereminens, ratione faciei, ab uteri prolapsu: sed a signis prægressis optime distingui queunt hæ prominentiæ: constat præterea solas ad uteri prolapsum proclives esse puerperas. *Hernia vaginalis*, de qua in præsentiarum, encheiresim chirurgicam exposcitulat, quæ in repositione intestini versatur; quod sane facile absolvitur; dein operæ pretium est ut admoveantur pessaria simplicia vel adstringentia, ut morbi reditus præcaveatur: hoc opus, hic labor est.

GRAVIDITAS NOTHA.

NEMO nescit varios occurrere morbos, mulieres ætatis congruæ invadentes, qui legitimam prægnationem mentiri solent; *molas* nempe *carneas* & *vesiculares*; *sanguinis menstrui*, *seri* & *flatuum collectionem* in uterum; ac demum *tumores ovariis*,

riis, vel *tubis fallopianis insidentes*: quæ singula æqua lance expendere juvat, a mola initium faciendo. Diversa est *molæ carneæ magnitudo*: sola cavum uteri occupat, vel legitimæ graviditati sociatur. Contextum fibrosum præbet, nunc mollem, nunc densum & firmiorem, ac nonnunquam ratione vetustatis, cartilaginum vel ossium duritiem æmulatur. A falso conceptu oriri jure conjicitur hæc massa carnea diversæ magnitudinis; quæ in plerisque paululum seri colligit cum nonnullis embryonis reliquiis, adeo ut has corripiat hic morbus, quæ cum viris rem habuerunt: de quo tamen nonnulli dubitant, qui virgines & viduas castissimas, citra scilicet virorum commercium, hoc morbo conflictatas fuisse asserunt. Rationi & experientiæ adversari videtur hæc opinio, quam tamen admittere haud incongruum, eo scilicet ut virginum & nonnullarum viduarum detorqueatur culpa, vel incolumis tueatur fama; ni prædictas offas carneas, ad sarcoses uteri polyposas, a genuina mola plane discrepantes, referre magis arrideat.

(1) Ægre distinguitur *mola carnea*, non solum a cæteris corporibus in utero reconditis, sed etiam a vera prægnatione. Uterus tamen molam recondens, mobilior & ponderosior inter motum decumbentium videtur, manuumque impulsioni facilius cedit, abdomen in gestatione legitima quasi fastigiatum, magis circa umbilicum prominet, quod vero sub mola æqualiter in orbem distenditur: tumor abdominalis citius se prodit a mola cujuscumque sortis, quam a fœtu. Præterea symptomata quibus conflictantur prægnantes sub primis mensibus vehementiora, circa ultimos menses leniuntur, vel plane desinunt; sub mola vero in eodem statu perstant, imo & exasperantur. Nitor faciei minime obscuratur in utero gerentibus; secus vero se res habet in falsa graviditate. Mola laborantium catamenia circa quintum vel sextum mensem inordinate erumpere solent, quod nusquam vel rarissime evenit fœtum gestantibus. Sed præcipuum naturalis graviditatis *signum* peti debet ab infantis motu, circa quartum vel quintum mensem notabili, quem plane desiderari in quavis spuria graviditate evidens est. Mola demum ultra legitimum pariendi tempus protrahitur; imo & per plures annos gestatur, vel per totum vitæ curriculum, & leviora duntaxat parit incommoda, si molestiam a tædioso pondere excipias. Haud periculi expers est molarum excretio; præsertim si tardius expellantur; tum enim erumpunt hæmorrhagiæ vix compescendæ, gravioraque exsurgunt symptomata, e quibus mortis auguria desumuntur.

Haud dubitare licet quin uterus quamdam *placentæ*, incauta obstetricum manu evulsæ, *portionem* nonnunquam retineat, quæ dein *pro mola* habetur: imo & nonnullis observationibus constare videtur has secundinarum reliquias in corpus cellulosum, a genuina tamen mola vesiculari discrepans, facessere; cujus tantum est inerementum, ut, non secus ac in ultimis graviditatis temporibus, tumeat uterus. Quasdam etiam sanguinis congrumari massas, mora & indesinenti pressione densas & firmas retinet uterus, quæ postea sub conspectu molarum foras exturbantur. Horumce corporum in utero reconditorum exitus solis naturæ viribus plerumque committitur: parum ad hoc opus prosunt *venæ sectiones*; sed summam opem conferre queunt balnea, semicupia, fotus, injectiones & linimenta ex emollientibus parata. Aliquid ferre valent auxilii emetica & cathartica drastica, non secus ac *enemata stimulantia*, & pessaria ex helleboro, sabina, colocynthide, aliisque materiebus acrioribus parata. Proficue quandoque adhibentur remedia menses ducentia, & adversus fœtum mortuum usurpari solita. Sed silentio premere minime debemus, non solum sæpius ad hunc effectum peragendum inepta esse prædicta *remedia*, sed etiam nocentissima fore. Raro demum a solertioribus adhibetur obstetricantis manus, ni urgeat hæmorrhagia.

(2) *Mola vesicularis* vel aquosa, cui obnoxiæ sunt mulieres cachecticæ, nil aliud est quam congeries hydatidum, racematim connexarum, nunc in utero fluitantium, nunc peculiari vel multiplici folliculo obductarum; adeo ut quamdam hydropis cystici speciem haud male referat

hic affectus, qui raro innotescit, ante prædictarum hydatidum ejectionem, solo naturæ beneficio, paulo post solitum partus terminum, in plerisque absolvendam. Tanta sæpius copia excluduntur hydatides uterinæ, ut integras pelves repleant, quod nonnunquam accidisse notarunt practici. Hæmorrhagia hanc excipit excretionem, nunquam sedanda ante harumce vesicularum exitum. Ubi cum genuina graviditate implicatur hic affectus, partu legitimo plerumque solvitur: alias *periculo* minime vacat. Simplicioribus peragitur ejus *curatio*, ni satius sit ab omni remedio abstinere. Itaque danda est opera ut diæta congrua ægrarum vires refocillentur; imo & quandoque medicamina ægrarum usurpare licet, dummodo haud obstet uberius cruoris profluvium. Insuper reperiuntur in utero sarcoses, tumores anomali, concretiones lapideæ, &c. Hæc se offerunt in *denatarum extispiciis*, quæ, dum viverent, in cimmeriis latebant tenebris.

(3) Insulso *molæ ventosæ* nomine venit uteri inflatio, vel aeris collectio intra ejus cavum, quæ non secus ac aliæ species, graviditatem etiam mentitur; sed imus venter æqualiter prominet. De molesto uteri pondere minime conqueruntur ægræ, stabiliusque observatur hoc viscus; quod sane rationi consonum est. Præterea accuratiori examini subjectum abdomen certis diebus subsidet, dum aliis tumidius apparet. De hujusce morbi stadio, nil certi statui potest; sed serius ocyus flatuum expulsione solvitur. Hæc tamen eruptio, qua abdomen statim complanatur, circa legitimum partus terminum accidere solet, adeo ut plures mulieres, specie imprægnationis delusæ, stato tempore, dum obstetrix ad fœtum excipiendum sese accingeret, inexpectato sane eventu, strepente *crepitu* per genitalia explosо, scenam comicam absolverint: diuturnior tamen in potiori parte est hic affectus, qui ad plures annos nonnunquam protelatur. Simplici *oſculi uterini dilatatione* evinci potest *mola flatulenta*; sed futile est illud præsidium erga morbum obscurum, qui ut plurimum nequidem in suspicionem venit. Prosunt quibusdam cathartica acriora, & enemata stimulantia, quæ in alium scopum adhibita, hunc effectum sæpius præstitisse constat: de carminantibus ab Auctoribus perperam decantatis, nil addimus. Postremo ad molam flatulentam minime referri debet hæc corporis conditio, quæ flatuum genesim in utero fovet; qui identidem, non secus ac a podice haud tacite foras eliminantur; cum eo tamen discrimine, ut nusquam voluntati submittatur hic exitus, quod sane bene moratas mulieres, de turpi hoc strepitu anxias, torquet.

(4) De *mensibus in utero retentis* supra actum fuit; huncque affectum graviditatem, quoad abdominis protuberantiam, accuratissime mentiri notavimus; adeo ut ab hocce errore haud immunes sint, vel solertiores. Re tamen accuratius pensitata, patet utriusque status discrimen: etenim venter magis prominet circa quartum vel quintum mensem a mola, ut inquiunt, sanguinea, quam sub genuina graviditate; circa quod tempus fœtus motio, quam experiuntur utero gestantes, plane in ægrotantibus deficit; rite etiam perficitur hæc periclitatio ab imposita manu frigida, & aqua madida. Hujusce morbi solutionem merum esse naturæ opus, jam supra declaravimus: haud desunt tamen nonnulla præsidia, quæ in subsidium venire queunt, vel ægrarum vires refocillando, vel vias uterinas laxando & reserando; sed hisce alibi jam traditis haud diutius inhærebimus, ne recoctæ crambes insimulationis periculum incurramus.

(5) Haud minoribus difficultatibus premitur *hydropis uteri diagnosis*, ad quem pronæ censentur infœcundæ, cachecticæ & scorbuticæ. Prædictorum morborum instar, graviditatis etiam faciem se præfert; quam alias sæpius concomitatur, non secus ac ascitem. Nulla eruitur cognitio a fluxu mensium, qui in singulis illis corporis conditionibus erumpere queunt. Haud persentitur sub hocce morbo aquæ fluctuatio, veluti in ascite: abdomen, uti pluries inculcavimus, orbiculatim tumet, subsident ubera, & nitor faciei pallore obscuratur; ac demum de quodam uteri pondere conqueruntur ægræ, quo plane expertes sunt gravidæ. Uterus ab hac hydropis specie in tantam molem quandoque assurgit, ut quadra-

draginta vel quinquaginta aquæ libras coerceat: imo & de utero, cujus aquæ quantitas ad centum quinquaginta libras accedebat, mentionem subjicit Vesalius. Notare juvat quod uteri morbose expansi involucra ratione molis extenuentur; aliter vero se rem habere in genuina graviditate nemo nescit.

Remedia asciti & leucophlegmatiæ dicata, vel vitiatæ hæmatosi occurrentia, opportune etiam adhibentur *adversus uteri hydropem:* sed ubi constat de morbi indole, simplicior & expeditior se offert curatio, quæ versatur in liquidi stagnantis evacuatione, quam promovet, præmissis injectionibus vel suffumigiis emollientibus, ostii uterini dilatatio, catheteris, vel intromissi digiti beneficio peracta. Hoc opus plerumque præstat natura; præsertim si implicetur legitima prægnatio; sub quibus circumstantiis instanti partu prorumpit aqua vel citius se profert hæc evacuatio; adeo ut haud, nisi post mensem ab hoc eventu, nonnunquam enitantur gravidæ, & partum incolumem edant. Nec periculo vacat uberius prædictæ aquæ profluvium; quod nonnullas, quovis tempore accidat, ad ultimam rerum lineam ducit; ideo deficientibus ab hocce laticis dispendio, prægnantium viribus, vel procrastinato partu, opportune in usum vocantur emetica, cathartica drastica & enemata stimulantia: nec inutilem opem præstant sub hoc casu borax, sabina, crocus, aliave emmenagoga. Nonnunquam solvitur *hic morbus* vomitu, sternutatione, tussi vehementiori, saltatione, lapsu ab alto, ictu, &c. quæ uterum concutiendo stagnantem aquam foras propellere valent. Postremo conferunt ad quamvis uteri colluviem balnea, semicupia, aquæ tepidæ vapor, injectiones & fotus emollientes; quorum ope laxatum uteri ostium nidulanti latici exitum nonnunquam largitur.

Hydropem ovariis & *tubis* etiam *insidere* supra inculcavimus: familiarius ovaria aggreditur hic morbus, rarius vero tubas invadit. In tantam molem sæpius assurgunt ovaria, ut centum aquæ libras, teste autopsia, continere queant. Hæ hydropis species, graviditatem etiam æmulantes, & de quibus supra, cognitu & curatu difficiles censeri debent; adeo ut sæpius ægre distinguantur, non solum a legitima prægnatione, sed etiam a quavis alia spuria. Obscura est liquidi inibi reconditi, etsi quandoque uberrimi, fluctuatio, in genuina ascite, uti omnibus notum manet, manifesta; eo quod crassitiem & visciditatem contrahit, vel intra varios folliculos colligitur prædictus latex. Notare expedit uteri membranas a quacumque, ut jam notavimus, colluvie expansas extenuari: aliter vero se rem habere erga ovaria, docet *autopsia anatomica:* horum enim contextus e contra crassior evadit, adeo ut nonnunquam post integram liquidi stagnantis evacuationem, viginti vel triginta libras adhuc pendeant; nec semper aqua turgent prædicta organa, sed materiam gelatinosam, butyrosam, sebaceam, melliformem, &c. haud raro recondunt. Difficillime innotescunt prædicti morbi, qui alias inter rimanda cadavera in apricum veniunt: si tamen accuratius perpendatur incessus & progressus, horum extricari potest *diagnosis*.

Inter morbos diuturniores numeratur *ovariorum & tubarum hydrops:* haud desunt enim exempla virginum & mulierum quæ per triginta, quadraginta, imo & quinquaginta annos, hosce tumores citra grave incommodum, si molem & pondus excipias, gestarunt. Pro immedicabili habetur hæc ægritudinis species, ad quam pronæ censentur mulieres steriles & annosæ. Num clinici, iteratis & tempestivis, uti par est, tentaminibus viam ad curationem sibi paraverint, vel indiligentius hunc morbum pertractaverint, solertioribus examinandum relinquimus. Haud dubitare licet quin adhiberi queant omnia remedia asciti dicata; sed inanem plerumque operam ludunt: hinc ad laticis stagnantis evacuationem, ope instrumenti congrui, confugiendum esse censemus. Incassum celebratur vulgatissima punctio, si humor latitans viscidior glutinosiorve evadat; vel pluribus folliculis recondatur: prostat enim historia cujusdam mulieris, quæ intra quadriennium hanc operationem quinquagesies infelici successu passa fuerat, e qua aquæ bis mille libras & ultra eductas fuisse fertur. Tutior sane est sectio qua vulnus sat

patulum infligitur, ut materiebus craſſioribus egreſſum largiatur, & tumor ſenſim exhauriatur: equidem mulierem quinquaginta quinque annorum hac metodo curatam traditur.

Alii ſunt *ovariorum morbi* qui ſola *cadaverum ſcrutatione* obvii fiunt: præter enim phlogoſim & skirrhum, de quibus ſuo loco, in abſceſſus haud raro ſtupendæ molis, vel in tumores folliculatos & anomalos faceſſunt prædicta organa, quæ alias fœtuum cujuſvis ætatis, uſque ad decimeſtres, corpora, nunc integra, nunc putredine confecta, oſſa, capillos, concretiones lapideas, innumeraſque alias materies, quarum obſcura & intricata eſt geneſis, continent. Ex hiſce cujuſvis naturæ ovariorum defœdationibus ſæpius emergunt putredines, quæ longe lateque ſerpendo, viciniores partes contaminant, & in conſenſum trahunt. Quare minime mirum, ſi diverſæ hæ materies per ſentinam inteſtinalem egreſſum haud raro ſibi parent. *Simili* ferme *modo*, ſed rarius, deturpantur *tubæ fallopianæ*, quæ non ſecus ac ovaria, plane quandoque abſumuntur: ſed ægre a cæteris diſtinguitur hic affectus, qui alias haud abſimilem habet exitum. Plura ad finem properantes, *de morbis mulierum* addere ſuperfluum fore judicamus, cum de hac re nuperrime prodiit Tractatus elaboratiſſimus & inexhauſtæ eruditionis, qui tamen rebus mere phyſicis plus æquo fortę refertus, haud omnibus clinicis arridet; cujus Auctor clariſſimus Aſtruc ætatem inter experimenta conſumpſit, & inter præclaros Scientiæ Medicæ Auctores jure numeratur.

SECTIO II.

DE MORBIS INFANTUM.

GENERALIA.

QUanti intereſt ut puro lacte nutriatur infans, nemo non intelligit. Optandum ſane foret ut honeſtæ matres proprios alerent liberos, alias conductitiis nutricibus ſæpius impuris, iracundis, ebrioſis & ſalacibus tradendos. Sed cum uſus ferme invaluit, ut mulieres delicatulæ & cujuſvis curæ impatientes, hæc materna munia cæteris committant, danda eſt opera ut *congrua* eligatur *nutrix*. Optima quidem cenſetur, poſt abſolutum ſui corporis incrementum, inter ſcilicet vigeſimum quintum & trigeſimum quintum ætatis annum, habita tamen ratione ætatis matris, ad quam expedit ut proxime accedat. *Lac* congruum exiſtimatur poſt unum vel alterum menſem a felici partu, ſi uberiori proventu appellens ad ubera firma, pyramidalia & mediæ molis ſit *album*, *ſubfrigidum*, *ſaccharatum*, *butyroſum* & *mediæ conſiſtentiæ*: hinc abdicatur ſubflavum, calidum & ſalſum, craſſius & ſeroſum. Linguæ vel oculis admovetur ut dignoſcatur acritudinis ſpecies: innoteſcit craſſitiei gradus, ſi gutta ungui vel cochleari excepta aquæ inſtar haud ſtatim diffluat, nec firmius hæreat. Sed infidæ, ut verum fatear, ſunt hæ probationes; cum lac exquiſitioris, uti videtur, notæ, labem ſæpius recondat ſolis noxiis effectibus dignoſcendam. Rufis, ingratum ut plurimum odorem ſpirantibus, anteponuntur ſubfuſcæ: haud arrident corpulentiores & mammoſæ, nec macie plus æquo confectæ. Faſtidiuntur quibus, inter os explorandum, deſunt nitor dentium & roſeus gingivarum color. Pluris habentur floridæ, poſth abita tamen venuſtate, hilares, bene moratæ & a virorum commercio ſolutæ, cultæ munditiei, & quarum haud res eſt anguſta domi: reſpuuntur vero valetudinariæ, curis anxiæ & ærumnoſæ, amoris œſtro percitæ, ſqualore obſitæ, inopes, &c. Haud citra periculum adhibentur quæ menſes vel fluorem album circa prima lactationis tempora patiuntur; circa finem vero nil ſanitati demere ſolent prædicti fluxus. Præſtant demum nutrices expertes, quæ ſcilicet alios

alu-

alumnos jam curarunt. Insuper robustiores sunt infantes in agrestibus locis, quam in urbibus; hinc sequitur nutrices ruri esse eligendas, vel ablegandas: imo & expedit ut victu rustico alantur & solitis laboribus, cum nonnullo moderamine, indulgeant; ad præcavendam scilicet infantum debilitatem, vel corrigendam hereditariam.

Ubi in dias luminis auras erupit infans, accurate ligari debet funiculus umbilicalis, ne subsequatur hæmorrhagia, quam sæpius obstetricum incuria, vel imperitia, accessisse compertum habemus. Ope tepidi lavacri a sordibus emundatur infans, priusquam blanda linteorum & cingulorum convolutione adversus frigus muniatur. Vitam ejulatibus auspicatur, quos alere videntur *tormina* a retento meconio concitata, quibus obviam itur materiæ illius fœculentæ & subnigræ excretionem sollicitando. Hanc opem tutius præstat colostrum, vel ipsummet lac ex uberibus recens enixæ stillans: hoc est remedium a provida natura comparatum, quod ventriculi & intestinorum sordes abstergendi vi pollet. Sed ubi propria mater genuinum suæ progeniei pabulum denegat, & de nutrice conductitia opus est, in usum vocanda sunt præsidia medica, circa scilicet sextam a nativitate horam exhibenda, mel scilicet rosaceum, manna, syrupus rosarum pallidarum, de cichorio cum rheo, florum persicorum, &c. quibus *levis* movetur *catharsis:* vel induntur suppositoria quorum vellicatione noxiæ meconii moræ consulitur.

Sunt qui velint ut nutrix, sex a partu elapsis horis, *mammas infanti* præbeat; sed abiit ferme in desuetudinem hæc methodus, cum consultius sit ut expurgentur primarum viarum sordes, priusquam lac infantis stomacho committatur; adeo ut nonnisi post viginti quatuor circiter horas a solertioribus exhibeatur hæc alimonia. Solo lactæ nutriri debent infantes sub quatuor vel sex primis ætatis mensibus; dein puls e pane albissimo, vel e farina & lacte confecta a plerisque conceditur; dum alii anni integri finem expectant. Circa decimum quintum vel decimum octavum ætatis mensem, quo gradi incipiunt, a mammis detrahi solent alumni: attamen pro re nata, & vario infantum statu, citius vel tardius instituenda est *ablactatio;* sed pani, jusculis, offis, cremoribus, aliisque usu comprobatis alimentis, infantes præmaturius sensim assuefacere juvat; ab immutato enim regimine marcescunt, & variis cutaneis eruptionibus, periculi sane expertibus, affici solent. Hic inquirendum foret an tuto lacte caprino vel vaccino nutriri possint infantes; partim assentiuntur, partim abnuunt: primi scilicet lac animalium a viru venereo, scrophuloso, &c. immunium, & cupiditatum nesciarum, salubrius deprædicant; alii, uti nonnullorum experientia compertum manet, ferinos mores induere infantes contendunt: sed hanc litem dirimendam, quibus plus otii superest, relinquimus.

Intricatissimi sunt *infantum morbi*, cum solis vagitibus suas querelas exprimere queant; sed plura e mulierecularum vel adstantium relatu erui possunt: num scilicet vomituriant; & quasnam materies rejiciant; num alvus sit libera, & quænam sit fæcum natura; num tussiant, plus æquo vigilent, convulsionibus afficiantur, &c. Inter infantum morbos minime recenseri debet lactis, quo ingurgitantur, rejectio; nec in hunc censum veniunt dejectiones subvirides sub quatuor primis mensibus familiarissimæ; quem colorem foveri ab oleis, quæ sæpius infantibus ad sedandam tussim, vel ad compescenda tormina exhibentur, per transennam notare juvat. Sed aliter se res habet de fæcibus griseis & argillosis, quæ sane arguunt impedita esse bilis incernicula. Ægre explaratur *pulsus* infantum, non solum ob ingentem velocitatem vel celeritatem, sed etiam propter indesinentes brachiorum motiones; adeo ut incertum de hac re a plerisque proferatur judicium. Præterea attendendum ad os quod aphthas exhibet, & quasdam dentitionis notas, ad spirandi modum, ad abdomen sæpius renitens & protuberans, ac demum ad varias cutis eruptiones.

Neminem clinicum latet varios esse *morbos* qui *a parentibus in prolem* trasmittuntur; epilepsiam nempe, luem veneream, scrophulas, arthritidem, lithiasim, phthisim,

sim, &c. Hæc omnia in memoriam sunt revocanda, ut variis indagationibus elucidentur; cum sæpius obscure se prodant prædicti morbi congeniti & familiarissimi. Quod *ad matrem* attinet, inquirendum num ingesta fuerint inter prægnationem alimenta pravæ notæ, vel materies absurdæ; num sub idem tempus, vehementioribus animi pathematibus indulserit. Suo examini etiam submitti debet *nutrix*; respectu morum, vivendi generis, & morborum adventitiorum. A nota demum *constitutione epidemica*, morbillosa scilicet, varioloſa, catarrhali, &c. expiscari potest morbi indoles. Insuper alta mente tenendum quod a *dentitione* & *vermibus*, necnon acida primarum viarum colluvie, progerminentur morborum acutorum iliades; & de *viru venereo*, *scorbutico*, *scrophuloso* & *rhachitico* sub chronicis semper sit cogitandum, e quibus bene perspectis eruitur morbi character, alias inextricabilis. Nunc superest ut nonnulla circa curationem generalia addamus, ad frequentiores & fastidiosas earumdem rerum geminationes effugiendas.

Simplicioribus, inter hanc tenellam ætatem, peragitur *morborum medela*, cujus præcipuum momentum in sola victus ratione sæpius versatur: nec ante vel post ablactationem, alio in plerisque opus est remedio; illud suadet ratio & docet experientia. Nec dubitare licet, notante Baglivio, quin plures infantes, præcipue in optimatum ædibus, a majori potius remediorum apparatu, quam ab ipsismet morbis neci dentur: quod monitum sane quidem notatu dignum videtur. Haud tamen omnia posthabenda *præsidia*, sed solerti manu pertractari debent. Ut a *venæ sectione* initium capiamus, sanguinem mittere licet, si urgeant spirandi difficultas, tussis convulsiva & febris inflammatoria, sub gravioribus contusionibus, &c. sed haud nisi summa cautela iterari debet phlebotomia: nec minus enim portendunt periculum numerosæ venæ sectiones, ac hæmorrhagiæ frequentes, quibus obnoxii sunt nonnulli infantes, qui post pubertatem & peripneumoniam, sputum cruentum & phthisim proni evadunt; atque in ætate provecta ad fluxum hæmorrhoidalem, insultus spasmodicos, arthritidem, calculum, &c. proclives fiunt. Raro adhibentur *emetica*, sed latissimus est *catharticorum usus*, quorum magis comprobata audiunt rheum, jalapium, mechoacanna, flores persicorum, pulvis *Cornachini*, mercurius dulcis, syrupus de cichorio cum rheo, de pomis, &c. Haud rite succedunt salia cathartica, nec expectatum effectum exerunt manna, cæteræque materiæ pingues; hinc fit ut nonnisi cogente necessitate, dum scilicet cætera vetantur, usurpari soleant. Pluris habentur sub hac ætate absorbentia, quæ sedantium vim obtinent: horum enim ope compescuntur dolores, leniuntur inquietudines & promovetur somnus: sed expedit inter absorbentium usum ut alvus sit libera; alias plura impendent incommoda, unde fit ut magnesia, quæ alvum reserare solet, cæteris congeneribus præstet.

Ut incœpta prosequamur, exulare debent acida, præsertim inter lactis usum. A solertioribus improbantur narcotica, ni urgeant vigiliæ & vomitus enormes: etsi ab incautis & quibusdam mulierculis, reluctante experientia, in familiarissimum usum trahuntur: sed tuto adhibentur *paregorica*, emulsiones nempe e seminibus papaveris albi paratæ, syrupus de papavere rubro, &c. *Antivenerea*, aliave specifica, quæ haud citra periculum sub primis ætatis mensibus infantibus exhiberi queunt, nutrici præbentur, ut lac imprægnatum horumce medicaminum vires expleat. Nemo sane nescit lac ingestorum vires retinere; etenim nunc croci, cassiæ & rubiæ tinctorum colorem præ se fert; nunc allii, cepæ, & absinthii saporem obtinet: ideo vim catharticam, antiveneream, antiscorbuticam, traumaticam, adstringentem, &c. huic impertiri licet. Nec raro adhibetur erga infantes hæc curandi ratio. Insuper plurimum conferre, ad tuendam infantum sanitatem, munditiem, nemini non obvium: egregiam ad hoc opus opem præstant lotiones frigidæ, vel ipsamet balnea frigida, quorum vires alias summis præconiis certatim quasi efferuntur ab Auctoribus primi ordinis; sed obstant præjudicatæ mulierculorum opiniones, quas impugnare, arduum & difficile. Nonnulla, hisce generalibus finem impo-

imponendo, ſubjungere lubet de *doſi remediorum*, circa quam ſcioli & inexercitati, in graviſſimos ſcopulos impingunt: hanc ratione ætatis inſtituendam fore nemo neſcit; ſed nec arithmetica, nec geometrica eſt hæc inter utrumque proportio: ſed e ſola experientia depromenda; ſemper habita ratione temperiei, aliarumve circumſtantiarum. Ex obſervatis igitur colligere licet decimam vel octavam partem doſeos cujuſvis medicaminis ſufficere paulo poſt nativitatem; ſextam expleto primo ætatis anno, quartam poſt triennium, dimidiam poſtremo partem circa ſeptimum circiter annum: & ſic deinceps.

COLOSTRATIO.

LAbium leporinum, latius linguæ frænulum, clauſuram ani, alioſque infantum affectus, qui ſolam manum chirurgicam expoſtulant, ſilentio prætermittimus, ne facem in alienam meſſem immittere videamur. Itaque has duntaxat ægritudines, quæ ſcientiam medicam reſpiciunt, recenſebimus; inter quas plures occurrunt ſingulis ætatibus communes, & nonnullæ ſolos infantes invadunt, in quarum poſtremarum cenſum venit *coloſtratio*, a qua exordium capere expedit.

Coloſtrum, ne error ſit in verbis, duplicem habet intellectum: hoc nempe nomine inſignitur lac ab uberibus matris recens enixæ ſtillans, præ tenui conſiſtentia ſeri lactis vulgatiſſimi æmulum; quod ſane, uti jam innuimus, ventriculi & inteſtinorum ſordes abſtergere, & alvum reſerare valet. Aliud eſt coloſtrum, *lac* ſcilicet *nova nutricis imprægnatione inquinatum;* quod ſub primis lactationis menſibus, peſſimam præbet alimoniam: e quo fonte innumeri prodeunt morbi quibus plectuntur tenelli infantes. *Hanc cauſam* in obſcuris, conductitiarum cura, latentem *ſuſpicari licet;* ſi infantes torminibus plus æquo conflictentur: vel pertinaciori alvi fluxu laborent; quibus macie ſenſim conficiuntur, donec ſæviora exſurgant ſymptomata quæ præmaturam necem portendunt, quam ſi effugerint, vitream per totum vitæ curriculum valetudinem trahere ſolent. Nonnulli tamen forti conſtitutione prædiți, nullum, ſi lactis & caſei horrorem excipias, incommodum dein patiuntur. Ubi igitur conſtat de morbi genere, novum lac incunctanter exhiberi debet; nec alia plerumque opus eſt *medicatione*. Nonnunquam tamen conferunt, ſub hac rerum conditione, *cathartica* blandiora; quorum præſidio everruntur pravarum digeſtionum reliquiæ, quæ alias, vel exquiſitiſſimum lac inquinarent. Mantiſſæ inſtar addere lubet, quod infantes hoc infortunio tacti *inganas* audiant apud Occitanos & Gallo-Provinciales, ab Italo verbo *ingannare*, quod ſibi vult *fallere;* eo quod quaſi decipiantur miſelli infantes, qui *lac* improbum & *adulterinum*, loco genuini & congrui, e mammis eliciunt.

FEBRIS.

SOla pulſus exploratione vix innoteſcit febris infantum; ſed hanc *produnt* intenſior cutis calor, faciei rubor, ſitis & ſolitæ inquietudines. Variæ ſub hac ætate febrium ſpecies, tum acutæ, tum lentæ, mere ſymptomaticæ audiunt. Inter acutas frequentius occurrunt *febris ephemera*, familiaris effloreſcentiæ cutaneæ prodromus vel comes; febris *ardens*, quam promovent pravæ digeſtiones; febris *catarrhalis*, *verminoſa*, *a dentitione* prognata, aliæque tumoribus criticis ſæpius judicandæ. *Febres lentas* fovent labes ſcorbutica, virus ſcrophuloſum, diatheſis rhachitica; obſtructiones meſenterii, infantibus familiariſſimæ; aliorumque viſcerum læſiones; &c. Nec a febribus *intermittentibus* immunes ſunt infantes, etiam lactentes, quæ ſolitis auxiliis facile cedunt; ſub quibus falſum terrorem incutere ſolet tumidum abdomen, quod pro ſigno ſalubri in pleriſque haberi debet: idem eſto judicium de puſtulis, labia, parteſque viciniores defœdantibus; non ſecus ac de eruptionibus cutaneis paſſim erumpentibus; quæ etiam febris diſceſſum pollicentur.

Raro *inter curandam* infantum *febrem continuam* adhibetur venæ ſectio, ni graviora urgeant ſymptomata: nonnunquam con-

conducunt emetica; sed egregiam opem, cæteris consentientibus, præstant cathartica. Interea largo pulli, decocti oryzæ, emulsionum, aliorumve diluentium & demulcentium potu reprimendus est æstus febrilis, & sitis compescenda. Proficue adhibentur absorbentia adversus acidam & familiarissimam primarum viarum saburram. Aquila alba, æthiope minerali, aliisque anthelminticis domatur progenies verminosa. Suas laudes merentur blandiora diaphoretica, si incusetur eruptionum cutanearum retrocessus: interea alvus usitatioribus præsidiis servetur libera. Quod vero ad *febrem intermittentem* attinet, congruo regimine, & consulto cathartico rum usu, subigi solet; alias adhibetur cortex peruvianus, aliudve febrifugum; cæteris sub hac ætate præstat syrupus kinæ-kinæ, & hujusce corticis extractum siccum, quod vulgo sal *de la Garraye* audit: quorum dosis ratione ætatis, juxta traditam methodum componitur. Pluris demum habentur enemata febrifuga, si infantes delicatuli remedia palato ingrata plus æquo aversentur.

VARIOLÆ ET MORBILLI.

QUoniam sub infantia simili ferme ritu pertractari solent hi affines morbi; hos, brevitati studentes, uno & eodem capitulo comprehendere haud incongruum fore judicavimus. Obscura sunt prædictorum affectuum *signa prænuncia*, eo quod diversis efflorescentiarum & pustularum cutanearum speciebus obnoxii sunt infantes, quæ primo intuitu ab erumpentibus variolis & morbillis minime discrepare videntur: adeo ut inter judicandum hæreant vel solertiores. Sed omne dubium solvit horum progressus & exitus: licet plures scioli, vel præjudiciis obcæcati, non secus ac varii nebulones gloriolam aucupantes, & errorem confiteri nescii, primo stent judicio: quare minime mirum si plures occurrant qui variolas se pluries passos fuisse arbitrentur; quod tamen rarissime evenire pro comperto manet apud solertiores. Haud dilucidius patent *indicia*, quibus ineunte eruptione distingui queant *variolæ a morbillis*: sed cum de his satis superque supra actum fuit, recoctam crambem minime apponemus. Nonnulla duntaxat circa prognosim & curandi modum, habita ratione, in medium adducere haud abs re fore putavimus.

Minus sane portendunt *periculum* variolæ & morbilli sub infantia, quam inter alias ætates, licet funeris metum injiciant nonnulla, quæ non infrequenter sub prædictorum morborum stadio, se proferunt symptomata, cerebrum præsertim & pulmones respicientia. Hæmorrhagiæ tamen in infantibus familiares minus ominosæ censeri debent, quam in provecta ætate, somnolentiaque solvere solent. Diarrhœa in adultis calamitosa, inter salubria infantum phænomena numeratur, eo quod ptyalismi, variolas adultorum confluentes stipantis, vices explet: quo fit ut majorem formidinem incutiat alvus durior. Convulsiones, sub primo stadio, nil mali portendunt: summum vero terrorem incutiunt inter suppurationem, vel exsiccationem papularum. Sed quocumque modo se res vertat caute vaticinandum, cum plures infantes, qui cum morte colluctari videntur, superstites evadant, dum alii inter fallacem alcyonium statum rapiuntur.

Raro adhibenda venæ sectio inter variolarum & morbillorum curationem, præsertim sub lactatione, ni urgeat spirandi difficultas & impendeat pulmonum phlogosis. Haud me latet, plures nomen Medici falso sibi arrogantes, de hac re insanire, contra quos, sui temporis audaciores, sanguinis missionem, sub hac conditione, familiarius præcipientes, acriter, ni fallor, insurgit Riverius, de praxi medica optime meritus. Etsi juvat alvus lubrica, rariissime tamen, procedente morbo, adhiberi debent cathartica, quæ alias summe proficua circa finem censentur; imo & pluries iterari debent ad præcavendas morbi reliquias. Haud tamen vetantur inter morbi curriculum enemata & suppositoria, si alvus sit compressa. Narcotica angue pejus sunt fugienda, licet haud desint scioli, qui illa in familiarem usum trahunt. Nec minus reformidanda cardiaca & diaphoretica, inepto popello sum-

ſumme arridentia, ni urgeat ſumma virium debilitas. Inſuper opportune propinantur, per totum morbi ſtadium, diluentia & demulcentia. Quoad cætera præſidia alibi, dum de variolis & morbillis adultorum agebamus, recenſita, pro re nata & caute uſurpari queunt.

ATROPHIA.

RIte diſtinguenda *atrophia eſſentialis* infantum ab illa emaciatione quam poſt ſe trahunt lues venerea, ſcorbutus, alterve morbus chronicus. *Maraſmus*, de quo in præſentiarum, comitem habet renitentem abdominis prominentiam; atque faciei pallore, cibi faſtidio vel immani appetitu; tuſſi ſicca & nonnunquam ſpirandi difficultate, virium proſtratione, alvi fluxu & urinis craſſis vel rubris ſtipatur. Interea abdomen ulterius diſtenditur, & dolet; exſurgit febris lenta, quæ noctu & inter digeſtionem alimentorum ſuas exacerbationes patitur, cum ſiti inextinguibili: hæc excipit frigus extremorum letho finitimum. Parcior lactis ad mammas proventus, vel ejus prava indoles, inconſultus abſorbentium vel ſalium uſus, alimenta craſſiora & calidiora, &c. ſunt totidem *cauſæ* quæ hunc morbum inferre valent; ſub quo nobiliora labefactantur organa. In conſpectum enim veniunt inter *cadaverum ſectionem* venarum lactearum obſtructiones, & glandularum meſentericarum infarctus ſkirroſus; amurca nigra in inteſtinis flatu diſtentis contenta; vel lumbricorum copia. Hepar deforme & decolor, denſum & mole amplius; pulmo verſicolor, pleuræ accretus, tuberculis ſcatens, purulentia tactus, putredine defœdatus, &c. e quibus exitialem plerumque eſſe hanc atrophiæ ſpeciem colligere datur.

Tempeſtivæ tamen *curationi*, priuſquam ſcilicet altas egerit radices, cedere valet hic morbus, alias plane indomabilis: pro varia cauſa, diverſam inſtituendam eſſe nemo non videt. Ideo, ſi incuſetur lactis defectus, vel ejus prava indoles, alia incunctanter ſeligenda eſt nutrix, cæteræ vero cauſæ in obſcuris plerumque latent; quod tamen non impedit quominus varia, & cum cautela, experiantur præſidia. Itaque plurimum quandoque confert diluentium, blandiorumque aperientium uſus, tam pro lactentibus, quam pro ablactatis. Summe deprædicatur ſub hoc rerum ſtatu rheum, cæteraque laxantia; ſed a catharticis validioribus abſtinendum. Haud inutilem opem ludunt amara, caute exhibita; nec vetantur poſt ablactationem martialia, refracta doſi adhibita. Interea ſuas laudes merentur terra foliata tartari, arcanum duplicatum, oleum tartari per deliquium, &c. Opportune demum nonnunquam exhibetur liquor anodynus mineralis. Suis viribus etiam pollent remedia externa, linimenta nempe lubricantia, ex oleo chamæmeli parata, fotus emollientes, & enemata ſimpliciora; quibus addere juvat balnea, quæ cæteris præſertim antecellunt, ſi maraſmus a crinonibus cutem infantum laceſſentibus, de quibus infra, ſuboriatur.

HYDROPS ET TUMOR AQUEUS SPINALIS.

ALeucophlegmatia, aſcite, abdominis & ſcroti tumore œdematoſo, aliiſque hydropis ſpeciebus haud immunes ſunt infantes: ſed rariores ſub hac ætate cenſeri debent prædicti morbi. Parum mali portendit *anaſarca* opportunis remediis impugnata; ſæpiuſque uberiori lotii proventu, vel ſpontaneo alvi fluxu judicatur. Difficilior & longior eſt *aſcitis medela*; ſed ſolitis præſidiis plerumque obtemperat. Nullius periculi particeps eſt abdominis, & *ſcroti tumor œdematoſus* a morbo acuto proſapiam ducens: ſed pro calamitoſo habetur, ſi maraſmum & diarrhœam concomitetur: nec minus demum periculoſus cenſeri debet hydrops a redundante bile ſoboleſcens. *Cadavera* cultro anatomico ſubjecta ſummam viſcerum labem patefaciunt, proxime ſane accedentem ad ſtragem in adultis hoc morbo extinctis obſervari ſolitam. Mantiſſæ inſtar addere licet quamdam proſtare hiſtoriam de binis infantibus hydropicis, e quorum ſectione ante oculos verſabatur inverſus & perturbatus viſcerum ſitus, apex ſcilicet cordis latus dextrum occupabat; non ſecus ac

lien, hepate ad lævum translato: eadem ratione ſtomachus & inteſtina, pancreas, &c. contrarium ſitum obtinebant: num tamen hæc viſcerum tranſpoſitio pro cauſa morbi habenda ſit jure dubitandum.

Summam in *colluvie ſeroſa* opem ferunt *cathartica*, rheum ſcilicet, jalapa, pulvis cornachinus, &c. Nec inefficacia cenſentur *ſtomachica* & amara, radix nempe helenii, baccæ juniperi, folia chamædryos, abſinthii & centaureæ minoris: inter quorum uſum proſunt temperantia, uti cichorium, agrimonia, dens leonis, adiantum, cæteræque herbæ capillares, &c. Hæc opportune excipiunt aperientia & diuretica: qualia ſunt lingua cervina, radices aſparagi, bruſci, apii paluſtris & petroſelini, ſalia tamaraſci & abſinthii, aſelli, &c. Martialia vero ſolis ablactatis congruere ſupra notavimus. Suas laudes merentur veſicatoria ſub colluvie ſeroſa; ab inflicto enim hoc vulnuſculo, ſerum in quavis parte ſtagnans, exitum ſibi parare valet, & ab hoc profluvio haud levis ſubit ſanitatis ſpes.

Similibus ferme remediis impugnatur *ſcrotum œdematoſum*: ſed egregia ſub hoc morbo, præſertim a contuſione inter partum, obeunt munia *topica roborantia* & reſolventia; fotus nempe e decocto vinoſo roſarum rubrarum, florum chamæmeli, rutæ, fæniculi, &c. His addere licet aquam vitæ, aquam calcis, vel aluminoſam; aliaque ſalina & ſpirituoſa quæ horumce fotuum vires intendere valent. Pluribus arridet cataplaſma e farina fabarum confectum: alii deprædicant linimentum ex oleo laurino paratum; ut alia innumera remedia a mulierculis comprobata, haud ſemper poſthabenda, prætermittamus. Quibus incaſſum adhibitis proſunt veſicatoria vel ſcarificationes, quæ, uti innuimus, ſtagnanti ſero egreſſum largiri queunt: ſed ſolerti manu pertractari debent hæc remedia, quæ alias haud citra periculum adhibentur. Addere licet, erga lactentes, quod utrumque morbum ſæpius eximat novum lac; nec minorem etiam efficaciam adſcribendam eſſe aeris mutationi, neminem practicum latet.

Huc coincidit *tumor aqueus ſpinalis* recens natorum, de quo apud Auctores, ſub incongruo & obſcuro *ſpinæ bifidæ* nomine. Vertebris lumbaribus hæret prædictus tumor, diverſæ magnitudinis; nunc nucem caſtaneam æquans, nunc ad ovum columbinum accedens; latice aqueo ſcatens, mollis atque ſub digitis fluctuans; fuſcus vel cuti concolor. Hunc morbum congenitum, quem pro hernia ſpinæ nonnulli habent, merum eſſe productum morboſum docet autopſia cadaverum: ab hydrope ſcilicet cerebri & medullæ ſpinalis ſoboleſcit; ſub quo ſtatu ſtagnans ſerum ad infimam thecæ vertebralis partem irruens, medullæ, vel caudæ, ut inquiunt, equinæ involucrum in tumorem cogit, qui per poſticas vertebrarum intercapedines exitum molitur; & ſoluto repagulo, herniæ inſtar erumpit. Exhinc patet hunc morbum eſſe immedicabilem; qui ut plurimum artuum inferiorum paralyſim, ſpirandi difficultatem cum ſtertore, convulſioneſque lethales poſt ſe trahit. Nonnulli infantes hac protuberantia ſignati hydrocephalo etiam laborant: repertum enim fuit inter ſectionem capitis hoc morbo denatorum, ſtagnans ſerum ad libras quatuor: in quibuſdam deficiebat pars poſterior thecæ vertebralis, oſſi ſacro conterminæ: in aliis occurrebat horum oſſium prava conformatio, quæ hujuſce cyſtidis aquoſæ exitui favebat. Nulla patet medendi via: plures enim, qui hujuſce morbi characterem nequidem ſubolfaciebant, intempeſtivo inhærentes miniſterio, ad ſectionem deveniſſe traditur; qua brevi enecabantur miſelli infantes.

ICTERUS.

FLavo cutis & oculorum colore ſingulis obvius hicce morbus nonnullos recens natos invadit, nec cæteris infantiæ ætatibus parcit. Pro immedicabili habetur congenitus; nec periculi expers cenſeri debet poſt nativitatem contractus; cum colluviem ſeroſam in quacumque parte minetur; & ſummum curantibus faceſſat negotium. Auriginem in infantibus, non ſecus ac in adultis, dolores & tormina ventris, nec non vomitus pertinaciſſimos, accerſunt: nuſquam tamen ab hepatis labe organica oriri videtur morbus regius, ſub

hac

hac tenella ætate; sed a meconio, vel a colostro caseoso, duodenum infarciente in recens natis; unde præpeditur bilis effluxus in tubum intestinalem; vel a spasmo stomachi, qui forte cæteras abdominis partes in consensum trahit erga infantes ablactatos, vel natu majores, soboleſcit.

Alia est *curatio* lactentium; alia ablactatorum: sub primo casu leni cathartico per alvum expurganda venit saburra duodeno impacta; hæc obeunt munia syrupus de cichorio cum rheo, vel de pomis; jalapium, pulvis Cornachini, &c. Superato repagulo, hepati redundante bile infarcto & sanguini eodem humore conspurcato prospiciendum, blandioribus hepaticis & temperantibus; id genus sunt dens leonis, cichorium, herbæ capillares, agrimonia, &c. Suas etiam laudes merentur aperientia, & diuretica mitiora; uti lingua cervina, radices asparagi & apii palustris, sal tamarasci, &c. Aselli vero & martialia, necnon saponacea, biennes duntaxat, & provectiores respiciunt, ac summa cum cautela exhiberi debent; nec minus sub hac rerum conditione deprædicantur sal succini & pulvis viperarum, quæ solerti manu tractata præclaros præstant effectus.

Omnibus infantiæ ætatibus, servatis servandis, conducunt, congrua dosi, prædicta remedia: sed haud semper licet illa adhibere, ob indomabilem vomitum, sub quo ipsamet alimonia ipsis denegatur. Ideo omni ope primo compescendus est vomitus: ad quem scopum sæpius mira præstat ipecacuanha, aliudve emeticum; quod tamen haud semper rite succedit; quin potius ejus actione irritari queunt crabrones. Tum solis diluentibus & demulcentibus, syrupo florum aurantiorum nonnihil imprægnatis, haud posthabitis pulvere de gutteta, aliisque absorbentibus inhærendum; donec sedato spasmo, cathartica propinare liceat; quorum beneficio referantur bilis receptacula, & brevi fugatur morbus; juvantibus sane aperientibus & diureticis supra traditis; quibus fauste sociantur amara & stomachica. Curam denique, si res expostulet, absolvunt aquæ minerales, Vicienses nempe, Vallenses, Forgienses, &c.

LUES VENEREA.

A Matre vel nutrice infantibus traducitur virus venereum, quod *se prodit* maculis vel exanthematibus cutaneis; eruptionibus herpetiformibus, pustulis & tuberculis passim occurrentibus, acoribus & favis pravæ indolis; aphthis os dœfedantibus, ulceribus hanc vel illam partem occupantibus, quæ labem ipsismet ossibus nonnunquam inferunt; ophthalmia purulenta, atrophia, &c. quibus addere licet erysipelas quoddam universale, quod recens natos duntaxat respicit. E cutis læsionibus conjicere licet hanc labem in utero contractam fuisse; sed inquinata nutrice cogitandum, si os labefactetur. Lues venerea in infantibus periculosus audit morbus; eo quod ægre sub hac tenella ætate innotescit, & difficilius curatur. Nec ante secundum a nativitate mensem, etiam in re urgentissima inchoari potest hæc medela, quæ summam cautelam expostulat, alias ad quartum annum remittenda, ut robustiores infantes hanc sine vitæ discrimine ferre valeant.

Haud alia methodo impugnatur lues venerea in infantibus, ac in adultis: ætatis duntaxat habenda est ratio, ut congrua componatur specifici dosis. Præmissis scilicet generalibus in usum veniunt *sudorifica antivenerea*, vel medicamina *mercurialia*: paratur nempe ptisana e guaiaco, præcipitur pulvis salsæ parillæ panatellæ immiscendus, &c. Alias quotidie exhibentur panaceæ nonnulla grana per viginti circiter dies; vel celebrantur fricatus cum drachma semisse unguenti Neapolitani, octavam vel decimam duntaxat mercurii partem recipientis. In alterutrum latus decumbere debent infantes inter mercurii usum, tum internum, tum externum, ut saliva uberiori proventu stillans per locum declivem fluat; ne inter somnum œsophagum vel pharyngem haud sine præsenti vitæ periculo subeat. Eluuntur oris ulcera cum aqua mulsa, &c. erga vero debiliores lactentes, quibus haud citra piaculum exhiberi potest mercurius, usus invaluit, ut nutricis lac, uti jam innuimus, hoc remedio imprægnetur: sed suis premitur

difficultatibus hæc methodus, quæ anceps censeri debet, & insonti nutrici, nec perperam reluctanti, perniciem sæpius infert.

SCORBUTUS.

INfantes nonnunquam corripit hic morbus, cujus historiam alibi tradidimus; sed rarius quam vulgo fertur. Tantum valet præconcepta opinio, ut sæpius præbeat mendacio fidem. Scorbutum in utero materno *contrahunt* nonnulli infantes, qui etiam a lacte vel pravis alimentis soboleſcit: frequentius tamen a quovis alio morbo chronico prosapiam ducit. *In propatulo se sistit* scorbutus, si gingivæ afficiantur, & cutis notissimis exanthematibus signetur: sed tardius in quibusdam se produnt hæc signa, adeo ut alia inquirenda sint indicia; e quorum tamen syndrome meræ plerumque emergunt conjecturæ; donec prodeuntibus signis, ut inquiunt, pathognomonicis, certius constet de morbi genere.

Infantes scorbuto laborantes, desidiosi, nugas, motumque localem, ob crurum debilitatem, aversantur: inflatur inter digestionem horum stomachus: torminibus sæpius anguntur: dolores incertæ sedis, & somnum arcentes, patiuntur. Pulsus varias mutationes subit; donec febris insurgat; pulmones & viscera abdominalia, hoc morbo procedente, sæpius læduntur. Passim demum erumpunt tubercula gangliformia quæ pro signo pathognomonico a nonnullis habentur. Quotquot tamen sint prædictæ notæ, omnibus morbis chronicis fere communes latentis scorbuti suspicionem duntaxat movent: sed *morbi characterem* dilucide produnt gingivæ tumidæ; exulceratione defœdatæ, cruentæ & sanie conspurcatæ, ac fœtorem spargentes; ecchymoses purpuratæ passim occurrentes; eruptiones pustulosæ certi generis; tumores exigui & indolentes qui paucis elapsis diebus sponte evanescunt. Interea debiliores infantes ægre obambulant: tument in plerisque genua; donec crura suis obeundis muniis imparia plane evadant. Ad huncce gradum provectus scorbutus marasmum, ossium cariem, hæmorrhagias, & insultus epilepticos post se trahere solet; ni opportuna medicatione impugnetur.

Eadem ferme est *curandi methodus* sub infantia, ac in ætate provecta, dummodo cuique ætati congrua exhibeatur medicaminum dosis. Itaque præmissis generalibus & diluentibus, inter quæ cæteris præstat serum lactis, in usum vocantur *antiscorbutica* vulgatoria & magis comprobata, succus nimirum nasturtii aquatici & cochleariæ, syrupus antiscorbuticus, vinumque ejusdem generis. Cætera specifica quæ ex inexhaustis materiæ medicæ fontibus depromi queunt, & rarissime adversus infantum scorbutum usurpantur, consulto prætermittimus. Sed alia alterius sortis sunt medicamina, quæ pro re nata in subsidium venire queunt, fumaria nempe, chamædrys, cortex peruvianus, aliaque stomachica amara. Nec posthabenda blandiora cathartica identidem repetita. Sed futilia forent hæc omnia, vel exquisitiora præsidia, ni congruum componeretur regimen, quod ingredi solent raphanus, sinapi, aurantia, limones, aliaque id genus alimenta ex antiscorbuticorum ordine petita: quæ omnia etiam nutrices respiciunt pro lactentibus.

SCROPHULÆ.

HUnc affectum potius infantes quam adultos respicere, supra notavimus. Obscura sane est genuina scrophularum *prosapia*: plures enim illas habent pro morbo sui generis: alii vero luem veneream & scorbutum, morbos scilicet a parentibus vel nutrice transmissos ad infantes, scrophularum faciem induere contendunt; quod sane rationi & experientiæ nequaquam adversatur. Nemo nescit scrophulas, sub juvenili ætate, *sedem* præcipuam habere in glandulis cervicalibus & mesentericis, nec cæteris lymphaticis parcere. Manibus etiam & pedibus, aliisque artuum connexionibus insidere solent scrophulæ, quæ insuper oculos, nares, labia, &c. aggrediuntur. Sæpissime hiant *tumores scrophulosi*, qui phlogoseos & skirrhi participes esse videntur, & in ulcera sordida, a cancrosis vix discrepantia, facessunt. Interea febre lenta conficiuntur miselli

ſelli ægri, quam preſſo pede ſequitur maraſmus: ſub qua rerum conditione imus venter in tumorem attollitur, ab infarctu ſcilicet meſenterii. Nullus forte occurrit morbus inter praxim ſcrophulis *pertinacior*; imo & ſæpius pro immedicabilibus plane habentur.

Sæpius expedit in limine *curationis* ut vomitus cieatur, in quem finem opportune exhibetur ipecacuanha, proſuntque cathartica identidem repetita. Interea larga manu propinantur diluentia, temperantia & demulcentia, ut remediis efficacioribus paretur via. Opitulantur magneſia, cæteraque abſorbentia; fauſte etiam uſurpantur amara, & præſertim cortex peruvianus. Mira ſæpius præſtant antiſcorbutica: ſuas laudes merentur ſudorifica: ſed *ſpecifica* quaſi audiunt aperientia & *incidentia*, quæ intimiora corporis penetralia luſtrando, obſtructa vaſcula reſerare, & materiam inibi impactam auferre, ſolitiſque incerniculis tradere queunt: hanc opem præcipue præſtant aquæ Bonenſes, Baregienſes, aliæque minerales ſaponaceæ & ſulphureæ. Nonnulli deprædicant fructus cum unguento Neapolitano; ſed haud citra periculum adhiberi poteſt illud remedium: etſi, ut verum fatear, plures fauſto beavit eventu. Haud inanem denique operam ludunt cauteria & ſetacea; cum ſæpius virus ſcrophuloſum, una cum pure per hanc ſentinam foras amandetur. Multum poſtremo deprædicantur plantaginis folia extus admota; ſed de hujuſce ſtirpis, alias innoxiæ, viribus alterius inquirendum.

TUSSIS.

IN obſcuris plerumque latet tuſſis infantum indoles, quam ideo meris conjecturis aſſequi licet. Dilucidius ſane patet *tuſſis catarrhalis*, cæteris frequentior; quam præeunt ſternutatio, coryza & febricula, potius corporis æſtu, quam pulſus frequentia notabilis. Expectoratio quæ catarrhum in adultis ſolvere ſolet, plane deficit, vel ægre exercetur in infantibus: ſed huic evacuationi ſupplent aliæ excretiones. Tuſſis infantum catarrhalis, *vehementior* & epidemica, quæ *coqueluche* apud Noſtrates audit, ſuis exacerbationibus, vel paroxyſmis, a cæteris ſpeciebus rite diſtinguitur. Tanta enim ferocia ſæpius inſurgunt hujuſce tuſſis ferinæ & clangoſæ inſultus, ut facies colore atro violaceo ſuffundatur; & ſanguis ex ore & naribus erumpat: quare minime mirum, ſi tunc temporis cieatur vomitus; urinæ proſiliant, & ſolvatur alvus. Tuſſis infantum catarrhalis, blanda vel moleſta, a ſimplici pulmonum vel bronchiorum vellicatione oritur: ſed ſub alia rerum conditione *alterius morbi eſt ſoboles tuſſis*; & ſymptomatica audit. Conſtat enim tuſſim promoveri a peripneumonia, phthiſi, aliave pulmonum labe organica: nec latet ſcorbutum, luem veneream, ſcrophulas, rhachitidem & maraſmum, tuſſi plerumque ſtipari. Sed cum ſummis difficultatibus ſæpiſſime prematur horumce morborum *diagnoſis*, minime mirari ſubit, ſi ſæpius inextricabilis ſit genuina tuſſis cauſa: quæ alias nonnunquam concitatur a dentitione, a vermibus in primis viis nidulantibus. Sed *inter* varias *tuſſes ſymptomaticas*, crebrius ſane occurrit *ſtomachalis*, nulli ætati parcens; ſed infantibus familiariſſima; a ſaburra ſcilicet acida, mucoſa & glutinoſa, ventriculum laceſſente, prognata: ſe prodit hic morbi fomes cibi faſtidio, ructibus fœtidis, inflatione ſtomachi, &c. Ubi poſtremo, re manente dubia, opitulatur vomitus ſpontaneus, vel quocumque modo concitatus; tuſſim a ſordibus in ventriculo reconditis foveri credere par eſt.

Feralem ſæpius habet *exitum tuſſis vehemens*, & convulſiva, non modo ſub variolis & morbillis, ſed etiam inter dentitionem. Præter ſuffocationis metum, alia ab hac ſæviſſima tuſſi impendent mala, herniæ nempe, ani prolapſus; ac nonnunquam ſpinæ inflexio. *Catarrhus* infantum ad certum gradum provectus, *periculi* nuſquam expers cenſetur; nec falſum terrorem incutit, ſi febre intenſiori, roncho & ſibilo ſtipetur. Sub hac tuſſis ſpecie & conſtitutione epidemica, haud raro erumpunt efflorescentiæ puſtuloſæ, vel ſudores, e quibus felicem *eventum* hariolari licet. Facile evincitur tuſſis catarrhalis ſimplex & recens: ſed ſi a quavis organo-

norum respirationi dicatorum læsione, in obscuris sæpius latente, foveatur, res sane periculosæ aleæ. Quoad alias tussium symptomaticarum species, a primarii morbi indole eruendam esse prognosim nemo non intelligit.

Haud dubitare licet quin *medela ad morbi causam*, uti solemne est in cæteris morbis, sit *dirigenda*. Sed cum in cimmeriis sæpe lateat tenebris hæc causa, & nil certi de hac re ab exarata, apud Auctores, hujusce morbi historia eruere liceat; generalem duntaxat curandi methodum proponemus; quæ recto adhibito moderamine, a bene perspectis morbi phænomenis eruendo, utrique casui, tussi nempe catarrhali & stomachicæ, congruere valet. Hunc vero articulum minime respiciunt cæteræ tusses symptomaticæ, quæ medicaminibus primario morbo adscriptis impugnari debent. Consulto etiam prætermittimus tussem a phlogosi, exulceratione, alioque pulmonum vitio, prognatam; ne a repetita crambe prolixius emergat opus.

Ut ad *curationem* deveniamus; sævientibus febre, & spirandi difficultate, sanguinem mittere licet: alias futilis & noxia est *venæ sectio*. Saluberrimum esse erga infantes tussientes *vomitum* spontaneum jam supra notavimus: hinc patet cur opportune exhibeantur tartarus stibiatus, radix brasilienſis & kermes minerale. Hæc munia erga nauseabundos obire queunt alia mitiora & vulgatiora; sperma nempe ceti in jusculo solutum, pharyngis vellicatio a penna oleo inuncta, &c. Summum etiam præstant auxilium *cathartica* pluries repetita, inter quæ familiarius usurpantur rheum & aquila alba. Interea propinari solent diluentia & demulcentia; serum nempe lactis, aqua pulli, decoctum napi, sperma ceti, syrupus de althæa, &c. Suas laudes etiam meretur syrupus de erysimo: sed parum aut nil prosunt cætera bechica vulgatiora. Haud immerito deprædicatur corallii, lapillorum cancrorum fluviatilium, absinthii, corticis citri, elixirii proprietatis, aliorumque absorbentium & stomachichorum usus. Fauste etiam usurpantur antispasmodica, pulvis nempe de gutteta, pæonia, viscum quercinum, succinum, crocus, castoreum, &c. haud posthabenda sunt hypnotica; sed summa cautela exhiberi debent. Pluris habentur denique inter *tussem chronicam*, aperientia & sudorifica; aselli nempe, arcanum duplicatum, terra foliata tartari, sal absinthii, antimonium diaphoreticum, &c. Sed cavendum ne hisce intempestivis præsidiis irritentur crabrones. Laudantur etiam sub eadem rerum conditione vesicatoria, cauterium & setaceum; præsertim si ab eruptionum cutanearum retrocessu prosapiam ducat tussis. Quibusdam arridet linimenta cum axungia humana, oleo amygdalarum dulcium, chamæmeli, &c. pectori admovenda. A nonnullis demum summe deprædicatur oleum scorpionum, quo illinuntur lumbi, si lotium suffl aminetur.

ANHELITUS ET SUFFOCATIO.

VArias notissimasque anhelationis & suffocationis species, nulli ætati parcentes, de quibus alibi, missas facimus; ut de his duntaxat quæ infantes, vel recens natos, corripere solent agamus; inter quas binæ præsertim recensendæ veniunt: prima scilicet ab infarctu bronchiorum oriri videtur; & pro *catarrho suffocante infantum* haberi potest; altera a linguæ ad fauces devolutione promovetur. Hæc catarrhi suffocantis species, de qua altum apud Auctores silentium; cui anteire solent maximus muci proventus & alvi profluvium; nullo alias notabili prodromo, ablactatos plerumque invadit. Noctu sub primo somno, *incubi* instar, ingruens insultus vehementi se profert spirandi difficultate cum strepitu & stertore. Pulsus parvus, durus & ferocior exploratur: facies insolitum pallorem induit: expansæ nares muci copia replentur. Interea, imminente suffocationis periculo, diversimode agitatur infans & quasi convellitur, crebris productis suspiriis & quasi irritis tussiendi conatibus: alias tussi ferociori corripitur. Sub hisce angustiis pulsus nonnunquam obliteratur, & friget corporis habitus; donec congruis præsidiis, vel spontanea pituitæ mucosæ excretione solvatur paroxysmus; qui tamen inordi-

na-

natis intervallis recurrere solet, semper periculosæ aleæ. Quidpiam spasmodici latere in hocce morbo conjicere licet; qui ab exuperante muco oriri videtur: nares enim, fauces, laryngem & tracheam, hac glutinosa materia impeditas exhibet sectio cadaverum.

Hinc patet *curandi processus*, qui in evacuatione illius humoris viscidissimi versatur; quod sane quidem ægre perficitur, ni organa movenda fuerint obsequiosa & flexibiliora. Ideo nulla mora propinandum emeticum, quo educi solet ingens materiæ viscidæ copia; cujus ejectione liberior exercetur respiratio; vel mire compescitur morbus. Pulsus tum plenior observatur, & ingruit febris, in plerisque, quæ ad triduum protelatur; sub cujus finem, egregiam opem præstant cathartica, quæ secessum mucosum copiosissimum movere solent. Hisce præsidiis evicto morbo; aliud medentibus incumbit munus, ut scilicet ejus reditum præcaveant; & hæc est præcipua curandi meta; quam assequi licet, materiam morbosam ad sentinam intestinalem identidem amandando: & ideo propria experientia constitit oppido conferre cathartica blandiora, bis, terve, per mensem adhibita. His obsecundant stomachica, roborantia & aperientia, quibus nil efficacius ad præcavendam pituitæ viscidioris genesim: hisce viribus pollent cichorium, fumaria, abrotanum, absinthium, rheum, ipecacuanha, crocus martis, syrupus mercurialis, extractum juniperi, &c. Hunc effectum felicius exerunt, si vires ferant, aquæ minerales, Forgienses nempe, Vicienses, Bonenses, Baregienses, &c. que cuncta permeando, corporis sentinas & colluviaria referant.

Alia, nec minus reformidanda observatur suffocationis species, quæ recens natos duntaxat respicit, de qua fuse PETITUS, præclarus artis chirurgicæ arbiter, in actis Acad. Reg. Scientiarum. A *linguæ* quasi *voratæ* devolutione ad fauces suboritur hic affectus, ad quem procliviores censeri debent quibus præpostere, vel plus æquo, sectum fuit frænum linguæ. E sua sede depulso hoc organo, insolitos deglutitionis motus edit infans, quasi a bolo faucibus hærente; quos brevi sequitur suffocatio, ob denegatum scilicet aeris ingressum intra pulmones a depressa epiglottide. Plures sub hocce infortunio, cujus causam nequidem suspicantur mulierculæ, extinguuntur. Huic morbo, si innotescat, facile occurritur; fatumque avertitur linguam reponendo, sola ope digiti in os immissi; quæ dein congruo spleniolo, vel quavis alia arte, in ore retineri debet: diuque est protelanda hæc cura mechanica, ne infans denuo linguam deglutiat, & idem periculum incurrat. Fertur Nigritas laboris impatientes, & ærumnis pertæsos, linguam pro arbitrio vorare, ut suppresso spiritu ad ineluctabile fatum properent.

VOMITUS.

CONducibilem esse vomitum ab ingurgitatione ortum, præsertim erga lactentes, neminem ferme latet: sed si diutius proteletur & singultu stipetur, res est periculosæ aleæ. E supra traditis colligere datur *vomitum* sæpius moveri *a tussi vehementiori*, & tussim concitari a sordibus in stomacho nidulantibus; quod sane quidem consensum inter respirationis & digestionum organa prodit, e quo bene perspecto, sæpius eruitur legitimus curandi ritus. Vomitus præterea tam in infantibus quam in adultis, inter variolarum, morbillorum, febrium continuarum & intermittentium, &c. prodromos numeratur. A mala stomachi, partiumque ambientium conformatione nonnunquam oritur; sub quo casu plane indomabilem esse nemo non intelligit. Alias vel sponte sedatur, vel simplicioribus remediis obtemperat. Solo enim regimine rite composito *vomitui ablactatorum* consulitur. Curantur alii merum lac rejicientes, si rarius ipsis præbeantur ubera, & moderata fiat suctio, nec alia opus est medela.

Sub cæteris casibus, præmissis diluentibus, opportune usurpantur *evacuantia per alvum* blandiora; familiarissime in hunc scopum præscribitur syrupus de cichorio cum rheo, præsertim pro lactentibus. Dein præsentaneam opem ferunt *absor-*

ben-

bentia, ni fœtorem ſubaceſſentem ſpiret os, & materies per vomitum rejectæ, non ſecus ac fœces alvinæ cruditatum acidarum indicia præbeant. Suas laudes etiam merentur, poſt debitas evacuationes, *ſtomachica* & carminantia; ſyrupus nempe cydoniorum, theriaca, aniſum, nux moſchata, oleum macis, &c. Haud vetantur ſub urgentiori caſu hypnotica, dummodo ſolerti manu tractentur. Notare juvat quod maximi ſit momenti ut alvus, inter uſum prædictorum remediorum, ſervetur libera; inteſtina enematum ope ſæpius eluendo, cum cathartica crebrius adhibere minime liceat. Inſuper haud deſpicienda *roborantia externa*, quæ internis mire obſecundant: itaque regioni epigaſtricæ, vel ſcrobiculo cordis, fauſte admoventur lintea infuſo roſarum rubrarum vinoſo, cinnamomi, caryophyllorum, &c. imbuta. Eidem parti proficue etiam imponuntur pulpa cydoniorum, theriaca, panis aſſatus vino generoſo irroratus, & aromaticis conſperſus, &c. Quantæ enim ſint efficaciæ prædicta topica, norunt ſane quos non latet magis in infantia patulos eſſe corporis porulos, quam ſub alia ætate.

TORMINA.

HAud dubitare licet quin torminibus ſæpius torqueantur lactentes: ſed indicio ſat manifeſto minime *innoteſcit* hic affectus, adeo ut huicce moleſtiæ perperam haud raro referantur infantum ejulatus. Præter meconium, quod recens natos duntaxat reſpicit, *ſuboriuntur cruciatus abdominales* a prava lactis indole, a ſpiſſiori vel incocta pulticula, a fructibus horæis vel immaturis, a ſaccharatis, non ſecus ac ab ſtimulantibus cathartici. Hæc præterea promovent flatulentia & vermes, pedum & imi ventris refrigeratio, dentitio, &c. Sed rite ſunt diſtinguendi a torminibus, de quibus in præſentiarum, abdominis dolores a pertinaci meſenterii, aliorumque viſcerum labe oriundi. In ancipiti ſæpius verſari torminum legitimorum indicia, ſupra notavimus. Hæc tamen denuntiant inquietudines nulla arte compeſcendæ, ejulatus, corporis diſtorſiones, ventris inflatio, flatuum expulſio, fæces ſubvirides & diverſæ conſiſtentiæ, alvi compreſſio, &c. *Periculo* plerumque vacat hic affectus, qui alias febrem, ſpirandi difficultatem, convulſiones, &c. poſt ſe trahit.

Omnem paginam implent *demulcentia*; aqua nempe pulli, oleum amygdalarum dulcium, ſperma ceti, aliaque conſimilia; quorum ope obtunduntur & cicurantur vellicantes & lancinantes materies, & hinc leniuntur tormina. Nec minus proſunt inter horum dolorum remiſſionem, laxantia blandiora; caſſia nempe, manna, rhabarbarum, &c. Caute vero cum catharticis mercari expedit, præſertim validioribus, nonnunquam tamen poſt debitum diluentium uſum efficaciſſimis. Nec minorem forte perniciem inferre poteſt latiſſimus, vel crebrior oleorum uſus, quo ſenſim debilitatur ſtomachus, variique progerminantur morbi, quorum cauſa in obſcuris latet; hinc a nonnullis prioris notæ practicis plane abdicatur; quod tamen cum grano ſalis accipiendum eſſe cenſemus; cum experientia judice, nil mali e cauto hujuſce remedii uſu oriri videatur. *Carminantia* a multis immerito deſpecta, haud ſuis viribus defraudantur, cum ſedantium vices gerant, inter quæ uſitatiora audiunt iris florentina, pulvis & oleum aniſi, aquæ menthæ, &c. Præſentaneam opem ferunt *abſorbentia*, corallium nempe & corallina, teſtacea, &c. ſi acida incuſetur colluvies, nec minus auxilium præſtant ſemen ſantonicum, cæteraque anthelmintica, ubi de progenie verminoſa movetur ſuſpicio. Cautus debet eſſe hypnoticorum uſus, etſi apud nonnullas mulierculas, ſedandis importunis vagitibus intentas, familiariſſimus. Nemo non novit enematum anodynorum, carminantium & laxantium efficaciam; quorum compoſitionem ingredi ſolent, lac, ſaccharum, aniſum, flores chamæmeli, oleum, butyrum, caſſia, &c. Nec poſthabenda linimenta ex axungiis; oleo rutæ & chamæmeli, adjectis nonnullis olei aniſi guttis, parata. Suas laudes etiam merentur veſicæ lacte tepido ſemiturgidæ; frixa cum oleo nucum ovorum intrita; aliaque innume-

ra

ra a mulierculis acceptiſſima quorum cenſum prætermittimus, ne nauſeabundum emergat opus.

ALVI FLUXUS.

INter vulgatiores *diarrhœæ* & *dyſenteriæ infantum cauſas* recenſeri debent dentitio, lac inquinatum, & incondita victus ratio. Alvi fluxus legitimus, abſque febre, aliove gravi ſymptomate, periculi expers eſt; imo & ſalubris audit inter dentitionem: ſed metum incutit, ſi vigiliis, tuſſi, cibi faſtidio, vomitu, torminibus cum dejectionibus ſupra modum fœtentibus ſtipetur. Calamitoſus cenſetur, ſi vigente febre lenta, renitens abdomen in altum elevetur: ſub qua rerum conditione vix de meſenterii infarctu skirrhoſo dubitare licet. Idem ferme eſto judicium de alvi fluxu cruento, quem per plures menſes citra grave incommodum ferre queunt infantes; qui tamen ominoſus evadit ſi aphthis, inappetentiæ, abdominis protuberantiæ, torminibus, teneſmo, vigiliis & febri lentæ ſocietur. A fluxu cœliaco haud immunes etiam ſunt, ut alibi notavimus, infantes; quem fovere videtur uberior muci inteſtinalis proventus.

Inter efficaciora *remedia* adverſus utrumque alvi fluxum infantum, ab acida lactis corruptela ſæpius ortum, recenſentur emetica & cathartica; ſi ſinat pulſus & abdominis conditio: circa quæ notare licet quod ipecacuanha, rheum, cæteraque laxantia dyſenteriæ magis congruant. Interea opportune exhibentur diluentia & demulcentia, aqua nempe pulli, aut carnis vitulinæ, ptiſana oryzæ, ſerum lactis, oleum amygdalarum dulcium, &c. Nonnullam opem præſtant diaphoretica, papaver nempe rhœas, ſcorſonera, aliaque affinia. Proſunt quoque abſorbentia: adſtringentia vero, uti ſyrupus cydoniorum, granatorum, &c. nunc juvant, nunc noxam inferunt: ideo conſulto ſunt adhibenda. Haud minorem cautelam efflagitant narcotica, quæ ſub hiſce caſibus necrotica evadere queunt; nonnunquam tamen proficua, ſi opportune uſurpentur. Inſuper haud mammis diutius hæreant lactentes; alias crebrius ipſis admovendi; quod ſane norunt ſolertiores nutrices. Diætæ congruæ ſubmittantur ablactati, & a carnibus præſertim abſtineant. Interea cæteris medicaminibus palmam præripiunt enemata e mero lacte, cui nonnulli addunt mel violaceum, aut vitellum ovi; e juſculo omaſorum, vel capitis vervecini; e ſero lactis, decocto oryzæ, &c. Quoad fotus vel epithemata ex adſtringentibus parata, pro ſiculneis præſidiis a potiori clinicorum parte habentur.

VENTRIS SEGNITIES.

ALvus ſub primo ætatis anno bis terve per diem, juxta ſancitas a natura leges, exonerari debet. Plura enim impendent mala ab ejus nimia compreſſione; inquietudines nempe quibus arcetur ſomnus, abdominis inflatio, tormina, ſpirandi difficultates, inſultus epileptici, &c. Sub dentitione præſertim lubrica debet eſſe infantum alvus, cum majorem dentientibus moleſtiam creet ejus ſegnities. A lacte calidiori, vel craſſioris conſiſtentiæ, originem ducere valet hic affectus; ſed ſæpius a peculiari infantum temperie *ſoboleſcit*: nec raro utramque cauſam agnoſcit ventris ſtipticitas. *Nutricibus proſpiciendum*, ſi inculpetur prava lactis indoles: ipſis ſcilicet præcipiuntur ptiſanæ vel juſcula refrigerantia: danda præcipue eſt opera ut a calidioribus cibis, & cupediis abſtineant, & a vino temperent, ut negotiis & curis valedicant; ac in hiſce præceptis præcipuum verſatur curationis momentum.

Reliquum curæ ſimplicioribus abſolvitur. Sollicitatur nempe alvus *ſuppoſitoriis* e cereolo, porro, betæ, vel mercurialis, caule; e lardo, ſapone, aut melle cocto paratis; quibus addere licet, ad majorem ſtimulum, ſal gemmeum vel ammoniacum; jalapium, agaricum, aloen, colocynthidem, &c. atque in eumdem ſcopum injiciuntur *enemata* emollientia, & nonnihil cathartica; quibus nil proficientibus ad laxantia ore ſumpta devenire expedit; qualia ſunt oleum amygdalarum dulcium, manna, rheum, &c. ſed nuſquam innoxius cenſeri debet ho-

rum usus diutius protractus. Nonnullis lactentibus prodest ad alvum reserandam succus parietariæ ad drachmam unam vel alteram exhibitus. Suas laudes etiam merentur *linimenta* e butyro, vel oleo amygdalarum dulcium parata & umbilico admovenda, quibus addere licet, si nil obstet, colocynthidem, scammonium, trochiscos alhandal, &c. Haud despiciendum unguentum de arthanita, quod in officinis ad hoc opus prostat; cujus tamen, nescio quo fato, usus ferme eviluit. Nonnunquam optime cessit aqua frigida, fotus instar, clunibus & coxis admota; haud dubitare licet quin alvus hac arte plerumque solvatur; sed pro comperto etiam manet tormina nonnullis infantibus infligere hanc methodum, quæ hinc caute est adhibenda.

VERMES.

RAro hisce conflictantur lactentes, sed familiarius cæteros *invadit verminosa progenies*, præsertim a sexto ætatis anno ad pubertatem. Variis signis se prodit hic affectus, sed haud semper spectabilia se proferunt: hinc fit ut sæpius ægre expiscetur ejus indoles, quam meris conjecturis assequi licet. Inter progeniei verminosæ, in primis viis nidulantis, *indicia* numerantur ructus acidi, quos prodit peculiaris oris fœtor, ptyalismus, vomitus, singultus, tussis, sitis, appetitus nunc exquisitus, nunc prostratus; imi ventris inflatio, tormina, alvi fluxus, dejectiones mucosæ & fœtidæ; facies nunc pallida, nunc florida, narium pruritus, pavores nocturni, stridor dentium, dolores artuum acutissimi vix a rheumaticis discrepantes; lotium pallido-turbidum, &c. quibus addere licet vermium excretionem, qua morbus in ancipiti haud amplius versatur. Graviora a vermibus nonnunquam suscitantur symptomata, anxietates nempe, lipothymiæ, febris acuta & irregularis, convulsiones, somnolentia, &c.

In quovis ferme ablactatorum affectu reconditæ naturæ, cogitatur de vermibus, qui tamen *sepius immerito incusantur*: non secus ac dentitionis vel torminum movetur suspicio sub quovis lactentium morbo intricatæ indolis. Præterea insultus verminosi rariores sunt quam vulgo fertur: nec ab errore plane vindicat ipsorummet lumbricorum expulsio, cum ratum maneat, vermes tum infantum, tum adultorum, sæpissime in primis viis hospitari, & per alterutram viam foras eliminari, ne minima quidem prægressa molestia. Pro *febre* mali moris habetur *verminosa*, cum in plerisque, putridæ vel malignæ faciem induat; sub qua difficilis respiratio, renitens ventris tumor, oculi convulsi, frigus extremorum, pulsus obliteratus, &c. inter ominosa, uti solemne est in cæteris febribus, symptomata numerantur. Alia occurrit febris verminosa, hectica nempe, quæ sæpissime alvi fluxum comitem habet: alias cinerea vel grisea dejiciuntur excrementa, & urinæ turbidæ sedimentum limosum deponunt. Vermes trans ventriculi, intestinorum, musculorum & corporis involucrorum contextum, circa umbilicum, inguina, &c. exitum nonnunquam sibi parare, alibi notavimus. Addere juvat hunc casum infantibus familiarem esse; eo quod laxior prædictarum partium contextus facilius perfodiatur.

Haud dubitare licet quin *cathartica*, *mercurialia* præsertim, cæteris vermifugis longe præstent; usitatiora audiunt jalapa, diagrydium, syrupus florum persicorum, pulvis cornachinus, aquila alba, aliaque innumera e materiæ medicæ penu depromenda. Ex observatis constat convulsiones a vermibus nonnunquam ope emetici fugatas fuisse; sed si huic symptomati superando impar sit illud remedium, præceps exitium afferre potest: hinc non nisi summa cautela in usum vocandum. De *anthelminticorum* viribus multum controvertitur: sed cum haud nostrum sit lites tantas componere, selectiora a potiori clinicorum parte comprobata in medium adducemus: hæc sunt semen santonicum, aliaque amara, corallina, cum cæteris absorbentibus; limatura ferri cujus usus protelari debet; petroleum, aliave diversæ sortis olea; mercurius crudus; ejus decoctum, vel præparata officinalia, quæ opportune catharticis sociantur. Nec inutilem,

lem, pro re nata, opem præstant antispasmodica, nonnullaque alia remedia, de quibus supra in capitulo cognomine. In subsidium demum veniunt *enemata* e decocto caricarum, e lacte & saccharo parata; aliaque demulcentia quibus vermes alliciuntur, & inferiora versus deturbantur. Nec despicienda *linimenta* e petroleo, oleo chamæmeli vel absinthii, laurino, &c. adversus infantum vermes proficuis; cum secretiora intestinorum adyta trans laxiorem partium contextum penetrare valeant.

Priusquam manum e tabula amoveamus, haud abs re erit notare, infantes *ascaridibus* minime esse obnoxios; rarissimumque esse sub hac ætate *lumbricum latum*; adeo ut de illo nusquam ferme cogitetur, ni quædam fusta una cum fæcibus excreta fuerint per podicem. Frequentius sane in conspectum veniret hæc vermis species; si, uti nonnulli opinantur, esset congenitus, vel hominis coætaneus; quod rationi & experientiæ adversari videtur. De remediis adversus tæniam vel lumbricum latum adhiberi solitis, satis superque alibi actum fuit: cum igitur haud absimilia, habita ratione ætatis, infantibus præcipiantur; hisce recensendis haud diutius immorabimur. Insuper mentio etiam subjicitur, inter morbos infantum numerandos, de vermibus umbilicalibus, qui nil aliud sunt quam lumbrici per umbilicum, uti supra notavimus, exitum sibi parantes. Crinones demum & cirones ad morbos cutaneos spectant.

TUMOR ET INFLATIO ABDOMINIS.

A Duplici ut plurimum *causa* ultra modum tumet imus venter infantum; a flatulentia nempe, vel a visceram infarctu: utriusque status *signa* alibi tradita consulto prætermittimus. *Periculo* vacant *flatus* in tubo intestinali incarcerati, dummodo certis terminis coerceantur; sed ab hisce plus æquo luxuriantibus hernia tum umbilicalis, tum inguinalis promoveri potest; ut de aliis in abdomine læsionibus, de quibus satis superque actum fuit, nil dicamus. *Ominosior* censeri debet renitens abdominis prominentia, ab infarctu skirrhoso viscerum; quæ apud nostrates *carreau* audit. Vulgatissimam in mesenterio sedem habere hunc morbum neminem ferme latet: quo fit ut obturata, aut plus æquo constricta vasa lactea appellenti chylo ingressum plane denegent. Hinc minime mirum, si infans hoc rore nutritio orbatus sensim macie conficiatur: sub qua rerum conditione subtumida pallet facies, cum habitu corporis œdematoso. His accedunt tristitia, inappetentia, tarditas ad motum, pervigiliæ, dolores circa umbilicum, sitis & febricula serotina. Nonnulli demum in rhachitidem incidunt. Alvus sub primis morbi temporibus dura, sensim solvitur, succedente alvi fluxu pertinacissimo, qui pro symptomate letho finitimo jure habetur.

Rheo, aliisque *blandioribus catharticis*, domari solet ventris *protuberantia a flatibus*: nec inutilem opem præstant, quidquid in contrarium adducant nonnulli recentiores, vulgatiora *carminantia*; pulvis nempe florum chamæmeli, vel seminum anisi, oleum ejusdem seminis, aliaque id sortis, quæ sedantium vices explendo, flatuum expulsioni egregie favent. Interea haud posthabenda sunt diluentia, quæ cæteris præsidiis obsecundare videntur. Prosunt insuper fotus emollientes, non secus ac enemata ex iisdem plantis parata. Quod spectat tumorem abdominis, vel infarctum viscerum skirrhosum, a fructibus immaturis, aliisque pravis alimentis, a verminosa progenie, eruptionibus retropulsis, vel scrophulosa labe prognatum; alius adhibetur *curandi modus*: præcipiuntur scilicet alibi tradita remedia quæ obstructiones reserare valent, inter quæ, prius instituto congruo regimine, primatum ducere videtur, sub infantia, sal martis Riverii. Identidem præscribi debent blandiora cathartica; rheum scilicet, manna, tamarindi, sal glauberianum, arcanum duplicatum, &c. aquæ demum minerales, præsertim martiales, hanc curationem claudere solent. Opportune etiam admoventur, inter morbi decursum, fotus emollientes & resolventes; epithemata cum felle bovillo, fuligine & aloe parata, varia emplastra officinalia incidendi vi

prædita, &c. Nec omittendum erga lactentes nutricis conductitiæ examen, cum a lacte pravæ indolis originem plerumque trahat hic affectus.

HERNIÆ ET UMBILICI PROMINENTIA.

AB ejulatibus & gannitibus, a tussi, flatulentia, &c. intestina sub infantili ætate a propria sede sæpius dimoveri, jam supra inculcavimus. Nil mali portendit *intestini delapsus*: facillime enim repellitur hicce tubus, & vulgatissimis *subligaculis* continetur. Sed opus est cæteris præsidiis, ut præcaveatur alter descensus. Proficue in hunc scopum imponitur cataplasma e farina fabarum & oxymelle paratum: nemo nescit celebratissimum, sub hoc rerum statu, olim fuisse emplastrum, ut inquiunt, *du Prieur de Cabrieres*; nec desunt alia adstringentia, quæ ejus vires æquare valent. Sed inefficacia censeri debent hæc topica vel exquisitiora, ni infantes per mensem integrum & ultra, quantum licet, decumbant. Pluris olim etiam habebatur spiritus salis ad nonnullas guttas potui mixtus, dum pro arcano a prædicto Auctore venditabatur: sed ubi regis munificentia publici juris fuit, brevi, mirum dictu, ab usu ferme recessit.

Ad *umbilici prominentiam* pronos esse recens natos nemo nescit, præsertim si funiculus umbilicalis, obstetricis incuria, haud rite deligatus fuerit. Haud raro congenitus est hic tumor a prolapsu intestini ortus, adeo ut sub hoc casu eveniat, ut quædam tubi intestinalis portio ligatura ab insciis mulierculis constringatur, quæ scilicet cum putrescente funiculo decidit: hinc emergit *foramen patulum*, quod fecibus alvinis egressum largitur, cui infortunio vix mederi potest ars chirurgica sub prima infantia, sed ubi labentibus annis robustiores evadunt infantes, hoc tædioso morbo facile liberantur, prædictum vulnus cruentando, ut suppuratum abeat; & dein solitis auxiliis accedente glutine nutritio ferruminatur. Ubi vero, ut in orbitam revertamur, *phlogosi corripitur tumor umbilici*, proficue imponuntur cataplasmata emollientia vulgatiora, emplastrum de spermate ceti, unguentum rosaceum, album Rhasis, populeum, ceratum, &c. Si in ulcus facessat prædicta prominentia, in usum vocantur collutiones ex aqua calcis, aqua plantaginis aluminosa; &c. Admoventur etiam unguentum diapompholygos, emplastrum de cerussa, pulvis ligni carioси, aliaque exiccantia. Non secus ac demum in hernia umbilicali, congruo subligaculo munitur pars extus prominens.

CALCULUS ET ISCHURIA.

ALITHIASI haud immunes esse ipsosmet lactentes, & a parentibus in prolem transmitti hunc dirum morbum, multiplici experientia constat. Sed ægre innotescit hæc ægritudinis species sub hac tenella ætate, ni adhibeatur *cathater*, vel *digitus in anum* immittatur. Calculum in vesica latitantem conjicere licet, si stranguria torqueantur infantes, & nonnisi guttatim inter fletus & clamores prorumpat urina. Sexennes, & natu majores, penem tandiu manibus distrahunt & torquent, quandiu urgent dolores; adeo ut hacce *nota* sæpissime in propatulo se sistat hic affectus; alias obscurus, & reconditæ indolis; ni traditis explorationibus submittantur ægri. Nil proficiunt exquisitiora lithontriptica sub infantili ætate: sola *lithotomia* domari potest hic sævissimus morbus. Sed hac arte sublato calculo, extra aleam minime ponuntur infantes, cum alterius lapidis impendeat genesis, ni congruo regimine & largo præsertim aquæ potu prævertatur.

Ischuriam sæpius post se trahere calculum vesicæ, neminem vel rudem & inexpertum fugit; quid tum opus est factu supra declaravimus. Sed a variis aliis causis altioris sane indaginis sufflaminatur lotium, quas assequi sæpius minime licet: quo fit ut, hisce inextricatis, medendi judicium dirigi nequeat. Inter hasce angustias viam ad *curationem* variis tentaminibus sibi parare solent clinici. Pluribus sane infantibus mingendi difficultate conflictatis prosunt demulcentia: sed noxam inferre potest largus aquæ potus, si obici sol-

ſolvendo impar ſit ; ſub qua conditione ſolus cathater cruciatibus infantum occurrere poteſt : ſumme deprædicatur, nec immerito cataplaſma e parietaria confectum ; ſuis etiam viribus pollent cepæ contuſæ & hypogaſtricæ regioni admotæ. Nonnullis arridet linimentum ex oleo ſcorpionum paratum, ut innumera alia remedia ſupra tradita, interna vel externa miſſa faciamus.

ANI PROLAPSUS ET HÆMORRHOIDES.

Ani procidentiæ obnoxios eſſe infantes neminem fugit : nec latet facillime in priſtinum ſitum reponi inteſtinum, ſola ſcilicet clunium compreſſione, vel beneficio digiti butyro vel oleo inuncti. Sed aliud incumbit munus, ut ſcilicet laxiorum partium tonus reſtituatur in integrum ; hanc opem præſtant infuſum vinoſum roſarum rubrarum, decoctum plantaginis & abſinthii, gallæ & corticis granatorum, quibus addere licet alumen ; vel immittitur ſuppoſitorium e goſſipio confectum, ſanguine draconis, maſtiche, aliiſque materiebus *adſtringentibus* in pulverem redactis conſperſum. Requiritur poſtremo ut infantes e cunis exceſſi, recto corpore, quantum licet, alvum exonerent. Hæc ſunt auxilia adhiberi ſolita adverſus hunc podicis morbum ; cujus tamen curatio a ſolertioribus naturæ plerumque committitur ; cum haud dubitare liceat quin labentibus annis ſponte coerceatur hic affectus, qui alias nulli ætati parcit.

Inter morbos hæreditarios nonnunquam ſunt recenſendæ *hæmorroides* : hinc minime mirari ſubit, ſi quidam infantes hoc morbo corripiantur. Rariſſime ſub hac ætate extus prominent hæmorrhoides ; ſed ſitum internum plerumque habent ; quo fit ut ægre innoteſcant ; ni ſanguinem inter egerendum fundant. Nec ſemper morbi characterem prodit hoc cruoris profluvium, quod pro fluxu dyſenterico habere ſolent incauti, vel imperiti. Nullam aliam præter diæteticam expoſtulat curationem hic morbus ; quare, rite compoſito victus regimine, danda eſt opera, ut quieti ſe tradant, quantum fert ætas, infantes. Nec tamen vetantur *demulcentia externa*, ſi pruritu & doloribus divexentur ægri, uti in pleriſque accidit : ſub qua conditione adhibentur fotus ex aqua tepida, e decocto emolliente, vel lacte parati. Hanc etiam moleſtam ſenſationem compeſcere licet cum butyro & oleo ovorum, unguento de althæa, populeo, &c. Hæc de affectibus leviſſimis dicta ſufficiant ; ad graviores deveniamus.

EPILEPSIA ET CONVULSIO.

NUM diſtinguendi ſint in infantibus hice affectus, jure dubitarunt plures primi ſubſellii Auctores. Uſus tamen invaluit, ut *epilepſia*, Occitanis & Gallo-Provincialibus *goutteto* vocitata, hæc audiat convulſionis ſpecies, quæ intra ſeptem primos a nativitate annos periodice recurrit, & a cauſa pertinaci pendere videtur : dum *ſimplex convulſio* cauſam fugacem agnoſcit, atque omnes ætates reſpicit. Huc pertinent *pavores nocturni*, ab incubo forte minime diſcrepantes, quibus obnoxii ſunt lactentes : apud omnes enim ratum & ſufflaminatum manet mere ſpaſmodicum eſſe hunc affectum ; licet pectori vel ſtomacho referatur ; vel a quavis nervorum læſione oriatur. Liquet porro inter *epilepſiæ prodromos* numerari pavores nocturnos ; non ſecus ac oſcitationes, vigilias, urinam viridem, &c. Brachiorum tremor, concuſſio & rigiditas ; inconditus oculorum motus, cum integræ ſenſuum abolitione *epilepſiam produnt* ; quæ ſeptennes rariſſime invadit : ſed ſi prius acceſſerit, ad pubertatem protrahi ſolet. Hujuſce morbi ſtadium ſeptem menſibus, vel totidem annis, contineri, ſunt qui velint. De quadam convulſionis ſpecie, recens natis familiari, mentionem ſubiiciunt Auctores, quæ maxillæ inferioris muſculis inſidet, & *triſmus* vocitatur : ſed hunc ſpaſmum preſſo pede ſequitur teranos ; hinc male diſtinguuntur prædicti affectus, ut plurimum lethales.

Epilepſiam & convulſiones *promovent* dentitio, vermes, aliæque materies inteſtina laceſſentes. Sed ſolas convulſiones concitare videntur cathartica acriora, acerba

ba tormina, morbi acuti & graviores, &c. Utrumque morbum spasmodicum a dentium progerminatione oriri haud falso conjicitur, si infantes vomiturient, & fæces subvirides, inter alvum solutum, egerant, &c. Infantes molliter curati, & quorum alvus est adstrictior, ad epilepsiam *procliviores* videntur. Natales etiam sumit hic affectus ab incondita matris, inter prægnationem, victus ratione: contrahitur demum a nutricibus hystericis, utero gerentibus, mœrore confectis, ira percitis, &c. Notare juvat plures infantes in hunc morbum incidere a terrore, quem suis figmentis, & fabellis, illis incutiunt mulierculæ. Acoribus & favis laborantes raro *epilepsia* corripiuntur; ni intus repellatur hæc eruptio. Postremo eo periculosior censeri debet epilepsia, quo minus a nativitate recedit; paroxysmis præsertim crebro recurrentibus.

A bene perspectis causis evidentibus, uti solemne est in cæteris morbis, dirigi debet *curandi ritus*. E præhabitis colligitur hunc affectum sæpissime promoveri, vel foveri a saburra in primis viis nidulante, hinc patet cur inter præstantiora remedia numerentur *emetica*, tartarus nempe stibiatus, kermes minerale & ipecacuanha: sed extra paroxysmum exhiberi debent, ni urgeat necessitas, & periculum sit in mora: ratione ætatis componendam esse dosim evidens est; ideo præscribuntur quarta, tertia, dimidia, &c. pars grani emeticorum mineralium: ut nonnulla radicis brasilienſis grana: pluris habentur cathartica, inter inducias etiam usurpanda, in quorum censum veniunt diacrydium, jalapa, pulvis cornachinus, mercurius dulcis: ad everrendas enim pravarum digestionum reliquias inepta videntur laxantia, quæ lubricas intestinorum vias celerius peragrare solent. Fauste demum nonnunquam succedit venæ sectio sub insultu: nec mirum, cum convulsiones a spontanea hæmorrhagia sæpius solvantur: rarissime tamen adhibetur illud præsidium pro lactentibus.

Absorbentia & *anthelmintica*, ut in eadem pergamus, mira præstare solent; usitatiora audiunt testacea, corallium & corallina, lapilli cancrorum fluviatilium, putamina ovorum calcinata, & magnesia. Circa usum prædictorum remediorum notare expedit, quod, etsi alvum comprimendi vi pollent, contrarium tamen sub infantia effectum exerant: quod phænomenum a quodam sale neutro, ob coeuntia absorbentia cum materiebus acidis, in primis infantum viis stabulantibus, pendere videtur. Consultum evacuantium & absorbentium usum opportune excipiunt *antispasmodica* vulgatiora; flores nimirum tiliæ & gallii lutei; radix valerianæ sylvestris, cortex peruvianus, castoreum, succinum & theriaca; sed pulvis de gutteta in omnibus officinis prostans cæteris præstare videtur. Notare juvat circa hæc postrema remedia, nutricibus nonnunquam exhibenda fore, pro infantibus ætate, temperie, vel quavis ægritudine, debilioribus; uti de quibusdam aliis medicaminibus, jam supra inculcavimus.

Hæc sunt auxilia, quæ imminentem accessionem avertere queunt: sed allaborandum *vigente paroxysmo*, ut fugetur vel leniatur. *Prodest* sub hoc statu spiritus succini vel cornu cervi, e quavis aqua cephalica intus exhibitus: sed efficaciora videntur *remedia externa*. Naribus nempe insufflatur pulvis florum tiliæ, radicis lilii convallium, foliorum betonicæ, salviæ, lavandulæ, &c. Proficue injiciuntur enemata acriora & purgantia, vel antiepileptica; fauste admoventur cucurbitulæ, nec posthabendum linimentum ex axungia castorei paratum, & seriei vertebrarum admovendum, &c. Quod ad vesicatoria, cauterium & setaceum attinet, futilia censeri debent adversus vigentem paroxysmum, eo quod suum effectum tardius exerceant: sed pluris habentur inter inducias, & nil forte efficacius excogitari potest. Futilia insuper censeri debent omnia præsidia medica, si constet de pravo lacte: quid tum sit agendum nemo non videt.

APHTHÆ.

Sic nuncupantur *ulcuscula*, passim *in ore occurrentia*, quæ pustulas subalbicantes & vesiculares excipiunt. Latius quandoque propagantur aphthæ, quæ œsophagum, ven-

ventriculum & inteſtina, non ſecus ac tracheam & bronchia, haud ſine præſenti vitæ diſcrimine, nonnunquam invadunt. Aphthæ, quibus præſertim *obnoxii* ſunt recens nati, pro periculi expertibus habentur, ſi circa limbum rubeant; peſſimi vero moris cenſentur, ſi nigreſcant & latius ſerpant, & altiores foveas ſibi cudant; adeo ut ipſamet oſſa nonnunquam attingant: ſub qua rerum conditione imminet gangræna, qua ſane itur ad aſtra. Aphthæ igitur vulgatiores & ore coercitæ, minime ſunt *pertimeſcendæ*, & facile evincuntur: ſed ubi œſophago infiguntur, ad ventriculum & inteſtina ſe ſpargere ſolent; hinc ſuboriuntur febris, tormina, diarrhœa, dyſenteria, aliique graviores morbi: ſi vero laryngem ſubeant, & ad tracheam, bronchia & pulmones diffundantur; tuſſim ferociorem, ſpirandi difficultatem, aliaque truculentiora ſymptomata concitant. Vinum a nutricibus liberalius ſumptum; harum atræ curæ, gravioreſque animi perturbationes, ſordes in ſtomacho infantum nidulantes, verminoſa progenies, &c. ſunt totidem hujuſce morbi levioris *cauſæ*. Sed periculoſior cenſeri debet, ſi a viru venereo, ſcorbutico, &c. ortum mutuetur.

His præmiſſis facilis patet ad *curationem* aditus. Rite igitur compoſito nutricis regimine, danda eſt opera ut foras eliminentur primarum viarum ſordes: hoc munus ſane præſtant emetica, ſi vires ſinant, exhibenda. Alias egregie & blandius ſe gerunt *cathartica*; inter quæ rheum, vel ſyrupus ex hac radice paratus, cæteris antecellere videtur. Multum proſunt *abſorbentia*, ſub primarum viarum ſaburra acida: nonnullis conferre queunt hypnotica caute adhibita; ac pro re nata, vel bene perſpectis morbi phænomenis, in uſum vocantur diaphoretica & antivenerea, antiſcorbutica, &c. Sed raro, ut verum fatear, adhibentur prædicta remedia adverſus affectum, qui vel ſponte evaneſcit; vel nonnullis topicis facile domatur: hæc verſantur circa *detergentia* & *exſiccantia*: itaque paratur lotio e vino tepido, aqua hordei, vel decocto foliorum pervincæ; quibus opportune adduntur mel roſaceum, ſyrupus de roſis ſiccis, ſpiritus vitrioli, &c. Alias prædicto ſpiritu, aut eſſentia Rabel, penicilli ope, attinguntur hæc ulcuſcula. Imminente vero gangræna, ſimili modo admovetur balſamum myrrhæ, oleum tartari per deliquium, &c. Adhibetur demum tinctura laccæ, adverſus aphthas ſcorbuticas. De angina gangrænoſa, aphthis mali moris contermina, ad quam etiam proclives ſunt infantes, ſatis ſuperque ſuo loco.

DENTITIO.

NEMINEM latet dentes inciſorios, caninos, & binos molares ſequentes, in utraque maxilla, intra ſpatium duorum circiter annorum, ſub nomine *dentium lacteorum*, noſtratibus *dents de lait*, numero viginti erumpere: tertium molarem utrimque circa ſeptimum annum foras prominere: cæteris vero in propatulum venientibus circa undecimum vel duodecimum ætatis annum; ſi tamen excipias poſtremos molares, qui haud ſe produnt ante decimum octavum vel vigeſimum annum; imo & ſerius: nec deſunt in quibus per totum vitæ curriculum plane deſiderantur. Conſtat etiam viginti primos dentes renovari a ſeptimo ad decimum quartum vel decimum quintum ætatis annum. Circa ſextum vel ſeptimum a nativitate menſem prodeunt, in pleriſque primi inciſorii, & dein cæteri, ſuo ordine; a quo tamen nonnunquam deflectunt canini: notare inſuper juvat, dentes maxillæ inferioris, ſuperiores vulgo anteire. Hic eſt *genuinus naturæ proceſſus*; quæ alias circa dentium eruptionem diverſimode ludit; adeo ut de hac re nil certi tradere liceat. Nec certiora ſunt dentitionis phænomena: in pluribus enim moleſtiſſimum eſt illud naturæ conamen; dum fauſte & placide, vel inſciis nutricibus, in aliis perficitur.

Acerbiſſimis *doloribus* plerumque torquentur infantes, dum *dentium rudimenta* incrementum in alveolis capeſſunt; ſub quo rerum ſtatu, nonnihil *tument gingivæ*. Haud tamen hiſce cruciatibus indeſinenter anguntur infantes; cum identidem ſedentur & efferantur, donec a gingiva plane liberentur dentes. Majorem ſævitiem

tiem exercent canini præsertim maxillæ superioris: quare minime mirari subit si atrociora in quibusdam emergant symptomata tribus vel quatuor ante conspicuam eruptionem mensibus: sub quibus circumstantiis tument & dolent gingivæ; os æstuat, & sitis urget. Spontaneo naturæ motu, digitum gingivis admovent infantes; vel puerile crepitaculum mordent; nec papillæ nutricis parcunt. Saliva *inter dentitionem* uberiori proventu manat, promovetur vomitus, concitantur tormina; alvus solvitur cum dejectionibus subviridibus. In nonnullis excandescit febris; gingivæ & amygdalæ phlogosi corripiuntur; nec raro in suppuratum abeunt: erumpunt pustulæ quæ in aphthas facessunt; tument labia, & fissuris defœdantur; atque exsurgit tussis: quibus addere licet ejulatus nulla arte compescendos, pavores inter somnum, vigilias, convulsiones, &c. ut de imminente rhachitide sileamus. His sic se habentibus, rem esse *periculosæ aleæ*, nemini haud obvium: sed in majori vitæ diserimine versari infantes obesos, plethoricos; quorum caput est mole amplius, & alvus compressa, experientia constat.

Dentitionem merum esse naturæ opus, quod haud citra periculum perturbare licet, nemo non intelligit: sed haud vetantur *auxilia* quæ huic favere queunt. Primo gingivarum relaxationi & mollitiei studendum: in quem scopum adhibentur butyrum, medulla vituli & axungia gallinæ, quæ sint instar omnium. Cerebrum leporinum deprædicant nonnullæ mulierculæ, plusquam decet sciolæ. Suas laudes merentur aqua mulsa, mucilago seminum cydoniorum, & caricarum decoctum, ad oris lotionem. Caute admoto digito per vices premitur gingiva; vel infantibus mandenda præbentur frustum liquiritiæ, vel radicis althææ; cereolus, puerile crepitaculum, &c. Sunt qui velint in re urgentiori gingivam incidere; & dein aquam mulsam lotionis instar adhibere: sed hæc duntaxat congruit operatio circa postrema dentitionis tempora; dum scilicet imminet dentis exitus; alias impendet gangræna: nec desunt temerarii Chirurgi qui ad hanc scarificationem inconsulto sese accingentes hoc accersunt infortunium. Interea sub febre vehementiori & truculentis symptomatibus, sanguinem mittere juvat: prosunt sane *blandiora cathartica*, *silentibus doloribus*: suam opem etiam præstare valet emeticum in re urgentiori: sed haud nisi summa cautela, & inter inducias, in usum trahenda veniunt hæc præsidia; quæ alias gravem noxam inferre queunt. Narcotica a nonnullis decantata, a sanioribus plane vetantur; hinc caute esse adhibenda, consectarium manet. Pluris habetur sub hoc statu infusum florum tiliæ pro potu, cui addere licet tantillum lactis. Tutius vero præscribitur syrupus de papavere rubro, qui hypnoticorum vices supplere valet. Haud nostratibus arridet spiritus cornu cervi, quem ad guttas duas vel tres familiarissime sub hac conditione adhibebant Sydenhamus & Boerhaavius; de quo tamen remedio ulterius inquirendum esse censemus.

HYDROCEPHALOS.

Nil aliud est quam *colluvies ferosa*, qua *caput in majorem*, ac nonnunquam stupendam, *molem* assurgit; adeo ut nonnunquam portentose tumens caput residuo corpori præponderet. Infantes præcipue respicit hic affectus; licet ab hoc haud plane immunes sint adulti, imo & senes. Sed hoc nomine minime insigniri debet hydrops cerebri vulgatissimus, quo caput nusquam ampliorem magnitudinem assequitur. A capitis contusione, inter partum difficilem, vel ab alia causa suboriri solet hydrocephalos; qui alias natalitia ducit a dentitione, vermibus, convulsionibus, &c. *Variam sedem* habet hæc seri stagnatio; quod nunc sub cute capillitia colligitur; nunc intra pyxidem osseam, inter scilicet cranium & duram meningem, & curationem admittit; vel cerebri involucris coercetur, circa hoc viscus fluctuans; vel omnes ejus recessus implens; & pro immedicabili habetur. Debiliores & languentes, somnolenti & stupidi sunt infantes hoc morbo laborantes; pallet horum facies; dentes tardius erumpunt; prominent oculi, cum pupilla ampliore:

quas-

quaſdam motiones ſpaſmodicas patiuntur os & palpebræ: ſæpius ſtrident dentes. Nonnulli cæci evadunt, quidam ſpina bifida laborant. Hæc omnia demum excipit ſomnolentia, quæ ſtagnationem per cerebrum diffuſam arguit.

Variam capitis ſtragem exhibet *ſectio cadaverum*. In conſpectum enim veniunt hiantes oſſium vacillantium commiſſuræ: nec raro accidit ut quædam oſſa facile extrahi queant, ab hærentia duræ matris & pericranii plane libera. Reperiuntur meninges ſolito craſſiores, & ſeptum falciforme, non ſecus ac cerebelli ſepimentum, plane calloſum. Oculis ſubjicitur cerebrum nunc uvidum & flaccidum; nunc a circumambiente aqua denſum & firmius ita contrahitur, ut mali magnitudinem vix ſuperet: alias ventriculis ab aqua huc collecta ultra modum dilatatis utrumque cerebri hemiſpherium in faſtigium ita attollitur, ut ejus compages circa ambitum vix ſex linearum craſſitudinem aſſequatur, & depreſſa medulla oblongata quaſi obliteretur: tanta eſt quandoque cerebri extenuatio a comprimente aqua, ut in nonnullis plane deficere videatur hoc viſcus. Nec medullæ ſpinali parcit ſeroſa colluvies, uſque ad os ſacrum effuſa, circa quod nonnunquam erumpit tumor aqueus. Reperitur inſuper plexus choroides in glomeramen contractus, & hydatidibus refertus. Se offerunt glandula pinealis mucaginoſa & avulſione diffluens; glandulaque pituitaria compacta & skirrhoſa, &c. e quibus luce clarius patet *periculoſum* imo & lethalem eſſe hunc affectum: multiplici experientia conſtat infantes hoc morbo correptos in utero materno, inter partum ut plurimum enecari. Ut omnia poſtremo in unum contrahamus, indomabilis ſane eſt hydrocephalos, ubi cerebrum aqua obruitur: ſed ſi ſedem externam habeat, opportunis remediis impugnari, & evinci poteſt.

Circa evacuantium, aperientium & roborantium uſum verſatur, ut alibi fuſe tradidimus, cujuſvis hydropis ſpeciei *curatio*. Haud abſimili methodo pertractatur hydrocephalos: inter cathartica ſub hoc caſu uſitatiora recenſeri debent rheum, jalapium, diacrydium & mercurius dulcis. De diureticis, aperientibus, hepaticis & roborantibus, de quibus ſatis ſuperque ſupra, nil addimus. Nec improbantur nonnulla *medicamina externa*: admoventur ſcilicet reſolventia & diſcutientia; hiſce viribus pollent fotus ex aqua calcis ſincera, vel cum aqua vitæ mixta, e decocto florum chamæmeli, ſambuci, ſtœchados, betonicæ, &c. parati. A multis deprædicatur unguentum ex oleo chamæmeli & ſulphure confectum; ut de aliis innumeris, ex ſcriptis medicis eruendis, ſileamus. Sed levem vel inutilem, ut verum fateamur, opem præſtant hæcce topica; quibus ſane præſtant veſicatoria, cauteria & ſetacea, quæ, præmiſſis congruis remediis internis, egregium effectum edere queunt.

RHACHITIS.

AD hunc morbum proclives ſunt infantes a nono ætatis menſe ad tertium annum; rariſſime enim citius vel tardius ingruit hic affectus, quo igitur plane immunes cenſeri debent qui annum quartum incolumes aſſequuntur. *Rhachitis*, noſtratibus *Noueure*, *prænunciatur* crurum debilitate, quodam omnium partium torpore, præmaturo ingenio, capitis amplitudine, artuum extenuatione, moleſta & longiori dentium eruptione, qui ubi in conſpectum veniunt, brevi defœdantur. *Hunc produnt affectum* nodi, vel artuum prominentiæ, protuberantes vertebrarum apophyſes, tumores in connexionibus coſtarum cum ſterno; coxarum, crurumque incurvatio, ac prava pectoris conformatio: interea læduntur pulmones, exſurgit tuſſis, urget ſpirandi difficultas, febris excandeſcit, alvus ſolvitur, oſſa carie læduntur, æger macie conficitur, in hydropem incidit, & ad ultimam rerum lineam properat. Sed rhachitidem haud ſemper concomitantur hæc infortunia, quin potius leve incommodum in pleriſque creat, & poſt ſolitum ſtadium ſponte curatur, vel auxiliis medicis facile cedit. Infantes vero, qui ab hoc affectu minime liberantur ante ſeptimum ætatis annum, vitream per totum vitæ curriculum trahunt valetudinem, atque deformes

vel distorti remanent. Hanc ægritudinis speciem *prosapiam* ducere a parentum vel nutricis, viru scrophuloso, venereo vel scorbutico, variis rationum momentis conjicitur, nec adversatur experientia. A patre senescente, valetudinario, ærumnoso, voluptatibusque soluto, nati ad rhachitidem *proclives* censentur. Contrahitur demum ab achorum & favorum, non secus ac affinium eruptionum cutanearum retrogressu; ac demum a præpostera variolarum, alteriusve gravioris morbi medicatione. Multiplicem patefaciunt stragem *secta cadavera*; viscera scilicet, tum pectoris, tum abdominis deprehenduntur infarcta, phlogodea, skirrhosa & putredine confecta. Hanc labem imprimis ostendunt pulmones pleuræ accreti, & tuberculis scatentes: deteguntur stagnationes in cerebro, medulla spinali, thorace, &c. visenda se præbent intestina ultra modum distenta, mutuo connexa, &c.

Raro venæ sectionem efflagitat rhachitis, sed præsentaneam opem ferunt *emetica* & *cathartica*, identidem repetita; rheum præcipue inter hæcce postrema primatum ducere videtur. Pluris habentur *aperientia*, rubia nempe tinctorum, curcuma, aselli & martialia: hæc sæpius opportune excipiunt *incidentia*; antimonialia nimirum & mercurialia: suis etiam viribus pollent cassia lignea, elixirium proprietatis, cæteraque *roborantia*. Pro re nata in subsidium trahuntur veronica, tussilago, herbæ capillares, aliaque bechica. Suas laudes etiam merentur nasturtium, cochlearia & cætera antiscorbutica. Nec despicienda, si nil obstet, diaphoretica, guaiacum scilicet, china radix, &c. His obsecundant *remedia externa*; conferunt scilicet enemeta emollientia & demulcentia, si renitens abdomen in altum elevetur. Celebrantur fricatus in dorso & artubus, cum linteis aromatum fumo imprægnatis. Proficue adhibentur fotus & balnea e decocto salviæ, thymi, rorismarini, lavandulæ, baccharum juniperi & lauri ex vino parata. Suis viribus etiam pollent linimenta ex oleo laurino, unguento martiato, aliisque roborantibus confecta. Inter præstantiora demum topica numerantur cauteria & vesicatoria, occipiti vel dorso admota. His addere licet balnea frigida a pluribus celebrata; sed experientia constat noxam nonnunquam intulisse. Pluris postremo interest, sub rhachitidis curatione, ut infantes congruo submittantur regimini, & variis obambulationibus in loco edito & aprico se exerceant, &c.

MORBUS COXARIS.

Sub hoc titulo intelligi volumus, facem præferente clarissimo expertissimoque DE HAEN, hunc multigenum *coxendicis affectum*, nulli ætati parcentem; sed infantes præcipue respicientem, qui non solum *claudicationem* vel *cruris impotentiam* post se trahere; sed plures etiam ad ultimam rerum lineam ducere solet. Morbum coxarem minantur contusiones a casu ab alto, ictu, aliave quacumque causa: hunc etiam *promovent* improba virium conamina, saltationes, aliave ludibunda corporis exercitia. Hoc infortunium denuntiant dolores artui insidentes, quos nonnumquam excipit partis intumescentia. *Causis internis* etiam submittitur morbus coxaris; hunc enim pariunt affluxus humorum in hanc partem sub morbis acutis, nec rara est hæc metastasis in variolis; labes rhachitica, scrophulosa, scorbutica & venerea; ac demum in provecta ætate diathesis arthritica & rehumatica: alias a causa externa concitatus ab humorum dyscrasia fovetur. His addere licet ossium pelvis diductionem; præsertim respicientem infantes rhachiticos; non secus ac mulieres sub ultimis graviditatis mensibus: non solum a se invicem sejunguntur ossa pubis; sed etiam ossa innominata ab osse sacro, cui arctissime hærebant, etiam dimoventur; unde fit claudicatio alterutrius, vel utriusque lateris: imo sæpius sub hoc infortunio, motu plane orbantur artus. A ligamentorum contusione, collisione, distractione, quavisve violenta elongatione, non secus ac luxatione & fractura dolorem emergere acutum, quem sequitur humorum defluxus, vel genuina phlogosis, nemini haud obvium. *Resolutione* plerumque *solvitur* hic affectus, dummodo haud naturæ viribus ob-

obſtent inopportuna remedia : alias pus inibi conficitur , unde dolores ferociores , febris lenta & tabes . Difficilius reſolutione judicatur hic humorum decubitus a materiæ morboſæ translatione inter morbos acutos, variolas nempe, febrem malignam , putridam , &c. vel a rachitide , ſcrophulis, alterove viru progenitus: unde emergit tumor plus minuſve conſpicuus , qui ſerius ocyus purulentiam promovet ad exteriora vergentem . Quare minime mirum, ſi abſceſſus in pleriſque ingens oſſis connexioni , partibuſque huic famulantibus , ſummam labem inferat . Solutis ab hac putredine ligamentis, e ſua ſede ſenſim deturbatur femoris caput , & crus ab hac luxatione paulum primo elongari ſolet, ut brevius poſtea evadat. Claudicationem oriri a breviori crure nemo non videt; ſed alia eſt cauſa, nempe dolor, præ quo, cruri affecto incumbere nequeunt ægri.

Obſcura ſane & intricatiſſima eſt, inter vitam, hæc genuina labes organica , quæ in apricum venit poſt obitum : exhibent enim *cadavera* femoris luxationem; cujus caput , ligamento terete plus æquo elongato vel diſrupto , ex acetabulo depulſum, diverſam ubtinet ſedem , ſuperiorem vel inferiorem , anteriorem vel poſteriorem . Foveæ crepidini plerumque hæret prædictum caput , & ankyloſi in unum corpus cum acetabulo coaleſcit . Hoc cavum nonnunquam replet , quoddam corpus glandulæ faciem præ ſe ferens . Ab accubitu colluviei purulentæ ad prædictas partes, oſſa ſuis cartilaginibus & periosteo orbantur , carie læduntur , & in fœdiſſimam putrilaginem haud raro abeunt . Simili ratione conficiuntur ligamenta , quorum ſæpius ne minimum quidem veſtigium deprehenditur . Longe lateque in pleriſque ſerpit hæc ſpurcities ; qua totum femur haud raro defœdatur . Notare tamen expedit pus nonnunquam inibi ſtagnare citra viciniorum eroſionem, ob forte blandiorem hujuſce laticis indolem , vel breviorem moram . Reperitur demum præter traditam ſtragem , femur in cervice fractum, capite in acetabulo remanente : frequentius vero occurrit in juniorum cadaveribus epiphyſis ab oſſe ſoluta . Inſuper deprehenduntur oſſa pelvis mobilia ; oſſium ſcilicet pubis connexio ſoluta ; os ilium ab oſſe ſacro dimotum ; exoſtoſis e prædictis oſſibus erumpens ; ac caries vertebrarum , oſſis ſacri , &c. Pulmonum denique , hepatis , pancreatis , omenti , meſenterii , cæterorumque viſcerum læſiones , a pure ſanguini remixto, uti videtur, ortas , conſulto prætermittimus .

Omnem Medicorum induſtriam ſuperat hic morbus ad certum gradum provectus , dum ſcilicet de purulentia & oſſium carie conſtet : ſub quo ſtatu ſenſim conficiuntur miſelli ægri , donec ad plures abeant . Sed haud levis *ſanitatis ſpes* eluceſcit ſub primis temporibus, dum pars a naturali forma minime recedit , & ſolo inter cruris motum dolore conqueruntur ægri . Nulla tamen medicatione egent , ſed quieti tradantur, imo & decumbant per unum aut alterum menſem, & ultra, ſi res expoſtulet ; ubi ſcilicet caute exploratis cruris viribus adhuc claudicant , vel quidam inter motum cruris ſupereſt dolor : in ſubſidium etiam vocandam eſſe diætam congruam nemini haud obvium . Quibus addere licet balnea frigida , quæ inter roborantia externa principem locum obtinent ; quæ præſertim congruunt ubi ligamenta femoris cepiti implantata flexiliora elongantur ; & oſſa pelvis ab invicem dimoventur: ſub qua rerum conditione , in ſuo ſitu contineri debent oſſa præter naturam mobilia proba deligatione vel faſciatione . Nec deſpicienda cætera roborantia externa , ut vinum aromaticum , vel maſtiche imprægnatum ; aqua Reginæ Hungariæ , unguentum martiatum , emplaſtrum ſtypticum , &c. Quod vero ad alia *præſidia* medica , vel *chirurgica* attinet , multiplici experientia edocti , aſſerere minime dubitamus , quod omnia vel exquiſitiora topica reſolventia , & præſertim uſitatiſſimæ irrigationes ab alto , non ſolum humorum affluxui nuſquam medentur ; ſed illos potius ad hanc partem allicere videntur . Hæc minime latent medicinæ proceres qui totum negotium naturæ committere ſolent ; dum ſcioli , inepta & petulanti ſecuritate ſuis tralatitiis remediis hunc morbum aggrediuntur ; donec ægris in deteriora ruentibus , ab infelici medela deſiſtere cogantur .

Omnis vero salutis spes fere præcluditur, si adsint purulentiæ notæ, cum a diuturniori puris stagnatione, cartilagines & ossa carie absumantur, vel fœdissima putredine labefactentur. Sub quo casu nil non movendum ut tabum versus cutem alliciatur; quam opem præstant *emollientia* & *maturantia*. Ubi vero quidam fluctuatione, aliisve signis innotescit morbi fomes, nulla mora latum infligatur vulnus, ut pus foras prorumpat. Sunt qui cauterium ad hoc opus adhibere velint; sed hac inustione tardius promovetur puris exitus, & debitæ sordidissimi ulceris fistulosi deterstioni obstat aditus angustior. Infaustum tamen in plerisque habet exitum uterque modus, ni incolumes sint partes abscessum ambientes; quod rarissime accidere supra notavimus. Inter hasce angustias pauca novimus *remedia interna*, si diætam lacteam excipias: silentio tamen minime premendum quod exquisitissimum sub hoc casu *antiseptícum* præbeat cortex peruvianus: quo scilicet ad unciam semissem singulis diebus cum lacte caprino adhibito hunc desperatum affectum intra quatuor menses domavit supra laudatus DE HAEN, de praxi medica bene meritus: sed hunc corticem minime ferre queunt tussientes, quacumque dosi exhibeatur. Lintea etiam hujusce corticis decocto imbuta admoveri jubet præclarus Auctor; quod sane citra periculum experiri posse, credere par est. De cæteris præsidiis internis diversam humorum labem respicientibus, nil addimus.

MORBI CUTIS.

(1) HAud minus obscura & intricata est in infantibus, eruptionum & efflorescentiarum cutanearum natura, quam sub alia ætate. Inter familiariores *TINEA*, nostratibus *la Teigne*, quæ variis apud Auctores titulis insignitur: nunc enim *crusta lactea*; nunc *ignis volaticus*; *porrigo*, *furfuratio*, *scabies capitis*, *achores & favi*, &c. vocitatur. Nil aliud esse videtur tinea, quam quædam herpetis squamosæ & corrodentis species, tetrum odorem in plerisque spargens; non solum lactentium cutem capillitiam & faciem invadens; sed etiam in alias partes serpens. Sunt pustulæ vel vesiculæ, quæ ruptæ exulcerantur & in crustas diversi coloris, humidas & siccas faciunt: ut plurimum confluunt in amplos corymbos quibus cutis, tum faciei tum capitis deturpatur. Hac tamen eruptione raro defœdatur ablactatorum facies, quæ præcipuam in teneriori ætate morbi sedem exhibet; sub sua conditione, *rache ou feu volage* apud nostrates audit: sed sæpissime exulcerata in utrisque prostat postrema aurium vicinia, quæ ichore perpetuo madet. Notare expedit quod pro crusta lactea a quibusdam habeantur hæ sordes pingues & humidæ capitis recens natorum hærentes, quæ sensim in furfurem deciduum faciunt, nonnihil juvante olei vel butyri linimento.

Tinea, quæ omnes hos affectus cutaneos comprehendit, superficiem duntaxat cutis plerumque occupat, & *periculo* plane *vacat*. Variis vicissitudinibus vulgo submittitur, huic vel illi parti insidens; nec raro periodo lunari inniti videtur; alias inordinate remittitur & recrudescit. Cuti capillitiæ incumbens foveas sæpius sibi cudit usque ad cranium, quod tum carie læditur. Hoc præsertim imminet infortunium, si a viru scorbutico, venereo vel scrophuloso foveatur tinea, quæ alias inter morbos salubriores recenseri debet; qua scilicet vigente, aliis gravioribus affectibus immunes sunt infantes, imo & pancratice valent. Quo fit ut ejus cura naturæ committatur, & omnia vetentur topica exsiccantia. Majorem enim incutit metum ejus *subitaneus recessus*, vel spontaneus; cum plura exhinc impendeant mala, tusses nempe ferociores, febris acuta, ophthalmia, diarrhœa torminosa, insultus convulsivi, tabes, phthisis, &c.

E præhabitis colligitur tineam duntaxat mali moris, quam *rascofino* vocitant Gallo-Provinciales, & a viru scrophuloso & syphilitico haud raro pendet, *auxiliis medicis* impugnandam fore. Præmissis igitur generalibus, si opus sit, præscribi debent hepatica & depurantia, uti agrimonia, lapathum, fumaria, veronica, nasturtium aquaticum, &c. nec vetatur sulphur, quod uti, nemo nescit, specificam vim obtinet, ad-

adversus varios adultorum cutaneos morbos chronicos. Conducunt *cathartica* blandiora, epithymum nempe, syrupus de cichorio cum rheo, mercurius dulcis, &c. Post cautum & diuturnum horumce medicaminum usum, morbi primaria habita ratione, ad exquisitiora devenire juvat; *diaphoretica* scilicet & incidentia; hæc munia præstare valent scabiosa, carduus benedictus, vipera, kermes minerale, antimonium diaphoreticum, sal volatile cornu cervi, æthiops mineralis, aliaque variam sanguinis & humorum labem respicientia. Huc etiam pertinent absorbentia, si saburra acida in primis viis niduletur. Insuper quæcumque adversus tineam adhibeantur remedia, procrastinanda est curatio, ne citius quam par est evanescat hic affectus; sub quo casu nil non movendum ut revocetur: inter has angustias admoveri solent vesicatoria, ut humores noxii, sanguini iremixti ad cutem alliciantur, & tineæ vices expleant.

Caute inter hujusce morbi curationem adhiberi debent *topica*: plane exulare debent cujusvis sortis repercutientia: sed tuto admoventur emollientia & demulcentia, si sæviat pruritus & crustæ obnixius hæreant: proficue in hunc scopum usurpantur aqua althææ, oleum amygdalarum dulcium, cremor lactis, butyrum insulsum, folia betæ oleo rosaceo inuncta, &c. Haud improbantur insuper lotiones e decocto fumariæ, lapathi, veronicæ, & chelidonii paratæ. Nonnulli deprædicant unguentum ex oleo amygdalarum dulcium, & oleo tartari per deliquium simul rite subactis, confectum. Prostant demum in officinis varia unguenta cum sulphure & mercurio parata, quæ solerti & cauta manu pertractata, suas laudes merentur. Notare juvat quod materies pingues & oleosæ, a temerariis mulierculis usurpari solitæ, haud citra periculum faciei admoveantur, si cremorem lactis & butyrum excipias. Dum hæc peraguntur apprime attendere debent nutrices ad manus infantum, ne inter pruritum hæc vulnuscula scalptu plus æquo cruentent.

Usitatissimum est in variis nosocomiis emplastrum e mera *pice* confectum, quod derasis capillis capiti admovetur, & post viginti quatuor horas evellitur, haud sine magno infantum clamore; cum huic agglutinati capilli hac vi eradicentur. Dein demulcetur hoc vulnus cruentum cum oleo ovorum, vel foliis betæ butyro oblitis; folita demum arte exsiccandum: iterum si opus sit, imponitur prædictum emplastrum; quod forte, præmissis præmittendis, cæteris topicis palmam præripit. Si tinea altiores foveas sibi cudat, & uberiorem præbeat faciei proventum; cretam, tuthiam, cerussam, lapidem calaminarem, aliosque pulveres exsiccantes adhibere fas est: alias angue pejus vitari debet quodvis medicamen exsiccans. Si *morbus pediculari* tineæ, uti crebro evenit, societur, inspergi solet caput cum pulvere staphisagriæ, cevadillæ, coccularum officinarum, &c. qui pulveres etiam axungiis vel pulpa pomorum coctorum excipiuntur, ut exhinc emergat unguentum eidem usui dicatum. Nonnullis postremo arridet decoctum staphisagriæ e lixivio vulgatiori paratum, quo probe eluitur caput.

(2) Absolutis quæ ad tineam spectant; supereſt ut cæteros infantum morbos cutaneos paucis complectamur. Itaque quadam ægritudinis specie familiarissime laborant infantes, quæ ratione indolis, ad tineam proxime accedit. Hæc est *puris* vel saniei *per meatum auditorium stillicidium*, quod nunc a simplici humorum defluxu, vel a causa tineæ communi soboleſcens, nunc a genuina phlogosi, quæ prius vehementi, doloribus atrocioribus, convulsionibus, &c. innotuit. Leve sane portendit periculum hoc profluvium in primo casu: sed sub alio pertimescenda est officulorum tympani caries; aliave auris strages, e qua plerumque emergit surditas immedicabilis. *Huic* morbo phlogosim excipienti, sub primis temporibus molestissimo, *occurritur*, lac, vel oleum amygdalarum dulcium in meatum auditorium stillando; dein latitantibus ulcusculis prospiciendum injectionibus ex urina, infusis amaris, detergentibus & antiputridis. Quod ad remedia interna attinet, minime discrepant ab his quæ adversus tineam supra tradidimus: quare hisce recensendis supersedere haud incongruum judicamus.

(3) *Essera infantum*, Nostratibus (*la gale*

gale des enfans) parum ratione indolis a capitis porrigine discrepat: sed sub aliis circumstantiis ingruit; & hanc vel illam partem corporis ambitus occupat. Pro morbo saluberrimo haberi solet hæc efferæ species, ab scabie adultorum toto cœlo distans; proficua præsertim censeri debet lacte calidiori, vel pravæ notæ, enutritis. Post ablactationem plerumque se prodit hic affectus cutaneus, ni sub eodem tempore alvi fluxu corripiantur infantes. Universam in nonnullis cutem invadit; adeo ut erumpentium morbillorum faciem haud male referat: nec errorem deflecterent clinici, vel solertiores, ni ad signa prænuntia attenderent. Pustulæ exiguæ, nunc parciores, nunc numerosissimæ; in locis calidioribus paulo ampliores; circa umbilicum pertinaciores, immanem sæpius pruritum pariunt, quo divexantur infantes: alias levem molestiam creant; nihilque sanitati demunt. Totum curationis opus naturæ plerumque committitur: vetantur quævis topica resolventia, e sulphure & mercurio deprompta; etsi a nonnullis incautis, vel sciolis, haud sine præsenti discrimine adhibentur. Præterea notare juvat quod a dentitione sæpissime fovetur hæc eruptio, quæ ideo haud nisi post hanc absolutam desinit.

Tanti est momenti ad sanguinis & humorum expurgationem hæc opportuna eruptio, ut plura septennibus, hujusce morbi expertibus, impendere infortunia, apud omnes praxi edoctos in confesso maneat. Hinc, morbo in solito statu perstante, nil temere tentandum; quin potius salubri huic naturæ molimini succurrendum, congrua victus ratione, donec circa finem *blandiora cathartica*, infusum nempe rhabarbari, syrupum de cichorio compositum, aliaque id genus infantibus dicata præscribere liceat. Si tamen urgeat pruritus, & hinc somnus arceatur, *demulcentia* admoveri queunt; cremor nempe lactis, butyrum recens, oleum amygdalarum dulcium, ceratum simplicius, &c. alias ab omni curatione abstinere præstat. Urgentiori tamen succurrendum, si effera pravum induat characterem, & graviora accersat symptomata: sub qua rerum conditione conducunt cathartica blandiora, identidem repetita: nec inutilem opem præstant stomachica & amara. Dein sanguini prospiciendum cauto *depurantium* & *diaphoreticorum*, aperientium & *incidentium*, ad nauseam alibi traditorum, usu: nec prohibentur post debitam horumce remediorum administrationem, unguenta mercurialia; vel e sulphure & pulpa radicis lapathi confecta: summam semper efflagitat cautelam hic medendi ritus.

(4) Ad alium affectum cutaneum proclives sunt infantes intra cunas; qui omnes *partes lotio madidas* vel *fæcibus alvinis conspurcatas*, inquinat. *Rubor* primo ex hac spurcitie emergit, latissimis areolis se præbens & erysipelatis faciem haud raro præ se ferens: dein erumpunt *pustulæ* quæ nunc herpetem, nunc ambustionem æmulantur. Jure sub hoc statu incusantur acrius lotium, & sanguis plus æquo æstuans; sed aliam quandoque habet genesim hic morbus, e prava lactis indole depromendam. Simplicioribus remediis, sub utroque casu peragitur *curatio*; munditiei primo danda est opera, lotionem ex aqua althææ, vel lacte tepido paratam crebro adhibendo: dein admoventur demulcentia; cremor nempe lactis, butyrum, &c. Nonnunquam etiam opportune usurpantur lotiones detergentes; inter quas pluribus arridet aqua plantaginis cum quarta aquæ calcis parte. Sed parum conferre videntur cerata, album Rhasis, aliaque unguenta a mulierculis comprobata.

(5) *Intertrigo*, vulgo *écorchure*, sub infantili ætate familiarissima non solum interfemineum, vicinioresque partes sordidas occupat; sed etiam axillas, cervicem, aliasve partes quæ quamlibet *cuticulæ attritionem* patiuntur, invadit. Etsi pro levissimo morbo habetur hæc excoriationis species, haud levem tamen in quibusdam molestiam creat, quæ demulcentibus leniri solet. Cum hic affectus præsertim pendeat a linteorum sordidorum usu; munditiei primo studendum esse nemo non intelligit. Dein pars affecta, cum aqua althææ, vel vino tepido prius probe lota, pulvere ligni carioli spargitur: ac nullo alio plerumque opus est *remedio*. Eumdem affectum præstant creta, tuthia, lapis calaminaris, aliaque absorbentia & exsiccantia

tia in pulverem redacta. Si doloribus divexentur intertigine laborantes; usurpari solet unguentum album Rhasis, pompholyx, nutritum de cerussa, aliaque id sortis, vi demulcente & exsiccante pollentia.

(6) *Rimis* & *fissuris* sæpius etiam deturpatur cuticula infantum, quæ scilicet præcipuam sedem habent in naso, labiis & digitis. Humorum defluxum in partem affectam sæpius accersunt hæc vulnuscula, e quo humorum decubitu pars in tumorem attollitur; unde nonnunquam emerguntur occallescentiæ ægre solvendæ. E frigore, inter hyemem asperam contracto, subnasci solent fissuræ cutaneæ; haud raro tamen a sanguinis vel humorum labe oriundæ. Simplicissimus est huncce levissimum affectum *curandi modus:* parti scilicet læsæ, prius vino tepido probe lotæ, admoventur oleum amygdalarum dulcium, vel ovorum; axungiæ & medullæ præparatæ, ceratum Galeni, aliudve pomatum vulgatius: nec alia opus est medela; cui inhærendum donec horumce vulnusculorum labra ad mutuum contactum ducantur. De pernionibus, ambustionibus, aliisque morbis cutaneis, omnes ætates respicientibus, satis superque alibi; ideo repetitam crambem minime apponemus. Sed de nævis maternis nonnulla adjicere, haud abs re fore putavimus.

(7) Obscura & intricatissima est *nævorum maternorum*, nostratibus (*signes de naissance*,) indoles. A denegatis rebus quas flagrantissime cupiebant matres inter prægnationem oriri hæc stigmata vulgo fertur, sed multis difficultatibus premitur hæc opinio, quam validioribus argumentis impugnarunt nonnulli recentiores; adeo ut adhuc sub judice lis sit. Innumeras formas præ se ferunt *nævi materni*, quæ maculis & sarcosibus exprimuntur. Occurrunt *maculæ* diversæ latitudinis, rubræ, purpureo-violaceæ, fuscæ, subatræ, &c.; vino cujus colorem referunt, tribuuntur vulgatiores. *Sarcoses* vero etiam multiformes æmulari videntur fraga, mora, ficus, uvas, aliosve fructus: non secus ac frustum hepatis, carnis suillæ, placentæ, casei, aliorumque innumerorum eduliorum, quibus gravidarum imaginatio lædebatur: nec desunt quæ cristam galli, murem, mentulam virilem, &c. mentiuntur. Ita hærent maculæ, ut nulla hactenus nota arte deleri queant; ni plane extirpetur cutis, quæ ipsis basim præbet, unde post tædiosam curationem emergeret cicatrix, quæ plus forte quam macula partem deturparet. Faciliorem *curam* admittere queunt sarcomata, quæ scilicet arcto vinculo constringuntur, ferro auferuntur, vel caustico absumuntur: sed paucis arrident hæc auxilia chirurgica; ni facies hoc stigmate ultra modum deturpetur. Haud tamen periculo vacant prædictæ operationes; si tumor nervo, arteriæ, aponeurosi, pericranio & peritonæo insideat; sub quibus conditionibus, nocentissima vel lethifera evadit hæc medela: alias singulis ætatibus congruit, sed auspicatior sub juventute censeri debet.

(8) Superest, ultimam manum huic operi imponendo, ut breviter agamus de quodam *morbo exotico*, a peculiaribus vermibus, infantum cutem lacessentibus, prognato. *Dracunculi* apud plures audiunt, vel ob stupendam, instar crinium, exilitatem, *crinones* a nonnullis vocitantur. Juxta alios, vermes caseosos haud male æmulantur; hos etiam capite nigro instrui fertur, quos tamen nihil aliud esse quam pilos in fasciculum collectos probare contendit LEUWENHOECKIUS, nec hoc dubium solvit LE CLERC. Progerminantur, si potiori Auctorum parti habenda sit fides, in artubus & dorso lactentium; qui sæviissimo pruritu, & vigiliis pertinacioribus vexati, sensim atrophia conficiuntur. Opportune sub hoc rerum statu adhibentur balnea, quæ cutem laxando, horum infectorum exitui favent: melle dein illinitur pars affecta, ut extus alliciantur & facilius instrumentis congruis abradantur; apertis scilicet pustulis vesiculosis, sub quibus latitant. Inter exquisitiora præsidia recensentur lotiones, vel fructus mercuriales, quibus brevi enecari solent. Interea notissima curandi methodo impugnatur marasmus, quem uti innuimus, post se trahit hic affectus, sub nostro climate plane ignotus. Plura addere vetat instituti ratio, nec sinit angustior pagina: ideo vela contrahimus.

Finis primi Voluminis.

NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

CONcediamo Licenza a *Niccolò Bettinelli* Stampator di *Venezia per il Seminario di Padova* di poter riſtampare il Libro intitolato *Synopſis Univerſæ Praxeos Medicæ* &c. *Tomi due, Riſtampa*: oſſervando gli ordini ſoliti in materia di Stampe, e preſentando le Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia e di Padova.

Dat. li 16. *Gennaro* 1785.

(PIETRO BARBARIGO RIF.

(FRANCESCO MOROSINI II. KAV. PROC. RIF.

(GIROLAMO ASCANIO GIUSTINIAN KAV. RIF.

Regiſtrato in Libro a Carte 177. al Num. 1599.

Giuſeppe Gradenigo Seg.

ESTANTE 8.°
Tabla 7.ª
N.° 10

13.055